

UC-NRLF
$B 64 720



ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΚΩΜΩιΔΙΑΙ.

ARISTOPHANIS COMOEDIAE.

EDIDIT

BERNARDUS THIERSCH.

TOMUS I.

CONTINENS PLUTUM, PROLEGOMENA IN ARISTOPHANEM ET C. FERDINANDI RANKE COMMENTATIONIS DE ARISTOPHANIS VITA PARTEM PRIMAM.

LIPSIAE
SUMPTIBUS C. H. F. HARTMANNI.
MDCCCXXX.

LONDINI
APUD BLACK, YOUNG ET YOUNG.

ARISTOPHANIS PLUTUS.

RECENSUIT ET EXPLICUIT

BERNARDUS THIERSCH.

PRAEMITTUNTUR PROLEGOMENA IN ARISTOPHANEM ET C. FERDINANDI RANKE COMMENTATIONIS DE ARISTOPHANIS VITA PARS PRIMA.

LIPSIAE

SUMPTIBUS C. H. F. HARTMANNI.

MDCCCXXX.

LONDINI

APUD BLACK, YOUNG ET YOUNG.


VIRO ILLUSTRISSIMO

IOANNI GUILIELMO SUEVERN

QUI COMICI OPERTA PRIMUS RECLUSIT

D. D. D.

EDITOR.



PROLEGOMENA IN ARISTOPHANEM.

Hominum recentiorum ingenia mirabili nescio quo ipsius aevi nisu concitata postquam, quae maiorum nostrorum doctrinae aut plana aut comperta videbantur, ne dicam vere demum exploraverunt, melius saltem indaganda esse docuerunt omnesque antiquitatis rivos sibi sumserunt altius tentandos; Aristophanis quoque fabulis, reliquiarum Graecae poeseos omnium fere difficillimis intellectu, aliquid novae lucis affulsit. Exstitit enim vir ingenio et doctrina magnus, I. G. Suevernum dico, qui reconditiorem comoediae veteris indolem diligentius percontatus est et suo exemplo alios etiam, qui idem etiamsi non pari successu tractarent, excitavit. Dum in hoc campo multum periclitatum est, editores incuriosi non solum non longius progressi sunt, sed etiam ita emancipati erant interpretibus superioribus, ut illorum animadversiones, falsis et supervacaneis non missis, aut ad verbum aut brevi praecisas iterasse contenti essent, paucis admodum Marte proprio passim adspersis [1]). Quare quum praeter Alexandri M. contubernalem socius, qui fertur, Platonis et I. Chrysostomi adeo nocturnus me teneret meque a ceteris poetis, quibus

[1]) Splendida Imm. Bekkeri editio in Germaniam hoc demum anno perlata in Pluto a me sero potuit adhiberi, quia haec fabula iam sub prelo esset. At diligenter curavi, ut, quidquid novi contineret, id huic volumini in Addendis integrum et passim a me diiudicatum accederet. In quo quidem cum voluptate animadverti, criticum hunc celeberrimum plerumque idem ac me probasse, nec semper rectius vidisse, ubi aliter senserit. De hac editione tacitae vel alienae doctrinae plena, quae praeter scitam Aristophanis fabularum recensionem et collationes quinque codicum nihil novi repraesentat, quid censeamus, breviter significavimus infra in editionum recensu sub nr. 52.

Graeca fecunditas exuberat, ad suam consuetudinem identidem revocaret, natura quasi tulit, ut eius usum eruditorum nationi faciliorem et suaviorem reddendi mihi nasceretur desiderium. Iam, ut agam pingui Minerva, hanc novam Comici editionem, quam paro, ita moratam volui, ut, qui me omnia de integro tractantem consuluerit, non minus sapiat, quam si ceterorum editorum notas nimis saepe verbosas rebusque alienis refertas perlustraverit: immo ad sexcentos locos hucusque inaccessos viam munivi totidemque luce primus donavi. Sit igitur Berglerus ille clarus, cuius diligentia multis locis adhibita est medela; ornetur eximia laude Kusterus, qui studio et opera assidua, quae tunc temporis multos latebant, primus investigavit; iniiciat cuivis admirationem sui Spanhemius ob doctrinae copiam etsi inconditam; habeantur viri egregii Hemsterhusius et Brunckius, qui ingeniis praediti uberioribus altius saepe ceteris permulta petiverunt; sint in aeterna gloria viri ceteri de Aristophane optime meriti, quos, quum adhuc in vivis sint, posteritati relinquo nominatim celebrandos; anteponatur omnibus Bentleius, qui divina subtilitate et incredibili, quo pollebat, acumine ingenii ad locos desperatos aditum invenire sciebat; erit fortasse inter horum laudes aliquid loci et studiis nostris; quamquam quid de his alii iudicent, videant ipsi. At quae praestiterim, praestare saltem voluerim, ne aliter, ac velim iudicentur, deinceps significabo.

In orthographia constituenda eam legem secutus sum, ut, quae manifesta et indubitata sunt, inde exorsus, quae ambigua aut minus certa essent, secundum analogiae rationem diiudicarem. Multi ad codicum auctoritatem constanter provocantes in scriptorum veterum verbis nihil extrinsecus corrigi patiuntur; quae quidem ratio, si verba integra vel verborum ordo in discrimen adducuntur, coniecturis temere saepe factis modum positura, critico cuique religiose servanda est; at ubi non vocabulum ipsum agitur, sed vocabuli alicuius scriptura, tum libris manuscriptis fidem tantam ego habere non possum, quantam nonnulli habent. Nam librorum ab hominibus nullius plerumque nominis, immo ab indoctorum vel sciolorum manu exaratis quanta est, quanta potest esse auctoritas in rebus, quae sunt ita reconditae et ita in linguae natura et indole, caute subtiliterque exploranda, positae,

ut viros cuiusvis aevi eruditissimos et sagacissimos fugerent? Quid multa! Ad quaestionem me conferam, ex qua melius apparebit, quam verbis indicare possim, quo sensu, quae monui, accipienda sint.

Quantopere doctrinam de crasi et cognatis vocum passionibus, quae dicuntur, editorum incuria et inconstantia perturbaverit, vix dici potest. Pauciores ortae essent turbae, si viris doctis placuisset, a praeceptis simplicibus exire et leges a grammaticis antiquis sancitas accuratius perpendere. Aut aphaeresin et crasin commiscent [2]), aut singulum craseos genus separatim tractant, non quaerentes, quid crasis sit, neque unde de craseos accentu sit instruendum iudicium. E libris manuscriptis frustra quaesieris arma; summa enim in his inconstantia. cf. Variet. lect. Plut. v. 218. 232. 362. etc.

Quum igitur opiniones recentiorum non minus vacillent, quam veterum scholiastarum; primum nomina certa statuenda, saltem revocanda sunt: *Συναλοιφή* sive *Συναλιφή* [3]) est genus; eius species sunt tres: *ἔκθλιψις*, ubi in fine vocabuli monophthongus vel diphthongus eliditur, ut *βούλομ' ἐγώ*; *ἀφαίρεσις*, ubi vocalis in vocis initio absumitur, ut *βούλομαι 'γώ*; *κρᾶσις*, ubi monophthongus in fine alterius vocabuli cum monophthongo in initio alterius coit, ut *βουλομἀγώ*. Iisdem verbis exemplo usus sum, non quasi ex arbitrio penderet, quam harum figurarum praeferres, sed ut res magis esset perspicua. Nam duplici via vocum duarum fit unio, aut per abiectionem vocalis, aut per contractionem; illa committitur in ecthlipsi et aphaeresi, haec in crasi. Veteres autem synaloephen definiunt esse duarum syllabarum unionem per vocales: *συναλοιφή ἐστι δυεῖν συλλαβῶν ἕνωσις κατὰ φωνήεντα* (Trypho Grammat.). Unio autem vocum, quae fiebat per consonantes, dicebatur *ὑφ' ἕν*, ab *συναφῇ* quod distinguebatur [4]).

---

2) ut Godofr. Hermannus, V. C., Element. doctr. metr. p. 134., C. Reisigius Syntagm. crit. in ed. Aristoph. Nubb. p. 80. et alias. et Lobeck. ad Soph. Aiac. p. 355. Nam veteribus diserte docentibus *ἀφαίρεσις ἐστὶν ἔνδεια κατ' ἀρχήν, οἷον 'κεῖνος ἀντὶ τοῦ ἐκεῖνος, αἶα ἀντὶ γαῖα. τὸ δὲ πάθος Ἰώνων.*

3) Sic rectius scribimus cum Eustath. p. 1561, 5. quam alii *συναλοιφή*.

4) Hyphen voculas diversas, quae coniunctim unam notionem complectuntur, re vera coniungit, ut *τοκαράκαν*; synaphe vero constructio-

Ceterum quum grammatici veteres in nominibus passionum vocabulorum deprehendantur curiosi, eorum notiones quaedam observandae sunt diligentius. Schol. Venet. ad Hom. Il. α. 567. non ἔκθλιψιν et ἔλλειψιν permutat, dicens ἀπὸ τοῦ ἰάπτω τὸ ἀϊάπτους, καὶ κατ' ἔλλειψιν τοῦ ῑ ἀάπτους; nam ellipsis fit, ut ipsum exemplum hoc docet, in medio vocabulo, ecthlipsis in voce exeante. Quare recte Trypho: ἔλλειψις, inquit, ἐστὶν ἀποβολὴ φωνήεντος κατὰ μέσον οὐ ποιοῦντος συλλαβήν, ἀμύξαι ἀντὶ τοῦ αἰμύξαι. Deinde in discrimen veniunt παράδοσις sive παραγωγή, cuius generis appositio oritur in figura hyphen, et παράθεσις, ubi voces non uniuntur, ut in synaphe, et σύνθεσις vera compositio, de qua nemo non consentit.

Iam primum habes, quod mireris, editores recentiores scriptoribus Atticis aphaeresin ita intrusisse, ut locis longe plurimis crasis, necessitatis quasi progenies, expelleretur, quamvis veteres tradant, aphaeresin esse Ionibus propriam (ut Trypho et Eustath. p. 842, 46.). Quare Elmsleius ceteris aptius craseos usum ampliorem fecisse videtur, qui bene, opinor, animadvertit ad Eurip. Heraclid. v. 460., nullam vocalem in initio vocis elidere Atticos, nisi *E*, eamque tantum in certis quibusdam vocibus. Crasis autem elisionis et aphaereseos merito haberi potest delenimentum. Ex quo craseos officio, sit verbo venia, recte exorditur, si quis de eius scriptura velit iudicare. Hic velim, me linguae Graecae indolem perscrutaturum attentius sequare.

Quum fieri necesse esset, ut per ecthlipsin vocabula quaedam in consonantes exirent, quae, quia nusquam in finibus vocum conspiciantur, ab ore Graecorum abhorrebant, factum est, ut

---

nis causa poni solita est, quum pluribus vocabulis, quae cohaerebant sensu, adponeretur, etiamsi non unirentur. Sic scholiasta Venetus, qui prae ceteris grammaticorum veterum de hac re praecepta servavit, ad Homer. Il. ν. 396. verba ἐσθλὸν ἀλεξητῆρα μάχης signo synaphes notari iubet: ἐκ τῶν τριῶν λέξεων ἓν σημαίνει, ἐν πολέμῳ ἀγαθόν. θετέον οὖν ἐπ' αὐτὸν τὴν συναφὴν σύνδυο τῆς τε πρώτης καὶ δευτέρας καὶ τρίτης λέξεως. δύναται δὲ καὶ τὸ ἐ-σθλὸν καθ' ἑαυτὸ εἶναι. Idem tamen ad Il. ν. 237. de pari vocum nexu statuit synaliphen, nisi errore scribarum ibi nunc exstat συναλοιφή pro συναφή, quae certe facile poterant commutari. Idem coniecisse videtur Bekker. cf. eius indic. vv. συναφῆς exempla.

ambo vocabula in unum consociarentur. Nimirum omnes Graecorum voces exeunt aut in vocales, aut in has tres consonantes ν, σ et ρ, excepta praepositione ἐκ. Inde apparet linguam Graecam ita moratam fuisse, ut ceterae consonantes in exitu vocabulorum enuntiari non possent. Huius rei et testis est dialectus Homerica, in qua praepositiones, quae etiamtunc monosyllabae erant, quamvis a substantivo suo seiunctae, ad eius consonantem initialem se accommodarunt: κὰκ κεφαλῆς, κὰδ δώματα etc. Quae cum ita sint, vereor, ne Graecus homo ἐπ' ἐμοῦ, ἀφ' οὗ etc. pronuntiare potuerit. Et quum summa orthographiae lex valeat, ut literae oculis pares sint indices, atque soni auribus, haud scio an etiam in ecthlipsi scribendum sit ἐπἐμοῦ, ἐφ'οὗ etc. Postquam vero spiritus asper suam vim in consonantes praecedentes habuit, non explodendus est ut inutilis et ab enuntiatione alienus. Quamvis enim vulgo scribantur ἀφικνεῖσθαι, ὕφυγρος, ὑφαρπάζω, neque tamen sequitur, eodem iure scribi posse νυχθὅλην, ἀφοῦ etc., quum per ecthlipsin fieret appositio (παραγωγή s. παράδοσις), non compositio (σύνθεσις), et in appositione ipsa vocalis sequens suam etiam retineret aspirationem, quam in compositione nunc quidem abiicere creditur. At veteres iam incerti erant, utrum spiritus asper etiam in compositis vocabulis servandus sit, nec ne. Adiicio veterum de hac re iudicia apud schol. Venet. ad Homer. Iliad. servata: ad Iliad. ο. 705. dicit Dionysium Halicarnassensem contra Herodianum praecepisse, ut in vocibus compositis spiritus asper teneretur, nisi essent nomina propria: φίλιππος (qui equos colit), Φίλιππος (rex Macedo); ὠκύαλος (v. c. ναῦς navis celer), Ὠκύαλος (nomen herois). Eadem fere iterat ad Il. ε. 76. et 609. ubi breviter: τὸ δὲ Ἀγχίαλον ψιλωτέον· κύριον γάρ. et Θ. 276. Πολυαιμονίδην Ἀμοπάονα καὶ Μελάνιππον· ψιλωτέον πάντα, ἵνα κύρια γένηται. Ut Dionysius et Herodianus de eiusmodi vocabulis dissidebant, ita Aristarchum adeo cum Lysania grammatico referunt de spiritu vocis ἐσήλατο certasse ad Iliad. κ. 558., ubi Aristarchus scriptum voluit ἐσῆλατο, Lysanias contra ἐσήλατο, ille quod etymon accepit ἅλλεσθαι, hic σάλασθαι. Inde certe manifestum est, veteres spiritum in compositis non neglexisse, quem nos obscuramus. Quare alias praecipiunt breviter: δασυντέον τὸ μελιηδέος ad Il. δ. 346. vel δασύνεται τὸ

ξυνέηκεν ad Iliad. α. 8. [5]) συνημοσύνας· δασυντέον ad Il. χ. 261. συνώμεθα· τοῦτο δὲ Ἀρίσταρχος δασύνει, ὑγιῶς. ταὐτὸν γὰρ τῷ συνθώμεθα. ἐσχημάτισται οὖν ἀπὸ τοῦ ἵημι. δηλοῖ οὖν τὸ κατὰ τὸ αὐτὸ ἀφῶμεν τὰ τῆς διανοίας. εἰσὶ μέντοι οἳ ἐψίλωσαν, οὐκ εὖ. ad Iliad. ν. 381. Illud igitur praeceptum Aristarchodionysiacum non de nihilo est. Ascalonitae vero difficultas, qui in εὔαδεν lenem spiritum voluisse fertur ad Iliad. ξ. 340., nihil ad hunc locum pertinet, quum, qui spiritum asperum volunt, non compositionem urgere videantur, sed distractionem primae syllabae ex ἕαδεν (ἔϜαδεν). At scholiastae verba praetermittere non possum: καὶ ἔχομεν ἐκεῖνο εἰπεῖν, ὡς εἰ ἴδιον συνθέτων λέξεων τὸ καὶ κατὰ μέσον δασύνεσθαι, οἴδαμεν δὲ καὶ τὸ ἅδε ῥῆμα συνεχῶς παρὰ τῷ ποιητῇ. καὶ οὕτως ἐφυλάχθη τοῦ ῥήματος ἡ δασεῖα ὡς ἐν λέξει συνθέτῳ. Quidquid fuerit in compositione tributum spiritui aspero, nunc non moror; fuisse autem in ecthlipsi aliquod vocalis elisae et vocum unionis indicium auribus, quum per se intelligitur, tum ex iis apparet, quae scholiastae ad Euripid. Orest. 269. et ad Aristophan. Ran. 306. referunt. Dicunt autem ab histrione versum hunc: ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ, quia synaliphe non significata esset, ita pronuntiatum esse, ut spectatores *felem* pro *malacia* intelligerent. At vereor, ne non solum scholiastae ipsi, sed etiam eorum interpretes narratiunculam false ceperint. Scholiasta Euripidis, qui Aristophaneo clarius loquitur, haec habet: κεκωμῴδηται ὁ στίχος διὰ Ἡγέλοχον τὸν ὑποκριτήν· οὐ γὰρ φθάσαντα διελεῖν τὴν συναλοιφήν, ἐπιλείψαντος τοῦ πνεύματος, τοῖς ἀκροωμένοις τὴν γαλῆν δόξαι λέγειν τὸ ζῷον, ἀλλ' οὐχὶ τὰ γαληνά. Ridicula illa inversio non orta est ob *elisam ultimam vocalem*, ut Kusterus opinatur ad Ran. 306., haec enim omnino elidenda fuit, neque ob *spiritum neglectum*, ut Matthiaeus voluit. Nam verba ἐπιλείψαντος τοῦ πνεύματος non si-

---

[5]) Quae lex si valuit, formam οὐδὲν non amplius miraberis quippe scriptam ab antiquis οὐδἕν. Simile quid certe indicare videtur scholion ad Iliad. χ. 332. p. 598. ap. Bekker. οὐδέν· ψιλοῖς, ἵνα παρέλκῃ τὸ δεν· δύναται δὲ καὶ δασέως (h. e. οὐδἕν). Ergo alii syllabam δεν paragogicam habebant, quam adsciverit negatio οὐ, alii οὐδὲ ἕν acceperunt, quod certe veri est similius, quia deinde plenum occurrit.

gnificant, *quia spiritus neglectus esset*, quippe qui hinc non pertineret, sed *quia anhelitus* sive *anima deficeret*. Idem subest verbis scholiastae Aristoph. l. l. προστάντος αὐτῷ τοῦ πνεύματος h. e. *quia impedimento esset spiritus defectio*. Quum enim histrio, anhelitum denuo ducens, synaliphen perficere non posset, vox eius in extrema syllaba vocabuli γαλήν' ex acuto tono descendit in gravem (` sive ˜) et γαλῆν pro γαλήν' protulit. Peccavit igitur in accentu significando. Utcunque fuerit, aliquid tamen indicii auribus in synaliphe fuisse, necesse est. Sed in scriptura elisionis (ἐκθλίψεως) consuetudinem ab antiquitate sancitam non deserui, quia haec vocum passio, licet longe frequentissima, non solum in interpunctione deprehenditur, sed etiam, voculis pluribus haud raro consociatis, verba sesquipedalia gignit, nisi ad certas quasdam formas redacta finibus suis, adhuc explorandis, circumscribitur. Interim haec praemisi, ut viam ad crasin aperirem.

Quod accentum craseos attinet, Grammaticorum veterum primaria regula fuit, *ut in crasi accentus primae vocis expelleretur et accentui alterius prorsus cederet* [6]), nisi dictio enclitica in censum veniret. Quod Reisigius Syntagm. Crit. p. 29. de triplici quodam craseos genere dixit, id quantillum valeat, hinc potest iudicari.

Necesse fuit, ut duo vocabula per crasin unita post unionem pariter uno accentu pronuntiarentur, ac si per hyphen coniuncta essent: efficiunt enim unum verbum, quod uno plures accentus habere nequit. Ut igitur per hyphen fiunt τολοιπόν, δηλονότι etc., ita per crasin prodire necesse fuit κἀγαθός, κἀγώ. Quam regulam etsi editores nostri aevi teneant universim, passim tamen vagantur et miras creant vocum formas, ut τἆλλα, θἠμέρᾳ, ἐγῷχόμην, ὦταῖρ', ὦνδρες, ὦγαθέ, ὦγάθ', ὦδέλφ' etc., quum haec scribenda essent, τἄλλα, θἠμέρᾳ, ἐγᾦχόμην, ὠταῖρ', ὤνδρες, ὠγαθέ, ὠγάθ', ὠδέλφ' etc. Immo ita inconstantes sunt, ut apud unum eundemque invenias formas sibi prorsus repugnantes, v. c. τοὖπος et τἄλλα Aeschyl. Suppl. 406. 512. 601. ed. Haupt. coll.

---

6) v. c. Schol. Ven. ad Il. Θ. 229. δὴ φάμεν· οὐκ ἀναγκαῖον ὀξύνειν τὸν δή, ἵνα κρᾶσις γένηται. Vult enim δὴ ἔφαμεν crasi necti δῆφαμεν.

videbatur. Quare apud me quoque nunc editum habes μοὖστὶ et quae sunt id genus alia.

Superest adhuc, ut eiusmodi craseos accentus diiudicetur, quae iungit tria vocabula, ut οὔ 'γὼ 'πιλελήσμην: sic enim vulgo scribunt. In his quoque verborum correptionibus vox loquentis ad finem properans supervolat accentus nec potest omnibus iis syllabis accinere, quae extra crasin accentum habebant. Quum crases huiusmodi nusquam obviam fiunt, nisi in versibus, optimos duces se nobis offerunt ictus et arsis legem commendantes, ut syllabae, quae in arsin incidant, crasi admissa quoque accentu notentur, si antea accentu gaudebant. Ut igitur Acharn. 625. duplex servandus est accentus in οὔγὼπιλελήσμην, ita unus sufficit in Pac. 64. οὐγὦλεγον. Recte etiam, opinor, scribi illud Ran. 509. περιόψομἀπελθόντ', quia prius vocabulum est compositum. E figura hyphen, secundum quam de accentu craseos iudicium fieri supra dixi, hic loci arma noli contra me petere. Hyphen enim vocibus duabus vel tribus sociatis unam notionem tribuit. Ampliores igitur crasis si efficit uniones, notionibus primariis accinendum esse videtur.

Iam videndum est, quam contractionis regulam in crasi veteres servatam voluerint. Crasis est duarum vocalium, quae duobus vocabulis sunt, commixtio per contractionem. Crasin eam dixerunt, quia duo verba antea disiuncta nunc vocalium complexione et copulatione ita commiscebantur, ut efficerent unum ex duobus. Ergo crasis sine contractione fieri non potest, eamque ob causam ab ecthlipsi et aphaeresi, in quibus nulla comparet contractio, facile potest discerni.

Sequebantur vero grammatici veteres in crasi easdem contractionis normas, quas in verbis mediis et exeuntibus tenebant, easque, si articuli et particulae καὶ variationes quasdam excipis, constanter tuebantur [8]). Res agitur per se quidem simplicissima, tum a veteribus clare tradita, tum a maioribus nostris bene con-

---

8) De articulo in crasi docte disputavit Reisigius Syntagm. Crit. p. 27 sq. cf. et Monk ad Eurip. Hippolyt. p. 125. De copula καὶ ante εν et negationem nunc quidem omnes consentiunt.

stituta, quam tamen nostrates, quos honoris causa non nomino, mire confundebant. In manibus mihi sunt Urbani Belluensis Institutiones linguae Graecae [9]), qui Tryphone Grammatico duce crasin ita perspicue docet, ut, minutiis paucis exceptis, nihil fere remaneat, quod dubitationem movere possit. Breviores quidem, sed aeque constantes sunt grammatici eiusdem aevi Melanchthon [10]), Oecolampadius [11]), N. Clenardus [12]). Quibus ducibus craseos loca, quae supersunt, ambigua expediam. Trypho Grammaticus, qui aphaeresin, ut *ἔνδειαν κατ' ἀρχὴν* et *πάθος Ἰώνων*, Atticis abiudicat, apud Urbanum l. l. p. 491. haec habet:

Συναλοιφή ἐστι δύο συλλαβῶν κατὰ φωνήεντα ἕνωσις καταβολῇ τόνων. γίνεται δὲ κατὰ τρόπους ἑπτά· ἁπλοῦς μὲν τρεῖς, κατὰ ἔκθλιψιν, ἐπ' ἐμέ ἀντὶ τοῦ ἐπὶ ἐμέ· κατὰ κρᾶσιν, τἀμά ἀντὶ τοῦ τὰ ἐμά· κατὰ συναίρεσιν νηρῇδες ἀντὶ τοῦ νηρηΐδες. συνθέτους τέσσαρας, κατὰ ἔκθλιψιν καὶ συναίρεσιν, ἐμοὐποδύνει ἀντὶ τοῦ ἐμοὶ ὑποδύνει· κατὰ κρᾶσιν καὶ συναίρεσιν, ᾦπόλος ἀντὶ τοῦ ὁ αἰπόλος· κατὰ ἔκθλιψιν καὶ κρᾶσιν, κἀγώ ἀντὶ τοῦ καὶ ἐγώ· κατὰ ἔκθλιψιν καὶ κρᾶσιν καὶ συναίρεσιν, ἐν τᾀθιοπίᾳ ἀντὶ τοῦ ἐν τῇ αἰθιοπίᾳ.

Quae quatuor craseos genera extremo loco posuit, in iis, si Seidlerum exceperis, editores nunc mirum quam dissentiunt. Nam crases illas, quarum exempla posuit *ἐμοὐποδύνει*, *ᾦπόλος*, *τᾀθιοπίᾳ*, haud raro aut neglectas, aut cum aphaeresi commutatas vides. Sophocl. Oed. Tyr. 932. 1039. *οἱ 'πιχώριοι.* 962. *τῷ 'μῷ πόθῳ*, pro quo Reisigius recte quidem suadet *τὠμῷ*, is tamen ibidem (Syntagm. Cr. p. 29.) immerito reprehendit Brunckium, quod scripsit *τοὐῤῥοπυγίου* et *τοὐλυμπίου* pro *τοῦ 'ῤῥοπυγίου*. At nulla Graeca vox duplici *ῤ* incipit, nec, ut Elmsleius recte no-

---

9) Urbani Belluensis Institutionum linguae Graecae libri duo. Basileae per Hier. Curionem. 1544. 4.

10) Libellus Graecae grammaticae Phil. Melanchthonis., ed. per Ioach. Camerarium. Lipsiae in offic. Val. Papae. 1562. 8.

11) Graecae literaturae Dragmata, Io. Oecolampadio auctore. Basileae ap. And. Cratandrum. 1521. 3.

12) Institutiones absolutissimae in Graecam linguam, Nicol. Clenardo auctore. Lips. ap. Io. Steinmann. 1577. 8.

tat, alia praeter ε vocalis ab initio apud Atticos eliditur, eaque tantum in certis quibusdam formulis. Haec enim, quae per elisionem fit et complexionem, ut grammatici veteres tradunt, crasis est legitima. Nam in τοῦ ὀῤῥοπυγίου eliditur ῡ articuli et ambo ō coeunt per contractionem in ου, ut in οὔλύμπιος, quod idem Reisigius Nubb. 365. recepit. Non exstinguitur alterum ō post ου, ut Porson dicit ad Eurip. Hecub. 734. Pariter τοῦ 'νόματος, πάππου 'τιθέμην, ἀπὸ σαυτοῦ 'γώ Nubb. 62. 65. 384. scribenda fuerunt τοὐνόματος, παπποὐτιθέμην, ἀπὸ σαυτοὐγώ. Cur ἐμὐποδύνει crasis sit magis Attica, quam ἐμοὐποδύνει, ut Elmsl. placuit ad Eurip. Med. 801., equidem non video. Vereor potius, ne unquam Graecus homo ἐμὐποδύνει dixerit. Cum Tryphone ceteri constanter eadem docent, ut schol. ad Aristoph. Vesp. 34. qui verbis τοῖς προβάτοις μοὐδόκει adiicit haec: τὸ πλῆρες τοῖς προβάτοις μοι ἐδόκει· καὶ ἔκθλιψις καὶ κρᾶσις. et schol. Ven. ad Hom. Il. σ. 458. τὸ ἐμῷκυμόρῳ ἔξω τοῦ ῑ· συνεκθλίβεται γὰρ τῷ ω̄ τὸ ῑ. Similiter ex ἐπεὶ ἐδάκρυσα et ταχεῖ ἐπόρευσαν non fiunt ἐπεὶ 'δάκρυσαν et ταχεῖ 'πόρευσαν, ut Lobeck. ad Aiac. p. 355. voluit [13]), sed ἐπειδάκρυσαν et ταχειπόρευσαν. Hic ne obliviscere, diphthongum ει ortam esse ex εε contractis (ἐπε(ι)εδάκρυσαν), non relictam ex ἐπεί. Quod autem Lobeckius et Reisigius, VV. CC., putarunt, praestare scribere τοῦ 'μοῦ etc. ut discerneretur τὸ ἐμοῦ et τοῦ ἐμοῦ, id nisi tironis inexercitati causa non scribendum esset. Regulae, quam tractamus, adversari videtur, quod legitur Nubb. 93. et alias τῳκίδιον. Secus est. Hic enim iota non inter duas vocales est, sed eas sequitur, ubi elidendi nulla causa apparet. Quamobrem in his formis oo producuntur in ω̄, sicut in augmentis verborum, ut iota subscribi possit. Huc pertinere videntur, quae Eustath. p. 482, 21 sq. profert: ἰστέον δὲ καὶ ὅτι, ὥσπερ σόος σῶς κατὰ συναίρεσιν τῶν δύο μικρῶν ο̄ εἰς μέγα, καὶ πρόορα πρῷρα, καὶ ὁμοορόφιος ὁμωρόφιος, καὶ τὸ οἰκίδιον τῳκίδιον, οὕτω καὶ ἀνεμώλια κ. λ. In eundum modum iudicari se patitur ῡ, si

---

[13]) Quamquam augmentum aphaeresi obnoxium esse concedo; haec enim ut una aphaeresis scholiastis in augmenti defectione placuit, quam Ionibus et Homero in consuetudine fuisse passim commemorant.

post alteram craseos vocalem locum habet, ut in μὠυτός h. e. μὴ αὐτός. Ubi vero ι et υ intercedunt vocalibus, elidenda sunt, ut monophthongi relicuae contrahi possint. In voce ἐστί frequentissima sane, paucis exceptis, crasis imprimis videtur restituenda. Atque μοὐστίν et σοὐστίν iam Reisigius (Synt. Cr. p. 26.) et alii probarunt; nihilominus apud Reisigium resident ποῦ ἔστιν; ὅπου ἔστιν; etc., quae aeque praeter analogiam et legem craseos sunt, atque Invernizii, Matthiaei aliorumque ποῦ 'στιν; etc. Reisigius de his l. l. „Postremo, inquit, commemorandum est genus quoddam craseos non scribendo sed pronuntiando duntaxat accommodatum, quam synizesin vocant. In hoc numero habenda sunt ὅπου ἔστιν, ἐκείνῳ ἔδωκεν, πλεῖστοι ἔθανον, οὔπω ἔπιον, male vulgo formata.“ At eiusmodi synizeseos sive synecphoneseos exempla nusquam memini a veteribus grammaticis prolata esse, quippe qua duas vocales eiusdem vocabuli enuntiando complecterentur. Etiamsi ad duas voces monosyllabas vel breviores quasdam locutiones pertineret, ut μὴ οὐ vel ἢ οὐχ ἅλις, quo Homerus praeivit, neutiquam tamen in verbis maioribus locum habere potest. Immo in ἢ εἰδότος Eurip. Iphig. Taur. 1048., quod editores Britanni tuentur, ἢ monosyllabum synizesin pati posse, non negaverim, quia enim vox est monosyllaba, at ἐκείνῳ ἔδωκεν et id genus alia quomodo synecphonesi obnoxia esse possint, non video. Memini quidem Aristarchum maiora vocabula similiter iunxisse, at id neque crasin vocarunt, neque amplius quam in Homerum extenderunt veteres. cf. Eustath. p. 12, 11—32. et p. 25, 21—38. Neque vero scripturam vulgatam probo; ex analogia potius crasin admittendam esse duco, ut πλειστοῦθανον Aeschyl. Pers. 488. (496. Blomf.) ἐκεινὠδωκεν Soph. Aiac. 1282. Urbanus l. l. p. 494. exhibet ποὖστι, addens, eliso υ subiunctiva vocali, ο et ε in ου contracta esse, pariterque μοὖστι ex μοί ἐστι et alia huiusmodi fieri. Quin hoc verum sit, non dubito. Dubito de accentu solo, de quo supra disputatum est.

Offendunt porro δὴ 'νταῦθα Nubb. 62. μὴ 'μμένων Eurip. Med. 749. (Matth.) μὴ 'γγελᾷς ibid. 1352. μὴ 'λλίπωσιν nostri Plut. 856. et similia, quae Elmsleius quoque tuetur ad Eurip. Med. v. 1329. At quis Graecorum haec eloqui potuerit? Iidem

editores quum scriberent alias τῆμῆ, ἐν τῆκκλησίᾳ etc., analogia servata exhibere debebant μῆμμένων, μῆγγελᾶς, μῆλλίπωσιν. Haud procul a vero aberat Elmsl. ad Eurip. Heracl. v. 460., ubi pro similibus formis μὴ 'μαθεῖ, μὴ 'ποτίσασθαι crasin accepit μάμαθεῖ, μάποτίσασθαι. Crasis quidem recte se habet, sed ῆ cum ᾶ in ῆ coeant necesse est, si quidem contractionis regulae, ut monitum est, in his valent: μῆμαθεῖ, μῆποτίσασθαι. Aliud est ἁρετή, ἐν τᾀθιοπίᾳ, ubi ῆ et ᾶ non efficiunt ῆ, quia articulus, qui alias quoque absorbetur, non praevalere solet; ita et ἧξοδος ap. Reisig. Synt. Crit. p. 23. [14]) Ut denique τὠμῷ probatur, ita et φρονὤγώ, φερὤγώ, ἐχὤγώ etc. pronuntianda et literis exprimenda sunt. Etenim si quidquam est, quod cum antecedente vocabulo pro natura sua coalescit, id est pronomen primae personae ad primam verbi personam adpositum.

Particulae καί cum diphthongo ευ contractionem legitimam κῆυ in crasi evitare voluerunt grammatici veteres, pariterque si coalesceret cum ει et negatione recta, ut illud κἐυ, haec κἐι et κὀυ scriberentur. Similius hoc esse videtur ecthlipsi, quam crasi; nihilominus ex praeceptis veterum vera sunt, quae ubique eduntur κεὐτυχοῦμεν, κἐι, κἐυθύς, κὀυ etc. Chr. D. Beckium virum, εἴ τις ἄλλος, humanum ac modestum, qui καὐδαίμων Aristoph. Avv. 37. suaserat, verbis durioribus reprehendit Reisigius l. l. p. 30. Falsa quidem ista forma est, quamvis similem (κἀνδαίμων) Dawesius commendasset Misc. Crit. p. 300., quam inter Britannos incuriose tuitus est Porson et in nostri Plut. 652. induxit, Dobraeo modeste tacente.

Restat adhuc iudicare de iota subscripto, quod tempore recentiore in crasi denuo poni coeptum est, etiamsi syllaba secunda, crasi non admissa, isto careret. Quum tamen hic mos iterum evanuisset et praeter Fridericum fratrem, quem patris loco habeo, neminem invenisset, prout memini, patronum idoneum, alios homines introducam pro me docentes. Hoc unum monitum volui: utrum iota subscribendum sit, an explodendum,

---

[14]) Pariter ῆκὶ τὠμῷ κάλλος ἐκτήσω γάμῳ. Eurip. Hel. 1103. quod Elmsl. ad Eurip. Med. 212. ῆ 'κὶ etc. citat. Recte vero Eurip. Bacch. 49. τἀνθένδε.

id neque e libris mss., neque ex inscriptionibus antiquis, neque e Novograecorum lingua, sed ex praeceptis grammaticorum veterum et analogiae legibus discerni debere.

Tryphonis praeceptum supra vocatum ut interpretaretur Urbanus haec protulit: „*Si ex quapiam diphthongo praecedente* διὰ τοῦ ῐ *et ex quavis vocali sequente crasin fieri contingit, ῐ, quae est subiunctiva vocalis diphthongi, cum inter duas vocales forte existat, prorsus exteritur, nec facta crasi amplius admittitur: ut* καὶ ἐγώ κἀγώ, *ubi, subtracto* ῐ κατ' ἔκθλιψιν, ᾰ *et* ε̄ *in* ᾱ *productum* κατὰ κρᾶσιν *contracta sunt. Sic* τῷ ἐμῷ τὠμῷ, ἐμῷ ὠκυμόρῳ ἐμὠκυμόρῳ χωρὶς τοῦ ῐ· ὅτι οὐδέποτε κρᾶσις γίνεται τοῦ ῐ μέσου ὄντος, οὕτως ὁ Ἐτυμολόγος. *Hoc eodem modo* συναλοιφὴν κατὰ ἔκθλιψιν καὶ συναίρεσιν *fieri contingit, ut supra dictum est: ut* ἐμοὶ ὑποδύνει ἐμοὐποδύνει, *ubi,* ῐ *ex* οι *diphthongo prius expuncto,* ō *et* ῡ κατὰ συναίρεσιν *in* ου *diphthongum contracta sunt. At si contra eveniat, ut ex aliqua monophthongo praecedente et diphthongo* διὰ τοῦ ῐ *sequente crasis fiat,* ῐ *quidem diphthongi, cum post se nihil habeat quod obstet, facta crasi ex praecedentibus vocalibus iterum in diphthongum admittitur: ut* ὁ αἰπόλος ᾡ'πόλος, *ubi,* ō *et* ᾰ κατὰ κρᾶσιν *in* ῶ *contractis,* ῐ *in diphthongum impropriam sumptum est.*" Sic rectissime Urbanus. Etenim si iota primae diphthongi subscribendum esset, hoc fieri non posset nisi per hyperthesin, quae dicitur; at hyperthesis a crasi prorsus aliena est. Iota enim intermedio servato, nullo modo possunt vocales per crasin coire.

Editorum inconstantia me commovit, ut subunionis, quae ὑφ' ἕν Graecis dicitur, naturam et leges accuratius investigarem. Est autem subunio synaliphae similis, nisi quod in vocabulis locum habet, quae nulla litera mutata coeunt. Veteres quidam voces subunitas, ut brevitatis causa hoc verbo utar, non coniunctim scripserunt, sed virgulam versui circumflexam hanc ‿ supposuerunt, ut ὅπωσ‿οὖν, ita ut omnes quidem accentum prioris vocabuli eiicerent, nonnulli vero spiritum secundae vocis, si qui fuit, servarent. Mihi quidem de accentu et spiritu subunionis aequae leges esse videntur, atque craseos, nimi-

rum ut unius tantum voculae accentus isque secundae praevaleat, nisi dictiones encliticae agantur, quarum accentus e vocabulis antecedentibus iudicantur. Nam ἡ ὑφὲν συνάφεια δυεῖν λέξεών ἐστιν [15]). Atque in his grammaticorum praecepta non discrepant. Sic schol. Ambros. ad Hom. Od. κ. 169. καταλοφάδια ὑφ' ἓν ἀναγνωστέον καὶ τόνῳ καὶ σημαινομένῳ. coll. schol. Harl. ad Od. μ. 98. Tres adeo voces per subunionem coniunctim pronuntiabantur; nam δυοκαίδεκα et similia subuniones appellantur. Unde colligere potes, Theodorum l. l. parum recte dicere, ὅτι ἡ ὑφὲν συνάφεια δυεῖν λέξεων. Sic schol. Ven. ad Hom. Il. β. 857. δυοκαίδεκα ὑφ' ἓν ἀναγνωστέον. Πάμφιλος δὲ τρία ποιεῖ καὶ κατὰ παράθεσιν ἀναγινώσκει. At quorsum haec? quia grammatici audiendi, antequam ex ingenio linguae Graecae explorare aggrediar, quod quidem ita moratum fuit, ut notiones plures in unam contraheret et contractas in unam pro una haberet. A verbo exeamus: φεύγειν *fugere*, ὑποφεύγειν *clam fugere*, ὑπεκφεύγειν *clam* et *e loco vere fugere*, ὑπεκπροφεύγειν *clam* et *e loco* et *in alium locum subterfugere*. Pariter ὑπεκπρορέειν et ὑπεκπρολύειν Hom. Od. ζ. 87. 88. In his notionibus exprimendis, quas vivax et subita mens Graecorum iam antiquissimo tempore complexa est, aliis linguis plura vocabula seiunctim posita opus sunt. At iam Homerus, qui coniunctim ὑπεκπροφυγεῖν habet, notiones adverbiales, quae praepositionibus continentur, per tmesin quidem, in tmesi tamen coniunctas posuit Od. ι. 489. ἵν' ὑπὲκ κακότητα φύγοιμεν. Iam quum eandem legem etiam in ceteris vocabulis, quae coniuncta unam notionem exprimunt, valuisse grammatici testentur, vereor, ne barbare pronuntiemus et scribamus, si scissim proferamus, quae Graeci coniuncta esse voluerunt. Quare in Aristophanis fabulis subunio vocum, ab editoribus saepe neglecta, restituenda fuit. Ita in hoc primo volumine τοπαράπαν 17. 847., δηλονοτιή 48. 823., ἐξότου 85., τριακαίδεκα 194., ἐξαρχῆς 221., τολοιπόν 317. 776., μεταυοῦτο 95. 723., προτοῦ 95. 1002. etc. in suas sedes redierunt, ubi coniuncta unam notionem complectebantur. Nam δῆλον ὅτι χρηστὸς εἶ h. e. *manifestum est, te bonum esse*, et δηλονότι χρηστὸς εἶ,

---

[15]) Theodorus Gaza. Basil. 1541. p. 41.

manifeste bonus es, non pari ratione dicuntur. Ubi *τὸ λοιπόν*, *ἐξ ἀρχῆς* et similia substantivi munere funguntur, subunio omnino evitanda est; sin autem meram adverbiorum significationem induunt, necessario per subunionem scribenda et pronuntianda sunt *καὶ τόνῳ καὶ σημαινομένῳ*, ut grammatici dicunt. Inter utrumque enim quantum intercedat discrimen, quis est, quin sentiat?

Editorem multarum minutiarum oportet peritum esse, quas si alii satius exploratas habuissent, non haberem nunc, quod multa tractarem, quae taedium fere afferunt. Difficultates, quas Brunckii, Matthiaei et Elmsleii [16]) licentia in scriptura praepositionum *ἐς*, *εἰς*, *σύν*, *ξύν* excitavit, removere conatus est Reisigius, qui parum aberat, quin Coniect. p. 300. viam rectam invenerit, quum quaedam de usu praepositionis *σύν* et *ξύν* proferret. Verum est, quod dicit, e literis praecedentibus iudicium pendere, utrum *σύν*, an *ξύν* scribendum sit; quod autem addit, consonantem quoque, quae syllabae antecedenti antecedat, respiciendam esse, id non solum e longinquo petitum esse videtur, sed etiam per se veri est admodum dissimile. Scriptura huius praepositionis diiudicanda esse videtur ex elementorum sympathia et antipathia [17]). Quum enim Graecorum vocabula aut in vocales exirent aut in has tres consonantes *ν*, *ρ*, *σ*, videndum est, cui horum elementorum *σ* et *ξ* sit amicum. Iam si vox antecedens exit in *ν*, scribendum est *ξύν*, sin in *σ*, valeat necesse est *σύν*. Nam *ν* ante *σ* ubique eliditur in mediis vocabulis, *κ* contra, quod cum cognatis mutis *γ* et *χ* consonantis compositae *ξ* prima litera est (*κσ*), consonantem *ν* libenter excipit mutatam in *γ*, nec dubito, quin *οὖν ξύνοιδε* in ore Graecorum suaviter sonuerit, quum *οὖν σύνοιδε* vix pronuntiare possent [18]). Hoc solum mihi pro comperto valet; in ceteris li-

---

16) Laudanda Elmsleii ingenua humanitas, qua ad Eurip. Bacch. v. 52. se Hermanni et Reisigii auctoritate permotum esse fatetur, ut hanc rem de integro tractare velit.

17) Recentiorum placita vide ap. Elmsl. in praefat. ad Sophocl. Oed. Tyr. p. 9. ad Euripid. Med. v. 2. Hermanni adnot. ad Elmsl. Med. in Diar. Class. T. XIX. p. 273. Reisig. l. l.

18) Hinc orta sunt *συγξέω*, *συγξαίνω*, at *σύσκηνος* etc.

brorum mss. auctoritati et metro parendum. Nam ῤξ sibi non adversantur, quamvis et ῤσ sibi non sint inimica (θηρσίν, ἤρξατο). At σξ sibi repugnant et pronuntiationi obstant, id quod Reisig. Coniect. p. 301. in contrariam partem accipit. Iam igitur si ξύν Atticum est, ut perhibent, neque tamen ubique servatum, regulam esse volui, ut post consonantem ν scribatur ξύν, post σ σύν, post vocales vero e metro iudicandum sit, utra forma locum habere debeat, codicum auctoritate bene consulta.

De praepositionis ἐς et εἰς forma duplici cum Hermanno librorum mss. fidem et auctoritatem sequi malui, quam, quum certas analogiae leges frustra quaererem, de arbitrio, ut multi fecerunt, aliquid recipere, quod re accuratius explorata rediret ad id, quod antea fuit [19]). Ceterum in eo libenter faciam cum Reisigio, qui Coniect. p. 252. dicit, quibusdam formulis, ut ἐς κόρακας, ἐς κεφαλήν σοι etc. breviorem huius praepositionis formam adhaerere; illud vero discrimen, quod arsi quinti pedis iambici tribuit, minus liquet, quam quod Elmsleius ad Eurip. Bacch. v. 804. ἐς in iambico metro pedis trisyllabi intermedium esse noluit.

De multis aliis formis si quid novi statui, noli aliorum praeceptis ductus me temere reprehendere; nihil sine certa ratione novatum. Longum est enumerare, quae intelligentibus se ipsa commendabunt me etiam tacente. Unum vel duo moneam fortasse necesse est, priusquam ad alia me conferam, ne aliter ac velim accipiantur. Phrynicho Bekkeri p. 14. auctore, qui aut depravate aut false tradidit: ἀνύειν, δασύνουσιν οἱ Ἀττικοί· καὶ δῆλον ἐκ τῆς συναλοιφῆς. καθήνυσαν γάρ. Porson effecit (cf. Pors. ad Phoeniss. 1451.), ut Britanni ἁνύω et ἁνύτω spiritu aspero scriberent. Sic Monkius in Eurip. Hippolyto, Elmsleius, qui ad Eurip. Bacchas Porsoni se addicit, Dobraeus in

---

[19]) Quae Elmsleius de usu praepositionis ἐς disputavit ad Sophocl. Oed. Tyr. in praef. p. 9., in iis sibi ipsi non satisfecisse videtur ad Euripid. Heracl. v. 271. se rem alias diiudicaturum confessus. Cautius rem gerit ad Eurip. Med. v. 55. Matthiaeum, quod ubique ἐς posuit, merito vituperans. Hanc enim breviorem formam non nisi metri causa admittendam esse.

Aristoph. Pluto. Tria me prohibebant, quominus tantas auctoritates sequerer. Ac primum quidem grammatici melioris notae rem plane ignorant; tum Eustath. p. 802, 26. coll. 1784, 39. πρωτότυπον τοῦ ἀνύω signat τὸ ἄνω; denique nulla Graecorum vox est, quae ex ᾱν incipiens cum spiritu aspero pronuntietur praeter ἁνδάνω, quod veteres iam diligenter notarunt. Sic schol. ad Homer. Il. β. 347. ἄνυσις, τὸ ᾱ πρὸ τοῦ ν̄ ψιλοῦται, πλὴν τοῦ ἁνδάνω. et aliud ibid. τὸ δὲ ᾱ πρὸ τοῦ ν̄ ψιλωτέον, πλὴν ἁνδάνω. Pariter Eustathii auctoritas me prohibuit, quin ἐνταυθί, ἐνθαδί et similia cum Elmsleio ad Eurip. Iphig. Aul. 1010. sola Attice dicta haberem, quasi altera forma ἐνταυθοῖ ab Atticis non usurpata fuerit, ut diserte dicunt. At Eustath. p. 1839, 55 sq. τὸ δὲ ἐνταυθοῖ, inquit, δοκεῖ Δωρικὸν εἶναι, εἰ καὶ παρ' Ἀττικοῖς τέτριπται. — σημειοῦνται δὲ οἱ παλαιοί, ὡς τὸ μὲν ἐνταυθοῖ τὴν ἐν τόπῳ σημασίαν δηλοῖ, τὸ δὲ ἐνταῦθα καὶ τὴν ἐν τόπῳ καὶ τὴν εἰς τόπον.

Quod nuper C. G. Haupt ad Aeschyl. Suppl. p. 113 sq. de secunda in passivo et medio praesentis futurique persona disputavit nisus Choerobosci [20]) praecepto, et formam in ῃ adeo Aristophani reddendam esse iudicavit [21]), id mihi persuaderi non patiar, quamdiu haec duo Eustathii praecepta verbis Choerobosci et Suidae addubitatis meritoque addubitandis multo erunt certiora et distinctiora: ad Odyss. p. 1723, 18. οὕτω καὶ τὰ δεύτερα παθητικὰ πρόσωπα τῶν εἰς μαι ληγόντων ῥημάτων, ὁποῖον τὸ τύπτομαι τύπτῃ καὶ τὰ λοιπὰ ὅλα, κατὰ τὴν παλαιὰν

---

[20]) Addubitat Choerobosci verba Reisig. Praef. ad Soph. Oed. Col. p. XXV. Choeroboscus enim sic: πάντως δὲ οἱ Ἀθηναῖοι τοῦτο ποιοῦσιν· ἀλλὰ ἀκολουθοῦσι καὶ οἱ πεζολόγοι, ἐπεὶ οἱ τραγικοὶ τοῦτο οὐ ποιοῦσιν, ἀλλ' ἀκολουθοῦσι τοῖς κοινοῖς. Quo quid potest magis perverse dici? Loquitur autem de scriptura secundae personae in ῃ, quam Atheniensibus et prosaicis abiudicat, tragicis vero et dialecti vulgaris scriptoribus concedit.

[21]) Idque Suida auctore, qui sub v. ἅπτεσθαι dicit: ἅπτει, καὶ τα ἄλλα τὰ ἐπὶ τοῦ ἐνεστῶτος χρόνου διὰ ει λεγόμενα τῶν νεωτέρων μᾶλλον Ἀττικῶν ἐστιν. In his non solum vox μᾶλλον auctoritatem Suidae minuit, sed etiam ambiguitas quorumdam veterum, si de Atticis veteribus et recentioribus loquuntur, quum alii Aristophanem τοῖς παλαιοῖς alii τοῖς νεωτέροις accenseant, saltem dubii haereant.

Ἀτθίδα διὰ τῆς ει διφθόγγου γραφόμενα, ὡς καὶ ἐν τοῖς τοῦ κωμικοῦ πέφηνεν, οἱ ὕστερον Ἀττικοὶ γράψαντες διὰ τοῦ η σὺν τῷ ἰῶτα προσγεγραμμένῳ ἀφῆκαν σώζεσθαι ἐν γραφῇ τῇ διὰ τῆς ει διφθόγγου χάριν παλαιᾶς ἐνθυμήσεως τὸ βούλομαι βούλει, οἴομαι οἴει, ὄψομαι ὄψει, καὶ ἔομαι ἔει καὶ κατὰ κρᾶσιν εἶ. alterum ad Iliad. p. 641, 6. οὕτω καὶ τοῦ τύπτομαι, γράφομαι καὶ τῶν ὁμοίων πάντων ἐχόντων τὰ δεύτερα ἐν αὐτοῖς πρόσωπα εἰς ει δίφθογγον λήγοντα Ἀττικῶς, εἰ καὶ ὕστερον ἀναλογώτερον διὰ τοῦ η καὶ προσγεγραμμένου ι γράφεται ἅπαντα τὰ τοιαῦτα, ὅμως ἐναπέμειναν τὸ ὄψομαι, βούλομαι καὶ τὰ λοιπὰ δύο πρὸς ἀνάμνησιν τῆς παλαιᾶς γραφῆς, ἔχοντα ἐν τοῖς δευτέροις αὐτῶν προσώποις τὴν ει δίφθογγον, ὄψει, βούλει, οἴει καὶ εἶ.

Hactenus de iis, quae extrinsecus textui fabularum Aristophanis constituendo inserviebant. Dicendum est de utroque notarum fasciculo, quas bipartitas volui, ut duplici lectorum generi prodessem.

Ac primum notae criticae, quas textui subiectas habes, continent lectionis varietatem adeo integram, ut etiam errores librorum in hoc saltem primo volumine prostent, quo facilius de cuiusvis fide et pretio iudicare possis. Collationes librorum ab aliis factas correxi novisque auxi.

Quum viderem codicem Monacensem sive Bavaricum in Pluti editionibus nondum adhibitum esse, a Friderico fratre impetravi, ut mihi illius libri copiam faceret. Humanissime enim et amice, ut solet, curavit, ut tres iuvenes Seminarii philologici Monacensis sodales, Rudolphus Iaegerus Spirensis, Iosephus Fischerus Monacensis et Iosephus Müllerus Augustanus, coniunctis studiis codicem conferrent. Quibus hic loci meritas pro studio et cura diligentissime navatis gratias relaturus, quid inde commodi in meam editionem redundarit, brevi dicam. Codex Monacensis numero CXXXVII. est chartaceus formae magnae et foliorum CXXVII, quibus Aristophanis Plutus, Nubes, Ranae et Ecclesiazusae [22]) et insuper Dionysii Descriptio orb. terr. conti-

---

[22]) Nubium et Ranarum lectiones continet Harlesii edit. Nubb. Lips. 1788. Ecclesiazusarum lectiones a Riglero Monacensi enotatas Fridericus frater conciliavit Dobraeo, easdemque adhibuit G. Dindor-

nentur. Quaedam supra textum et in margine adiecta sunt eadem manu eodemque atramento; quaedam aliena manu et atramento pallidiori. Nomina personarum rubro colore picta exstant. Quo tempore et a quo homine liber hic confectus sit, me satis certo explorasse puto. In extremo folio leguntur haec: *Μιχαῆλος ἀποστόλης Βυζάντιος μετὰ τὴν ἅλωσιν ἱερᾶς πατρίδος αὐτοῦ πενίᾳ συζῶν καὶ τόδε τὸ βιβλίον ἐξέγραψεν, οὐκ ἄνευ μέντοι μισθοῦ.* Nunc vero Brunckius testatur, in extremo folio codicis D. (cf. nos in Indic. codd. nr. 12.) legi: *Μιχαὴλ ὁ τοῦ Λυγγᾶ πενίᾳ συζῶν ἐξέγραψεν ἐν Ῥυθύμνῃ Κρήτης.* Quae postquam comparavi, utriusque libri auctorem esse putavi Michaelem Apostolium illum, qui Constantinopoli, ubi natus erat, a Turcis capta, Romam perfugit ibique, quamvis a Bessarione cardinali receptus, scribendo victum quaesivit. Notum autem est, eum paullo post, quum viris illius aevi nobilissimis convicia fecisset, Romam relinquere coactum esse. Deinde Cretam in insulam se recepit, ubi libris describendis et pueris instituendis occupatus fuit. cf. Fabric. Bibl. Graec. [23]) Iam ex iis, quae attuli, apparet codicem Monacinum ante codicem D. Brunckii scriptum esse, quum hunc in Creta demum se scripsisse diserte fateatur. Immo si orationem funebrem in Bessarionem (+ 1472) scripsit, quum in Italia adhuc commoraretur, codex Brunckii D. seculo XV. exeunti assignandus est. Quam sui ubique similis fuerit Apostoles, ex initio orationis funebris, quod Fabric. Bibl. Gr. T. XIV. p. 14. laudat, cum clausula codicis Monac. comparato videre potes. Ibi enim sic exorditur: *ἔμελλον ἄρα μετὰ πολλὰ ἐκεῖνα δεινὰ καὶ τῆς ἱερᾶς καὶ φίλης μου πατρίδος κ. λ.* Quippe cogitatio patriae misere direptae exuli ubique familiaris. Quum vero cod. Monac. et D. eiusdem auctoris libri minus consentiant, quam exspectandum fuit, Apostolium in Creta aliud exemplar exscripsisse veri est simile, si quidem lectiones cod. D. diligenter enotatae sunt. Monacensis potius in tribus fabulis prio-

---

fius in edit. Ecclesiaz. Lips. 1826. Plutus vero hucusque nondum collata fuit.

23) Fabric. Bibl. Gr. Tom. III. p. 285. et Tom. X. p. 925. coll. Gross. Universal-Lexicon, quod Zedleri dicitur, T. II. p. 925.

ribus, quas solas continet, ita conspirat cum Aldo, ut uterque exemplar fere idem exscripsisse videatur. Non dico Aldinum et Monacinum eundem fuisse, ex eadem vero matre utrumque originem duxisse, veri quidem est simillimum. Aldum enim pluribus codicibus usum esse, notum est. Tantum autem abest, ut codici huic plus laudis tribuam, quam meretur, quia in meum usum collatus sit, ut ingenue fatear, pauca admodum melioris notae ex eo manasse. Aliquoties lectiones praestantiores confirmat, rarius praestantiores, quam quae iam innotuerunt, suggerit, saepe cum codd. Dorv. Elb. Cantab. Harl. Arund. et Borg., qui sunt classis inferioris, consentit; crasin, elisionem, inclinationem, accentus, iota subscriptile et metrum haud raro negligit; at in literis pingendis curiosus fuit et diligentissimus.

Inter editiones veteres miror Caninianam et Frischlinianam tam diu negligi potuisse, quum illa in orthographia, haec in interpunctione ceteris essent multo praestantiores; immo critici recentiores adeo incogitantes fuerunt, ut, quae soli Caninio debeantur, Kustero aliisque tribuerent immerito. Quam Matth. Raper praecinit cantilenam, editiones Kusteriana antiquiores ad unam omnes Aldinam repetere aut Iuntinas, hisque esse vitiosiores, eandem et ceteros audivi inconsulte canere. Quocirca opus non supervacaneum fore putabam, si utriusque editionis diversitate collationes Beckianas augerem. Hic ego Caninio laudem, nimis diu ereptam, recuperandam esse duco. Posuit enim vir ille verae doctrinae plenus ν̄ paragogicum, quod dicitur, ante consonantes metri causa [24]), quod vulgo Kusteri, qui Caninio tacite usus esse mihi videtur, inventum esse opinantur. Illud unum mirabar, quomodo Caninius, quippe qui libris mss. se caruisse diceret [25]), illam medelam metri, quam editores antekusteriani ignorarunt, revocare potuerit. Nam quod Gryphius,

---

[24]) Plut. 169. 375. 525. 665. 743. 1139. Alias quoque metri medelas praeoccupavit. 90. 101. 687. 941. etc. Quaedam feliciter emendat, ut 178. 210. 407. 443. 486. 511. 520. 588. 892. etc.

[25]) In Praefat. *καὶ πάμπολλα μὲν τῶν τραυμάτων ἰασάμην, ἔνια δέ, ὡς ἀνήκεστα καὶ ἀρχαίου ἀντιγράφου οὐκ εὐπορήσας, κατέλιπον σημειωθέντα γε ἀστερίσκῳ.*

e cuius officina exemplar Caninianum prodiit, in calce editionis promisit, se adiumenta, quibus editor usus sit, significare velle [26]), id vereor ne vana fuerit iactatio; promisso saltem non satisfecit, quoad memini. Equidem, qui Caninium ubivis diligenter consului, eius subsidia novisse mihi videor; fuerunt enim Suidas, scholiastae, et rationes prudenter excogitatae. Ut Caninii editio in orthographia et rebus metricis inter editiones veteres excelluit, ita Frischliniana plerumque sententiarum formas prima rectius constituit. Solet enim fieri, ut, qui scriptorem in aliam linguam transferre velit, orationis formam et nexum diligentius ceteris investiget. Ceterae vero editiones antiquae merito habentur repetitiones editionum principum passim negligenter factae. Qui nuper exstiterunt Iuntinae secundae patroni [27]), quorum alter ita festinus praeceptoris sui defensor evasit, ut hoc priorem, qui Iuntinam alteram priore praeclariorem novisset, esse quemquam negaret, illi mihi videbantur in aere piscari. Sua utraque habet vitia suasque virtutes, quae si accurate contuleris, in Pluto saltem alteram priore fere peiorem reperies [28]). Neque criticorum principes, quos patrum aetas tulit, quamvis de textus Aristophanei integritate bene meriti sint, suis vitiis carent. Quis ignorat Brunckii, V. C., levitatem nimis liberam [29]) formulas suas et inventa lectionibus genuinis praeferendi? Quis Kusterum [30]) virum alioquin cautissimum et severissimum non vidit labantem in minutiis grammaticis? Quis Porsonem [31]) grammaticorum praeceptis non emendatis fidem nimis credule habentem non moleste tulit? Quamquam nonnumquam vix mihi poteram tempe-

---

26) Ad calcem editionis, ubi se et editorem excusat, quod hic multis magnisque negotiis distractus in itinere nescio quo diu procul morari coactus fuisset.

27) Vid. Reisig. Coniect. praef. p. XVI.

28) Peccat enim Iuntina II., ut tantum sextam versuum centuriam hic perlustrem, v. 524. 544. 545. 546. 556. 578., ubi prima erroris pura deprehenditur.

29) v. c. in scriptura praepositionum ἐς et εἰς, σύν et ξύν, in formula τί παθών; (cf. 905.) etc.

30) Sic v. c. particulae γε elisae ante spiritum asperum adspirat.

31) Cf. not. ad v. 594. 603. etc.

rare, quia pugnarem adversus interpretes minorum gentium, multarum minutiarum auctores, tamen tacui; immo ne suave quidem certamen cum heroibus inii, nisi ubi necessarium fuit et brevi potuit absolvi. Manifestus enim error, qui a nemine volente committitur, non eget admonitione; satis est, eum indicasse. Quid prosunt convicia, quid verba iactabunda, ubi res loquitur? Atque magistri illi summi, qui hodie adhuc nos docent prolemque futurorum hominum docebunt, pie potius sunt colendi; quibus destitutos quales nos nunc esse opinaberis?

Confero me nunc ad dictorum sententiarumque interpretationes, quae duas columnas lectionis varietati subiectas occupaverunt. Etenim si quisquam est poetarum veterum, qui interprete egeat, is est Aristophanes. Obscurae quoque habentur sententiae Aeschyli et Pindari; at uterque alia de causa difficilis est intellectu. In his sunt locutiones alte petitae, cogitationes nimis sublimes et quaesitae, et sententiarum intervalla omissa, quae legentium animos vexant, ut cogitationum causas et nexus et orationis progressum vix perspicere possint, nisi ingeniis aeque volaticis adiuti Bellerophontas istos audacter vagantes volatu aequare conantur; in Aristophane vero res saepe levissimae et admodum populares, quae aut ad personas nobis ignotas earumque mores spectant, aut obscuros Atheniensium rumores ab historicis non notatos tangunt, aut ad simile quid nemini Atheniensium non cognitum pertinent, nos ab istis temporibus nimis remotos excruciant. Quare, qui Aristophanem intelligere velit, cuiusvis fabulae aetatem non solum ex historicis illius aevi, qui vulgo nihil nisi res maioris momenti tractant, sed etiam ex orationibus illo tempore habitis, e reliquis fabulis et permultis aliis libris de integro exploret, necesse est. Deinde quum in aliis Graecorum scriptis, tum maxime in Aristophanis fabulis quaedam insunt, quae, quo sensu quave vi dicta sint, non recta via intelliguntur. Ut nos, si quid gravius aut dulcius dictum volumus, nescii saepe orationi nostrae verba quaedam antiqui aliquid olentia, vel locutiones scripturae sacrae tritas et quasi proverbiales adspergimus, quae audientis animi vim reconditam excitent aenigmatis instar; sic Graeci Homeri voces et formulas omnibus usitatissimas adhibere solebant, ut cum voluptate audi-

rentur. Qua in re mihi visus sum observasse, Odysseam [32]) Graecis multo familiariorem fuisse, quam Iliadem; sive quod actionum et rerum diversitate Iliadem, solis pugnis et rebus bellicis occupatam, superavit, sive quod dictionibus et rebus, ad vitam vulgarem quae pertinebant, excelluit. Frequentius adeo quam Homerum Aristophanes imitatus est Tragicos; eos autem alio de consilio. Extremis ex utraque parte inhaeret quaedam similitudo mirabilis, magnamque vim habet in animos, si quis severa transfert in iocum. Tale quid certe subesse videtur illis formulis, quae petitae sunt ex Aeschylo et Sophocle, quos candide coluit Aristophanes, alterum ob simplicitatem et maiestatem, alterum ob artem perfectam; sin autem ab Euripide sumsit aliquid, hoc ita adhibuit, ut una poetam eiusque fucum rideret. Locos utriusque generis permultos iamdudum alii interpretes investigaverunt, plurimos ego primus significavi. Si forte res aut dicta passim explicata sunt, quae aliis nulla egere videbuntur explicatione, haec iudicaturos etiam atque etiam monitos velim, ne me vituperent, quum harum minutiarum ansam dedissent interpretes alii, quos corrigere me haud raro taedebat.

Transeo ad res metricas. Hic quidem difficile est definire, rationes metricae, ab Hermanno doctrinae metricae conditore, Porsone, Seidlero et Reisigio acute descriptae, num poetarum dramaticorum metris plus commodi quam detrimenti attulerint. Tantum abest, ut viris tam praeclare meritis aliquid laudis immortalis eripere velim, ut me quoque artem metricam primos docuisse grato animo fatear. At negari non potest, eos, qui omnia ad notiones animo anteceptas et sua inventa conformare tentent, non solum singulis quibusdam vocibus, sed etiam haud raro versibus integris vim inferre coactos esse. Longum est, de tota doctrina metrica hic disputare; esset enim opus in opere. Mecum sic potius constitui, ut, quae ad metra cuiusque fabulae pertineant in eodem volumine, quo fabula continetur, tractentur. Hic certe habes, lector candide, quod Caroli Reisigii praematuram mortem mecum doleas. Hic quidem vir praeclare instructus et paratus ad egregia in hoc genere facinora, sagax

---

[32]) Cf. Indic. sub Homer. Odyss.

in diiudicandis metris, postquam ingenii, quo pollebat, acumine iam multas fabularum Aristophanis mendas sanavit, novis paratis subsidiis novam Graecis literis lucem allaturus, quum nuper Venetias devertisset, ab invidis fatis inopinato nobis ereptus est. Frustra igitur speraveram, fore, ut, quae cum eo de *iambicis tetrametris acatalectis* a me repertis communicaveram, ea inter nos convenirent. Iam quae inter nos de hoc metri genere acta sunt, breviter exponam. Aristophanis scholiastas perlustrans apud Pluti versum 302. hanc notam offendebam:

τούτων (τῶν στίχων) ὁ πρῶτος τετράμετρος ἀκατάληκτος, οἷον τὸ τοῦ Ἀλκαίου·

„δέξαι με κωμάζοντα, δέξαι, λίσσομαί σε, λίσσομαι."

Nisi exemplum ipsum additum fuisset, coniecissem, scriptum fuisse καταληκτικός; at hoc ipsum exemplum unicuique omnem eximat dubitationem, necesse est. Id saltem manifestum est, scholiastam in suo exemplari hoc loco legisse tetrametrum acatalectum. Ubi vero nunc est? Versus illos inspicienti nihil occurrit, nisi tetrameter catalecticus vicinorum similis. At in hoc tetrametro catalectico acatalectus ille mihi delituisse videtur [33]), qui ne literula quidem dempta optime en! reviviscit:

ἐγὼ δὲ τὴν Κίρκην γε, τὴν κυκῶσαν ἀνὰ τὰ φάρμακα.

cui versus, qui respondet, 309. aeque facile se accommodari patitur:

οὐκοῦν σε τὴν Κίρκην γε, τὴν κυκῶσαν ἀνὰ τὰ φάρμακα.

Hunc autem illi similem fuisse, idem affirmat scholiasta ad v. 309. his verbis: ἔχουσι δ' ὁμοίως τῇ προφθάσῃ περιόδῳ καθ' ἕκαστον [34]).

Scholio modo laudato aliud adiungo e Nubb. 1434., ubi grammaticorum mos versus longiores in duos dimidio breviores

---

[33]) Ab initio opinabar, versum sic fuisse constitutum: ἐγὼ δὲ τὴν Κίρκην γε τὴν ἀνακυκῶσαν τὰ φάρμακα, recte vero Reisigius per literas mihi significavit, hunc versum sexto in pede esse depravatum.

[34]) Hoc scholion alius hominis esse atque prius illud, putavit Reisigius. Quum vero disertis verbis respiciat ad prius illud et notae metricae istae aperte eundem scholiastam prodant, cum Reisigio facere non potui.

dissecandi castigatur, praesertim quum ibi praeter tetrametrum catalecticum, quem Reisigius iam restituit, tetrameter etiam acatalectus deprehendatur. Scholion, quod ad Plut. 302. forte fortuna mihi primo se aperuit, quamvis auxilii nullius indigeat, supervacaneam quandam adhuc nanciscitur auctoritatem ex cod. Elb., in quo Ch. D. Beckius, non suspicatus quid hoc esset [35]), affirmavit Pluti versus 293 et 294 pariterque 299 et 300 utrosque unum versum efficere. Hi autem sunt, si componuntur, iambici tetrametri acatalecti. Denique illud tetrametri acatalecti exemplum addo, quod Godofr. Hermannus [36]) ex Aristophanis Daedalo ap. Photium s. v. *ὄνου σκιά* invenit, quem haud scio an verum tetrametrum acatalectum nunc mecum iudicaturus sit:

περὶ τοῦ γὰρ ὑμῖν ὁ πόλεμος νῦν ἐστι; περὶ ὄνου σκιᾶς.

Iam igitur quum mihi saepe mentem subiret mirari, Graecos hoc metrum, poetis Romanorum comicis illorum imitatoribus curiosis amicissimum, respuisse, maiore adhuc admiratione captus sum, ubi vidi, scholiastam rerum metricarum peritissimum de hoc versu tanquam de re vulgari nec a Comici more aliena monentem. Si nunc certum est, Aristophanem semel iambicis tetrametris acatalectis usum esse eosque catalecticis adiecisse, pares horum versuum consociationes in aliis eiusmodi locis exstare, veri quidem simillimum esse videtur. Quocirca arbitror, ubi in dimetris necessaria indicia compareant, ut finis numeri et metri et interrupta continuatio, hos dimetros ante fuisse tetrametros acatalectos, quos singulos librarii metrorum imperiti, quales schol. ad Nubb. 1434. notat, in dimetros dissecuissent. Quas G. Hermannus ingeniose, ut est Hermanni, sancivit regulas de iamb. tetrametro acatal. a poetis Latinis usurpato, easdem, utpote a Graecis proseminatas, apud Aristophanem quoque va-

---

35) Cf. Varietat. lect. ad Aristoph. Plut. p. 685. ed. Invern. — Bothium, qui ubivis e binis dimetris tetrametrum facit, id quod nullius artis est, neque vocandum neque animadvertendum putabam. Hoc enim facere non licet, nisi ex tetrametri cuiusque exitu appareat, finem ipsius esse metri atque numeri, eiusque cursum continuari non posse, qui quidem continuatur in dimetris.

36) Godofr. Hermanni Element. doctr. metr. p. 158.

luisse, mihi persuasissimum est. Dicit enim, id quod natura huius metri quasi postulat, caesuram legitimam in fine quarti pedis fuisse, quae, quoniam versum in duas aequales partes dirimat, ob numerorum levitatem comoediae magis convenisset, quam tragoediae, quae alteram, in medio quinto pede committi solitam, praetulisset. Equidem vero puto, indidem quoque factum esse, ut tetrametrorum acatalectorum multi in dimetros transirent. Ceterum rationem tetrametros restituendi his finibus circumscriptam velim, ut in fine numerorum non quaerantur nec omnino locum habeant, nisi ubi a tetrametro catalectico, aut hoc breviori, qui tamen aeque catalecticus sit, aut quem continuo catalecticus sequatur, excipiantur. Est enim versuum acatalectorum exitus, quem nostri poetae haud male appellaverunt virilem, quia numerum subito abrumpit, multo vehementior et fortior, quam finis catalecticorum, in quibus vox per arsin elata in thesin, ut conquiescat, descendit. Hinc illi versus paroemiaci, hinc tot his similes clausulae. Interim non dubito, quin ob loquentium mores et actionis rationem haec regula nonnumquam neglecta sit. Nam tetrametri acatalecti, qui a catalecticis eo potissimum differunt, quod pro natura sua rapidiore solutiones longarum syllabarum frequentius admittunt et quarto pedi concedunt anapaestum, imprimis usurpati esse videntur, ubi affectus vehementius accrescunt sive laetitia nimia gestientium, ut Plut. 290 sq., sive acriter indignantium. Quare unumquodque dimetrorum par aut duo paria, quae tetrametris catalecticis in eiusmodi sedibus intermixta deprehenduntur, commode pro tetrametris valere posse opinor. Ceterum non diffiteor, aetati quoque fabularum aliquid concedendum esse, ut, quod in Pluto licitum fuit, eodem iure non in quamvis aliam fabulam conferri possit. Videtur enim tetrameter acatalectus proprius fuisse comoediae novae, e qua a poetis Romanis receptus est. Quare difficilior existit quaestio, utrum et tragici iambico tetrametro acatalecto usi sint? Quod tetrametrum catalecticum, in quo magna est hilaritas, repudiarunt, inde non sequitur, ut acatalectum etiam, in quo est magna gravitas et vehementia, quae non minus summo dolori, quam summo gaudio apta est, reiecerint. Ac postquam G. Hermannus (Metr. p. 158.) contra Porsonem hunc versum tragicis

Romanis reddidit, Graecos quoque tragicos eodem etiamsi rarius usos esse, opinionem mihi attulit. Sed de hac quaestione alias. Sin autem tragici Graeci tetrametro acatalecto usi sunt, statuendum est, eos solutiones pauciores admisisse, quam comicos, et caesuram octonarii Romani observasse. Sic dimetri illi duo, quos Hermannus (Metr. p. 102.) Eurip. Orest. 998. (986. Matth.) reddere voluit:

ὅθεν δόμοισι τοῖς ἐμοῖ-
σιν ἦλθ' ἀρὰ πολύστονος.

haud inconcinnum exhibent tetrametri acatalecti exemplum

ὅθεν δόμοισι τοῖς ἐμοῖσιν ἦλθ' ἀρὰ πολύστονος.

Sed haud scio an diutius, quam par fuit, de hoc metri genere, licet nondum satis explorato, disseruerim, quod certe Aristophanis fabulis, nisi argumenta externa et interna iubent, nusquam intrudendum est.

Quum multa alia, quae ad leges metricas pertinent, suo loco exposita habeas, ut anapaesticos dimetros ad Plut. 594. eorumque usum in fabularum clausulis ad Plut. 1205., nunc tantum quid de vi, quam vulgo muta cum liquida coniuncta in brevem vocalem habere putatur, iudicandum sit, videamus. Omnino aliquid est, quod Reisigius Coniect. p. 101. contendit, brevem vocalem ante mutam et liquidam produci non posse, nisi ubi aut melicum sit carmen, aut aliquid a tragoedia derivatum. Similiter Porson statuit (ad Eurip. Hecub. p. 46 sq.) productionem illam in anapaest. metris poetae concessam fuisse, qui aliena verba excitaret, aut nomen proprium usurparet, quod aliter aptari metro non potuisset. (Reisig. Coniect. p. 161.) Hic equidem cum viris laudatis pugnare non ausus sum, neque investigare, utrum locos, in quibus contrarium fit, felici successu emendaverint; Reisigius certe subtili et acuto ingenio eo laboravit. Duo vero non possum non mirari, alterum, quod comoediae quippe liberioribus numeris diffluenti, quam tragoedia, hanc productionem minus convenire dicunt, alterum quod in metris anapaesticis aliud licitum fuisse atque in iambicis volunt. Quare illa ne subtiliter magis, quam vere dicta sint, vereor. Nam postquam vidi versus haud paucos, nulla lectionis diversitate turbatos, huic regulae adversari, eam deserendam esse pu-

tare debebam. In Pluto quatuor versus sunt 166. 338. 1016. 1075., quos nulla alia de causa critici tentarunt, nisi ob neglectam istam regulam. In his neque melicum aliquid nec tragicum deprehenditur, nec denique in nomine proprio fit productio. Ingenio fecundo non difficile erit, et in his causas excusationis invenire, ut v. 166., technicis verbis eandem licentiam fuisse, quam nominibus propriis. Quemadmodum igitur liquidarum una (ϱ̄) [37]) vim habet brevem vocalem producendi, sic muta cum liquida Atheniensium aures, etsi subtiles et teretes, liberiori tamen Homeri aliorumque poetarum prosodiae adsuefactas non offendit.

In significandis codicibus et editionibus literas et signa vulgo recepta servavi, nisi ubi varii libri iisdem notis indicabantur. Quod factum est a Porsone et Brunckio. Hic enim Parisinum 2712. A appellavit, ille Harleianum primum. Idem valet de codice Parisino 2717. et Barocc. 173.; hic enim Porsoni B est, ille Brunckio et Dindorfio. Quos autem codices vocavi Mead. et Ask., ii sunt Harleiani ab Dobraeo sub nr. 5. et 6. laudati. Askewii enim et Meadii libros fuisse nota nescio nunc qua impulsus tunc temporis opinabar, quum Dobraei collationes in meum usum privatum notarem non cogitans in publicum prodituras. Qui scit, quam difficilis sit notarum criticarum confectio, is me excusabit, quod lectorem de hoc errore monere malui, quam corrigere. In volumine altero et sequentibus error sublatus est.

1. *Mon.* vel *Monac.* — Codex Monacensis sive Bavaricus, de quo vide nos supra.

Kusteri codices:

2. *U.* — Vaticano-Urbinas, in usum Kusteri collatus ab Laur. Alex. Zacagnio, bibliothecario Vatic.

3. *P.* — Vaticano-Palatinus ab eodem Zacagnio collatus. Reservatur nunc in bibliotheca Leidensi.

---

37) Cuius literae vis, ut obiter dicam, in ipsius literae natura latere videtur, quippe quum post vocalem in initiis vocum non posset pronuntiari nisi duplicata. Testatur augmentum verborum ab ϱ̄ incipientium. Quare veteres v. c. illud Plut. 51. *εἰς τοῦτο ῥέπει* pronuntiasse puto *εἰς τουτοῤῥέπει.*

4. *Ar.* vel *Arund.* — Arundelianus, codex satis recens, cuius collationem Kustero conciliavit Daubuzius. Liber nunc est Regiae Societatis Londinensis.

5. *Bodl.* — Bodleianus, qui solam Plutum continet, ab Io. Pottero, Professore Oxoniensi, collatus.

6. *V.* vel *Vossian.* — Vossianus, qui continet Lysistratam, Avium fragmentum et scholia quaedam, cum Kustero communicatus ab Rich. Bentleio. Liber nunc est biblioth. Leidensis.

Hemsterhusii codices:

7. *Dorv.* — Dorvillianus, qui et scholia quaedam continet, liber multis vitiis refertus et negligenter scriptus. Anno MCCCCLI. scriptum esse, non MCCCCXXXI., ut Hemsterh. opinatus est, ostendit Dobraeus. Nunc est Bodleianus X. 1. 3, 13., eod. Dobraeo notante.

8. *Leid.* — Leidensis a v. Pluti 1043. per Hemst. adhiberi coeptus. Promisso, reliquam codicis partem se conferre velle, Hemsterh. non stetit. Utrum Nubb. collatio, quam Ernestius Ruhnkenio debuit, ex eodem libro fuerit instituta, incertum est.

Brunckii codices:

9. *A.* — Codex Regius Parisinus membranaceus 2712., liber seculi XIV. Hasio et Gaisfordio iudicibus. Continet Plutum, Nubb. Avv. Equitt. Acharn. et 444 versus Ecclesiaz. priores. Complura habere hunc librum putat Reisig. Coniect. p. 209., quae metrici correctoris fraudem manifesto coarguant.

10. *B.* — Cod. Reg. Paris. chartaceus 2717. A Reisigio Coniect. p. 292. mendax liber et infirmae in metricis rebus fidei paullo durius iudicatur.

11. *C.* — Cod. Reg. Paris. bombycinus, qui nunc est 135. cod. supplementariorum. Post Brunckium nuper collatus iterum a Dondorfio Berolinensi in usum Bothii ad Ran.

12. *D.* — Codex Brunckii bombycinus in insula Creta ab eodem Michaele Apostolio scriptus, qui Monacensem exaravit, ut docui supra in Prolegom. Continet Plut. Nub. et Ranas.

13. *E.* — Cod. Reg. Paris. 2820. non ab eadem manu nec eodem tempore confectus, nec integre servata sunt, quae continebat. A Brunckio sero et parum diligenter adhibitus.

14. *Aug.* — Cod. chartaceus e bibliotheca senatus Augu-

stani, liber seculi XV., qui continet Thesmophoriazusas et Lysistratam.

15. *G.* — Cod. Reg. Paris. chartaceus 2715., qui continet Lysistr. Avv. Vesp. Equitt. Acharn. Eccles. (has usque ad v. 1170. ed. Dind.) et Pacem. Libro huic negligenter scripto plus fidei, quam par fuit, habebat Brunckius. Litera A significatur ap. Brunck. in Lysistr. Vesp. et Pac., in ceteris vero litera C, apud Dind. in Ecclesiaz. litera D.

Codices ab aliis viris doctis collati vel adhibiti:

16. *F.* — Cod. Reg. Parisiensis 2827. Aliquot huius libri lectiones a Bastio enotatas servant Schaeferus in ed. Plut. Hemsterh. et Dobr. in ed. Plut. Pors.

17. *Elb.* — Cod. Elbingensis chartaceus, forma minore; qui continet Plut. Nubb. et Ranas. Collationem a Trendelenburgio factam iteravit Ch. D. Beckius. Liber hic, cui nimium honoris habet Trendelenb., omnium negligentissime scriptus est.

18. *Harl.* vel *Harl.* 1. — Cod. Harleianus 5664. in Museo Britannico. A Porsone litera A insignitur. Videtur descriptus esse e Barocc. 127.

19. *Mead.* (in Plut.) vel *Harl.* 2. (in Nubb.) — Codex Harleianus 5725., qui continet Plutum tantum non integram et Nubes cum scholiis. Consentit plerumque cum Barocc. 43. A Dobraeo numero 5. vel Harl. 5. vocatur.

20. *Ask.* (in Plut.) *Harl.* (in Ran.) *Harl.* 3. (Nubb.) — Cod. Harleianus 6307., qui Plut. et Nubb. deinde Ranas alia manu exaratas continet. A Dobraeo dictus 6. vel Harl. 6.

21. *Bar.* 1. 2. 3. — Tres codices Barocciani 34. 43. et 127. Extremus hic est liber bibliothecae Bodleianae, membranaceus et antiquus.

22. *Cant.* 1. — Cod. Cantabrigiensis Bibl. Publ. nr. 3., qui continet Plutum tantum non integram, Nubes et Ranas cum aliquot scholiis. Non omnes eius partes ab eadem manu neque aeque eleganter scriptae.

23. *Cant.* 2. — Cantabrigiensis Bibl. Publ. nr. 15. cum priore eodem volumine continetur; at illo est recentior. Continet Plut. Nubb. et Ran. cum scholiis marginalibus, quae tamen ab alia manu sunt scripta.

24. *Cant.* 3. — Cantabrigiensis Bibl. Publ. nr. 8. 8. liber recens et saepe vitiose scriptus. Continet Plut. et Nubb. cum scholiis.

25. *Cant.* 4. — Cantabrigiensis Bibl. Publ. nr. 8. 16. continet Plut. et Nubb. cum scholiis; Cant. 3. similis eoque magis adhuc interpolatus.

26. *Borg.* — Codex Borgianus, quem Invernizius Stephano Borgiae cardinali debebat. Est hic liber chartaceus, parum diligenter scriptus, qui Invern. iudice ad secul. XIV. pertinet. Continet Plut. Ran. et Aves.

27. *Rav.* — Codex Ravennas membranaceus, forma maxima, foliis 180. ab Invernizio primum negligenter, deinde a Bekkero diligentissime ac scite collatus, quo iudice scriptus est seculo XI., non X., ut Invernizius opinatus erat. Bekkeri collatione, quae ab initio in usum Seidleri facta nunc in editione eiusdem extat, nisus Dindorfius iam in praefat. ad Pac. monuit, tantam fuisse Invernizii et negligentiam ét imperitiam, ut non modo *innumeras* libri eximii *lectiones* enotare negligeret, sed etiam plurima non recte legeret. Pariter in eundem animadvertit Bekkerus ipse praefat. in Aristoph. T. I. his verbis: „Ravennatem qui ante me versavit, incredibili socordia cum pari inscitia coniuncta commisit, ut sexcentis locis aut quid habeat optimus liber ignoretur, aut quod non habet, id ei imputetur.“ Quibus haud scio an iustior appareat Reisig. Coniect. praefat. p. V., qui iccirco non criminandum esse hominem censuit, sed gratias potius habendas, quod iureconsultus causis dicendis occupatus tantum his literis operae et temporis impertiverit, quantum potuerit; cui vigilandum fortasse sub galli cantum fuerit, ut clientibus fidem praestaret, quum grammatico capere quietem ad serum mane liceret. Verum autem est, Ravennatem Bekkeri diligentia nunc demum nobis esse reclusum. Est vero Ravennas non minus eleganter in membranis quam scite scriptus et, quod gravius habetur, omnes Aristophanis fabulas continet integras, scholia et notas quasdam interlineares, quae dicuntur.

28. *Ven.* — Codex Venetus membranaceus, foliis 172., forma quadrata, quem aetate Ravennatem fere aequare putat Bek-

kerus, a quo bis tractatus est Parisiis ann. 1812. et Venetiis a. 1819.

29. *Ma. Mb. Mc.* — Tres codices Mutinenses chartacei, forma quadrata vel minori, recentes. Continent Nubes, Plutum et Ranas. Collati sunt a Bekkero, qui eos accuratius non significavit, nisi quod addidit, Mutinenses Parisiis vocatos esse, quotquot ex Italia superiore allati fuerint.

Mutinenses saepe consentiunt cum Monac. etiam in rebus, quarum in ceteris libris nullum vestigium. Quem consensum quum in omnibus quodammodo codicibus animadvertimus, qui Plutum, Nubes et Ranas continent, eos ex uno eodemque exemplari prodiisse veri simillimum est. Harum autem trium fabularum codices sunt plurimi.

30. *T.* vel *Tub.* — Codex Tubingensis, cuius Plutum et Nubium versus priores 144 ad exemplar Brunckianum contulit Theoph. Luc. Fr. Tafel. Sign. Mst. tab. 4. nr. 196. Est chartaceus, forma 4., paginis constat 156. Scribendi compendia permulta, eademque non raro difficiliora, ut monuit Tafel in Ephemer. Philolog. et Paedag., quae inscribuntur Neues Archiv für Philologie und Pädagogik. Vierter Iahrgang. Iuli 1829. Nr. 34. unde varietas lectionis Addendis ut accedat curabo. Videtur scriptus esse secul. XV. exeunte. Plerumque conspirat cum Mutin. a., libro inferioris notae; omissa adiecit et negligenter scripta correxit Crusius.

31. *A* 1. 2. 3. 4. 5. = quinque codices Ambrosiani, qui mihi nunc ipsum, ubi Prolegomena haec iam typis exscribebantur, innotuerunt per Ernestum Hechtium, virum non solum inter primicerios legum interpretes sedentem iuris peritissimum, sed etiam magna doctrinae copia excellentem, qui, quum nuper in Italiam iter faceret, ubi haud paucos codices Aristoph. in variis urbibus adhuc delitescere Fridericus frater significaverat, a me rogatus est, ut bibliothecas Italicas perlustraturus exploraret, ubi et quales isti essent. Iam modo Italiam ingressus humanissime, ut solet, Genua mihi nuntiavit, se in bibliotheca Ambrosiana Mediolani quinque codd. Aristoph. reperisse. Atque primus eorum, a me dictus A 1., servatur sub nr. 222. estque liber seculi XV. chartac. fol. maxim. multisque notis refertus et

scholiis. Alter A 2. serv. nr. 40., tertius A 3. serv. nr. 65., quartus serv. nr. 97., quintus denique serv. nr. 100. Hi quattuor extremi pariter sunt chartacei, forma quadrata diligenter scripti et in margin. repraesentant glossas notasque perquam frequentes. At quid in his aliisque adhuc reperiundis insit, et inde in hanc editionem redundaverit, rectius indicabit tomus proximus fructum illinc demum recepturus. Quum vero codd. Ambros. omnes praeter alias fabulas Plutum quoque exhibeant, quod mihi sero innotuerunt, sane dolendum est.

32—44. *edd. vett.* = editiones veteres has brevitatis causa passim vocavi:

32. *Ald.* — Editio princeps s. Aldina. Aristophanis comoediae novem (non continet Thesmophoriazus. et Lysistr.). Venetiis ap. Aldum Manutium. 1498. in fol. Editio pulchra, quae codici par habetur. Continet praeterea scholia a Marco Musuro Cretensi collecta; quibus codicibus usus sit Aldus, non constat; pluribus usum esse veri non est dissimile, quia codicum, qui omnes fabulas exhibent, magna est raritas.

33. *Editiones Iuntinae:*

a. Iunt. 1. — Editio Iuntina prima. Aristophanis comoediae novem. Florentiae, opera et sumptu Philippi Iuntae (de Giunta). 1515. 8. Praefatus est Bernardus Iunta Ph. f., cuius nomine vulgo significatur.

Ad hanc editionem pertinet adhuc *Lysistratae* et *Thesmophoriazusarum editio princeps*, ab eodem *Bern. Iunta* eodem anno ex codice bibliothecae Urbinatis Rom. singulariter parata in 8. min. Nam in novem prioribus fabulis, quamvis et codices consuluisse videatur, Aldinam sequitur.

b. Iunt. 2. — Editio Iuntina secunda. Prodiit Florentiae typis haeredum Phil. Iuntae 1525. et adornata est ab *Antonio Fracino* Varchiensi. Continet novem illas fabulas, quas Aldus ediderat, cum scholiis Aldinis et aliis peioris notae. Adhibuit Fracinus et codices, qui tamen recentiores et pretii minoris fuisse putantur. Nonnulli hanc Iuntinae priori nescio quo iure praeferunt; in Pluto saltem posthabenda.

c. Iunt. 3. — Ed. Iuntina tertia. Prodiit Florentiae per Benedictum Iuntam 1540. Nihil novi continet. Omissae sunt

duae postremae fabulae. Conspirat saepe cum prima contra secundam etiam in vitiis.

Aldina, Iuntina prior et altera codicum fidem habent, quae deinde sequuntur textum illarum iterant, donec Kusterus et editores hoc recentiores codices denuo consulere coeperunt. At inter editóres veteres, ut supra in Prolegom. ostendi, Frischlinus et Caninius excellunt, etiamsi libris manuscriptis destituti essent, ille quod sententiarum nexus ceteris melius significavit, hic quod textui Aristophanis, quod metrum et orthographiam attinet, primus rectius consuluit.

34. *Cher.* — Editio Cheradami. Sumpt. Aegidii Goromontii. Lutetiae. 1528. Est mera textus Iunt. 1. repetitio.

35. *Editiones Basileenses:*

a. Basil. 1. vel *Crat.* — Editio Simonis *Grynaei.* Basileae ap. Andream *Cratandrum* et I. Bebelium. 1532. Continet XI. fabulas e recens. Ald. Iunt. 1. 2. nitide et satis accurate expressas.

b. Basil. 2. vel *Gel.* — Editio Sigismundi *Gelenii.* Basileae ap. Hieron. Frobenium. 1547. Aldum sequitur, cuius novem comoedias etsi eleganter, neque tamen correcte exhibet.

36. *Editiones Venetae:*

a. Ven. 1. — Editio Barthol. *Zanetti*, quae prodiit Venetiis. Sumpt. D. Melch. Seffae. 1538. Repetiit Basil. 1., qua merito habetur longe inferior.

b. Ven. 2. — Editio Io. Farrei. Venetiis. 1542. Repetiit Basil. 1., cuius vitia non solum iterat, sed etiam auget. Nihilominus lectiones aliquot meliores inde promanarunt.

37. *Wech.* — Editio Christ. Wecheli. Parisiis. 1640. Ald. sequitur et Basil. 1. Charta et literae nitidiores.

38. *Brub.* — Editio Petri Brubachii. Francof. 1544. Diligenter adhibuit Ald. Iunt. 2. et Basil. 1.

39. *Can.* — Editio Angeli Caninii, ex typograph. Io. Gryphii. Lugd. 1548. Editionum veterum omnium correctissima, quae Ald. et Iuntt. vitia magnam partem sanavit. Charta et literae pulchrae, form. 8. min. [38]).

---

[38]) Praefatio Caninii haec: *Ἄγγελος Κανίνιος νέοις τοῖς φιλέλλησιν, εὖ πράττειν. Πολλάκις ἐνθυμουμένῳ μοι τῶν ἐν τῷ νῦν χρόνῳ*

40. *Frischl.* — Editio Nicod. Frischlini. Francof. ad Moen. ap. Io. Spies. 1586. (repet. 1597. et 1625.) cum versione Latina metrica. Continet quinque tantum fabulas: Plut. Equitt. Nubb. Ran. et Acharnenses. Vir hic memoratu dignissimus, fatis adversis misere vexatus, omne tempus et studium indefessum in Aristophanis interpretationem contulit. Quae praestitit, tanto pluris facienda sunt, quum subsidiis ad opus tam difficile maxime necessariis careret, ut ipse queritur in praefatione ad Rudolphum imperatorem scripta. Contulimus editionem anni 1586.

41. *Raph.* — Editio Christoph. Raphelengii. Lugd. Bat.

ἀνδρῶν δοκησισόφων τὴν ἀμαθίαν καὶ ἀναισχυντίαν, θρηνεῖν τοσαύτην δυστυχίαν ἐπέρχεται. καὶ γὰρ τοῦ κέρδους ἥττονες, καὶ τοῦτο μόνον διώκοντες, τοῦ καλοῦ φροντίδα ποιοῦνται οὐδεμίαν. ὅπερ κατὰ τεχνιτῶν μὲν ἁπάντων ἀξίως εἰρημένον, οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ τῶν τυπογράφων καθάπτεται, οἱ συγγνώμης τυγχάνειν ἧττον ἱκανοί, ὅσῳ καὶ πλείω τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ τὰς πολιτείας βλάπτουσι. καὶ εἰκότως γε. ὅτε παλαιῶν καὶ σοφῶν ἀνδρῶν συγγράμματα, ὥσπερ ἑλώρια κύνεσσιν οἰωνοῖσί τε πᾶσιν, εἰς ἀνδρῶν βαρβάρων καὶ κομιδῇ ἀπαιδεύτων χεῖρας ἐμπίπτουσιν, οἱ οὐχ ὅπως τι τῶν λεγομένων συνιᾶσιν, ἀλλ' οὐδὲ τηναρχὴν ἀναγινώσκειν ἐπίστανται. ὢ τῆς ἀβελτερίας. ὤ, τί καὶ κατ' ἀξίαν αὐτῶν εἴπω; καὶ περὶ τούτων μὲν ἅλις. νυνὶ δὲ ὃ προῄρημαι, ὑμῖν ἐξηγήσομαι. Ἰωάννης ὁ Γρύφιος, Ἀριστοφάνους τὰς ἕνδεκα κωμῳδίας, ὑμηττείου μέλιτος γεμούσας, καὶ τῆς ἀττικῆς δεινότητος καὶ εὐγλωττίας λείψανον, τυπῶσαι διανοούμενος, ἐμοὶ διείλεκται, ὅπως εἴ τι πταῖσμα τῇ βίβλῳ ἐνείη, τοῦτο διορθώσω. ὅπερ ἐγὼ ἆθλον ἡδέως ὑπέστην, καὶ πάμπολλα μὲν τῶν τραυμάτων ἰασάμην, ἔνια δέ, ὡς ἀνήκεστα, ἀρχαίου ἀντιγράφου οὐκ εὐπορήσας, κατέλιπον σημειωθέντα γε ἀστερίσκῳ. καθ' ὃ ἰδεῖν ἐστι τὴν ἀμελείαν τῶν πρότου τυπωσάντων, οἳ ἐπὶ οὕτω φανερῶν σφαλμάτων κατέμυσαν. ἀλλ' ἔγωγε κατὰ τὸ τῆς βίβλου τέλος πολλὰ τῶν ἐπιφανεστέρων διεσημηνάμην, ἐν οἷς πάντες οἱ πρὸ ἡμῶν ἐσφάλησαν, ἵνα μὴ αὐτοὺς μιμήσωμαι, οἳ πάντα μὲν ὑπισχνοῦνται, ὥστε τὸν ἀναγινώσκοντα ἑσπερίδων κήπους εὑρηκέναι ἐλπίζειν, ἐντυχόντα δὲ ἐν χρῷ τῆς ἐλπίδος καταπολὺ ψευσθῆναι. τοῦτο δὲ κατὰ τοὺς καπήλους σοφίζονται, οἶνον μὲν τὸν ἥδιστον ἔχειν φάσκοντας, ἔσθ' ὅτε δὲ τρύγα διδόντας. Δέξασθε οὖν ὦ νέοι φιλομαθεῖς τὸν Ἀριστοφάνην τὰ ὑμέτερα παιδικὰ καὶ χρῆσθε εὐτυχῶς. τουτονὶ ἀεὶ ἀνελίττετε, εἰ θησαυροὺς τῶν Κροίσου λαμπροτέρους καὶ τιμιωτέρους εὑρεῖν ἐπιθυμεῖτε. οὐδεὶς γὰρ τοῖς ὑμετέροις ἐπιτηδεύμασιν ἑτοιμότερος, οὔτε χρησιμώτερος εἶναι δύναται. εὐτυχεῖτε ἐν τῷ μεταξύ, καὶ οὐκ εἰς μακρὰν τοὺς ἄλλους τῆς ἑλληνικῆς σοφίας ἡγεμόνας πολὺ καλλίους πασῶν μονονουχὶ τῶν κηλίδων ἀποκαταρθέντας προσδοκᾶτε. — Ἐνετίῃσι, μηνὸς ἰουλίου ἑβδόμῃ ἐπὶ δέκα, ἔτει ἀπὸ τῆς θεογονίας, α φ μ η. (h. e. die XVII. mens. Iul. A. Ch. MDXLVIII.)

1600. Sequitur Basil. 1. et cum edd. Ven. et Wech. plerumque consentit.

42. *Port.* — Editio Aemil. Porti. Genevae. 1607. Continet praeter versionem Frischlini et reliquarum fabularum Latinam interpretationem minus scite factam, scholia ab Odoart. Biseto (Bizet), Aegid. Bourdino et aliis addita.

43. *Lugd.* — Editio Lugduno-Batava. ap. Io. Maire. 1624. Continet XI fabulas, earumque interpretationes Latinas, quas Portus ediderat, passim correctas et aliquot emendationes Ios. Scaligeri. Addita sunt fabularum deperditarum fragmenta a Guil. Theod. Cantero et Guil. Coddaeo collecta.

44. *Amst.* — Editio Amstelodamensis anni 1670. ex officina Ravensteinii. Repetit editionem praecedentem et insuper continet Tanaq. Fabri versionem Ecclesiazusarum.

45. *Kust.* — Editio Ludolphi Kusteri, quae sic fere inscribitur: Aristoph. comoed. XI. Graece et Latine ex codd. mss. emendatae cum schol. antiq. Accedunt notae viror. doctor. in omn. comoed., inter quas nunc primum eduntur Is. Casauboni in Equit., Ezech. Spanhemii in tres priores et Rich. Bentleii in duas prior. observat. omnia colleg. et recensuit, notasque in novem Comoed. et quatuor indices adiecit Lud. Kusterus. Amstelod. sumpt. Thom. Fritsch. 1710. fol. Haec editio praeterea continet quinque prior. fabularum versionem Frischlini, Ecclesiazusarum eam, quam Tanaq. Faber (cf. 44.) paraverat, Vesparum, Pac. et Lysistr. quam instituit Quint. Sept. Flor. Christianus; Aves vertit Hemsterh., Thesmophoriazusas Kusterus ipse.

46. *Bergl.* — Editio Steph. Bergleri. Lugd. Batav. ap. Sam. et I. Luchtmans. 1760. II Tom. in 4. Praefatus est Petr. Burmannus secundus. Editio laudata, quae plurima continet loca parallela. Berglero mortuo prodiit.

47. *Brunck.* — Editio Rich. Franc. Phil. Brunckii. Argen-

tor. sumt. I. G. Treuttel. 1781—83. Est haec nova recensio cum versione Latina. Brunckius ob nimiam sui confidentiam ne dicam levitatem vituperatus. cf. Reisig. Coniect. praef. p. XX.

48. *Inv.* — Editio Phil. Invernizii. Lipsiae ap. Weidm. 1794. II Tom. 8. Scholiis, notis editorum priorum et versione Latina ornata a Chr. D. Beckio et Guil. Dindorfio, qui XII volumina adiecerunt. Editio locupletissima, at incommoda, necdum finita.

49. *Bl.* — Editio Blissii. Oxoniae. 1811. IV Vol. 8. Repetiit ed. Brunck. Volumen singulare, quod adiectum est, continet lexicon Aristophanicum Graeco-anglicum.

50. *Schaef.* — Editio G. H. Schaeferi. Lipsiae 1812. ap. Tauchnitz. III Vol. in 16.

51. *Dind.* — Editio Guil. Dindorfii cum brevi annot. crit. Lipsiae ap. Teubner. 1825. II Tom. 8.

52. *Bek.* — Editio Imman. Bekkeri hoc titulo: Aristophanis comoediae cum scholiis et varietate lectionis. Recensuit Immanuel Bekkerus Professor Berolinensis. Accedunt versio Latina deperditarum comoediarum fragmenta index locupletissimus notaeque Brunckii, Reisigii, Beckii, Dindorfii, Schutzii, Bentleii, Dobreii, Porsoni, Elmsleii, Hermanni, Fischeri, Hemsterhusii, Kuinoelii, Hopfneri, Conzii, Wolfii, etc. etc. Londini MDCCCXXIX. V. Volum. — Praefatio scripta est Non. Oct. 1827. Interpretum nomina in titulo mire miscuit, nobilioribus ut Kustero, Berglero, Spanhemio omissis, Fischero, Kuinoelio, Conzio minutiarum auctoribus additis; immo adeo favebat Dindorfio, ut ei plurima tribueret, quae Beckio debentur.

Continet haec editio collationem Ravennatis, Veneti et trium Mutinensium accuratissimam, praeterea scholia Thesmophoriazusarum e Ravennate sumpta, Vesparum et Pacis ex Veneto sup-

pleta; cetera vero iam nota sunt, multaque, quae manifesto falsa aut aliena putantur, omitti poterant.

Fabularum series ex temporis ratione instructa est. At Plutum Ranis et Ecclesiazusis false fecit antecedentem, quum his esset recentior. Putavit igitur Plutum superstitem esse priorem. cf. nos Praef. ad Plut.

De orthographiae locis permultis Bekkero assentiri non possum. Deserit morem nunc ab omnibus fere receptum infinitivos, in ᾱν qui exeunt, sine iota subscripto edendi licet auctoritate idonea munitum [39]); idque non facit nimis antiquitatis tenax, quum Dobraei vel Porsonis consuetudinem verbum ποιεῖν, ubi prima eius syllaba correpta est, sine iota scribendi, sequeretur. Hinc quidem factum est, ut plurimis locis metri causa scriberet ποεῖν, sed multis quoque locis ποιεῖν relinquere coactus esset, ut Plut. 572. 929. 975. 1058. etc. Immo contra regulam suam ποιεῖν passim scripsit Ran. 79. 357. etc. Iam qui fieri potuit, ut unus idemque scriptor in eadem fabula modo ποιεῖν, modo ποεῖν pronuntiari faceret? Nonne veri est similius, diphthongum hanc pronuntiando correptam esse, ut aliae ει et αι in aliis vocibus δείλαιος Plut. 847. ποιητής Ran. 71. παλαιός Lysistr. 988. etc. cf. Reisig. Coniect. Praef. XXIII.

In nonnullis sibi parum constat. Non denuo dico de accentu craseos τἆλλα adeoque κἀκεῖσε et id genus multa, de quibus supra actum est. Si semel sic sibi habuit persuasum, tum etiam κἤν etc. scribere non debebat. Alterutrum falsum est. Pariter aberravit vir summus in coronide neglecta, quamvis iam dudum Seidlerus ad Eurip. Troad. p. 148. de hac scite exposuisset. Etenim si spiritus asper adest, Bekkerus coronide omissa scribit

---

39) Etymol. v. βοᾷ. τὸ βοᾶν καὶ γελᾶν ἀπαρέμφατα οὐκ ἔχει τὸ ῑ προσγεγραμμένον, ὅτι τὰ εἰς ν̄ λήγοντα ῥήματα οὐδέποτε ἔχει πρὸ τοῦ ν̄ τι ἀνεκφώνητον. cf. F. A. Wolf. Analect. Liter. T. I. p. 419. Fischer. ad Weller. I. p. 118. 127. Elmsl. ad Eurip. Med. p. 90.

ἀνήρ, ἄνθρωπος, οὑμός etc., unde coniicio eum putasse, spiritum lenem exprimi, si scriberet ʽἀνήρ etc.; quum tamen haec esset coronis craseos signum unum et necessarium, non spiritus lenis. Non magis sibi constat in aliis rebus, quae suis locis significabuntur. Unum nunc addo. Plut. 203. edidit δειλότατός ἐσθ᾽ ὁ Πλοῦτος. 569. ἄμεινον πενία πλούτου, quamvis utroque loco eadem res agatur. Omnium vero maxime miraberis, quod, ubi Ravennatis lectionem veram recepit vel enotavit, Invernizii aliorumque errores inde ortos in notis verbotenus iterari fecit.

Haec habui, quae tecum, lector amice, de rationibus et consiliis, quae in hac Aristophanis editione secutus sim, communicarem. Quo ordine fabulas se excipere facerem, ab initio haerebam. Alii enim fabularum seriem codicum auctoritate sancitam tenere malunt, quae ne fortuita quidem videatur. Quod Plutum vulgo sequitur nobilissimum comoediarum par Nubes et Ranae in omnibus fere codicibus coniunctae, in permultis etiam singulariter cum illa scriptae [40]), eae interno quodam nexu consociantur, quum in ipsis poeta odiosissimum sibi par Atheniensium Socratem et Euripidem castigasset, quod uterque rempublicam corrumperet, alter iuvenes alter fabulas docendo [41]). Cum aliis vero nobis merito placuit fabularum ordo ex ipsarum aetate instructus, qui ad multas res est perutilis et pro se ipse quasi loquitur. Iam vero recte quaeri potest, quid me impulerit, ut Pluto, quippe quae me docente omnium sit novissima, primum locum assignarem. Quamvis mihi ita esset persuasissimum, mea tamen inventa prius sequi nolebam, quam essent aliis probata. Quum igitur Pluto hucusque aut nullus esset locus, aut alienus, extra or-

---

[40]) In fine Pluti cod. Tub. legitur τέλος τοῦ πρώτου δράματος.

[41]) Utrum Nubium Socrates sit Socrates ipse, an persona sophistices vicaria, Vol. III. docebitur.

dinem cum Prolegomenis edenda eo rectius videbatur, quod multos etiamnum errore duci videbam, hanc fabulam omnium esse emendatissimam.

Quod reliquum est, cum voluptate, spero, audies Ferdinandum Ranke ad reliquas Aristophanis fabulas ex eodem consilio iisdemque, quas hic secutus sum, rationibus edendas se mecum coniunxisse, qui vir Reisigii disciplina et familiaritate nutritus, quantam spem de se excitet, ex Aristophanis vita colligere poteris, quam hic maioris operis fecit praenuntiam.

Scr. Sextilibus exeunt. MDCCCXXIX. Halberstadii.

Bernardus Thiersch.

DE
ARISTOPHANIS VITA
COMMENTATIO.

SCRIPSIT

C. FERDINANDUS RANKE.

I.

Aristophanei ingenii reliquias poëtica virtute eminentissimas esse, nostra aetate inter eruditos constat. Nimis enim iniquae et asperae de Aristophane, viro immortali, opiniones, quas iam ab antiquitate traditas recentiorum nonnulli paullo cupidius animo imbiberant suaque decepti inscitia superstitiose servarant, tandem aliquando virorum eximiorum iudicio et auctoritate labefactatae et oppressae iacent. Quamobrem qui Aristophanem nonnisi lusibus iocisque inficetis, impudentibus et quamvis infimae plebi acceptis, homine tamen liberali indignis insignem fuisse censeant, ac quod supersit laudis, sua ipsum polluisse malignitate et maledicentia arbitrentur, hodie vix in ultimis Europae terris reperiuntur. Imprimis autem in Germania, patria nostra, cuius propriam veritatis esse investigationem ingeniorumque iustam aestumationem gloriamur, caecos eius contemptorum impetus magna doctorum virorum cohors compescuit. Itaque quoniam haec non ago inter homines eius nominis invidos, si ego quoque propter singulare animi mei de eius virtute iudicium in laudes eius ingredior neque falsa de eo praedico, non timendum esse mihi arbitror, ne gloriam illius insolenter persequi velle abiiciendumque confiteri amorem videar.

At quae nunc in omnium animis versatur et quotidie crescit viri virtutum admiratio, eam qui profiterentur, professique suam iudicii integritatem ostenderent, nullo tempore defuerunt. Etenim illis ipsis diebus, quibus cum comicis poëtis, quorum munus apud Athenienses dignitate et praestantia prae ceteris eximium erat, primo in certamen descendit, ingeniique illustris vim et divinitatem aequalibus recludere et aperire coepit: tam ingenti statim exceptus est audientium plausu, ut laude confisus longe lateque diffusa mox ad summum ipso successu veheretur artis culmen [1]. Neque postea Aristophanem sua fefellit exspectatio. Athenienses enim posteaquam semel intellexerant, quam ingenua facetiarum festivitate conspicuus praeclaraque ornatus doctrina et eruditione ad docendas comoedias accessisset; licet pro more suo aut seducti errore aut mala invidia commoti interdum humilius de eo senserint et iudicarint iniquius: tamen si non singula momenta, sed uno oculorum obtutu totius vitae perpetuitatem contemplamur, continuo praecipuoque eius amore capti tenebantur. Cuius rei non in occulto latent amplissima documenta. Quid enim commemorem, quoties cum poëtis ab ingenii ubertate celebratissimis congressus victor discesserit? quum non incertis veterum testimoniis compertum habeamus, antequam de vita decederet Aristophanes pater, filio Araroti paternae gloriae vestigiis insistere licuisse [2]. At quanquam non omnia puto mihi accurate esse enuntianda, unum tamen quo nullum afferre maius testimonium possum, praeterire nefas duco. Etenim suo erga patriam amore compositisque pro urbis salute

---

1) Equitum fabula, qua docta nomen eius primo innotuisse postea videbimus, quanto et periculo et honore ab ipso in certamen commissa fuerit, saepius profitetur poëta, Vespp. 1029 sqq. Pac. 754 sqq. Nubb. 549. Quae aliunde scimus, rem comprobant, cf. Equitt. Argum. II. (Vol. I. p. 65. exempl. Teubneriani, Lipsiae ab G. Dindorfio editi, a. 1825. quo nos, praeeunte Suevernio Viro Doctissimo, in versuum numero indicando esse usos monemus.)

2) Cf. argum. in Plut. (Vol. II. p. 358.) Clem. Alexandr. Strom. VI, p. 628, D. (ed. Sylburg. Coloniae 1688.) ex emendatione Casauboni ad Athen. III, 9. p. 123., a Brunckio in Fragmentis merito recepta, quam Kusterus quoque proposuerat in annott. ad arg. in Plut. cf. Toup. Emendd. in Suid. II, p. 141. Ox. et Dind. Aristoph. Fragm. p. 88.

carminibus effecisse fertur, ut oleae sacrae ramo coronaretur [3]; quo dono accepto insignium virorum in numero est habitus, qui dissociatos civium animos reconciliarant, pacisque et componendae et servandae civitati fuerant auctores. Periclis autem et Thrasybuli [4]) honoribus ornatum hominem num cuiquam esse postpositum existimas? Ac si ea est profecto non iniucunda laus, quae ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt [5]); quum inter Athenienses excelluerit poëta, quorum aures teretes et religiosae, quod non pulchrum et venustum esset, quam maxime reformidarunt, quorumque sales leporesque inter Graecos ad politissimas facetias fundendas natura aptissimos, omnium ore triti in proverbium abierunt: horum inquam Atheniensium laude decoratus Aristophanes summum sine dubio deportavit comis et festivi ingenii testimonium. Quid? quod excellentissimi qui illa aetate cum eo certabant poëtae comici auctoritate sua populi de Aristophane iudicium confirmarunt. Primus enim eius in theatrum ingressus quum maxime eximius fuisset; neque Cratinus, qui ab omnibus inter praestantissima veteris comoediae exempla numeratur, quamvis annis pressus ac dignitate praepollens, quidquam antiquius habuit, quam ut contra hostiles Aristophanis conatus sese defenderet eosque coërcere studeret [6]); et qui praeterea solet non sine maxima laude commemorari, Eupolis poëtae honorum particeps esse voluit, atque in componenda comoedia eum sese adiuvisse contendit [7]).

Sed qua vivebat aetate, Athenae urbs laudatissima magnis quidem et eximiis rebus plurimis ornata sed plena simul erat

---

3) Cf. Aristophanis vitam ab anonymo scriptore profectam p. XXX. Lips. (Vol. II. commentariorum Beckianorum) cum argumento Ranarum.

4) Cf. Val. Max. II, 6, 5. Corn. Nep. Thrasybul. 4.

5) Cic. Epist. fam. XV, 6.

6) Pytine docenda quid assequi voluerit Cratinus, docet schol. ad Arist. Equitt. 399. 529. cf. Meineke Q. Sc. I, p. 14. et 17.

7) Cf. Eupolidis versum ab scholiasta ad Arist. Nubb. 532. et 544. Equitt. 1288. servatum et ab Hermanno emendatum

τοὺς ἱππέας
ξυνεποίησα τῷ φαλακρῷ τούτῳ κἀδωρησάμην.

Idem Cratinus quoque in Aristophanem iecit probrum, cf. schol. ad Ar. Equitt. 529. Meineke Q. Sc. I, p. 40. Tantum sua laude obstare videbatur famae Eupolidis Cratinique Aristophanes!

gravium casuum turbulentarumque tempestatum. Propterea non est mirandum, quod interdum ipse quoque ambiguum eorum ingenium expertus de carminum virtute male intellecta queri poterat [8]). Tam raro autem id factum esse honorificae existimationis signum cui non videtur esse gravissimum? Sed quam suos inter aequales sibi contraxerat invidiam, eius posteritas causas magis et fontes perlustrata est; ac per totum saeculorum decursum, qui ingratis popularium animis potius obsequi, quam pro rei natura summum eius ingenium admirari et celebrare voluerint, paucissimi reperti sunt. Praeterea qui eius gloriae obtrectatores exstiterunt inter posteros, eorum iudicium aut propter verae eruditionis inopiam, aut propter inveteratas de eo, quod pulchrum et honestum est, opiniones, aut propter nimium virorum insignium amorem quos ab Aristophane maledicenter irrisos ac contemptos esse summa indignatione legebant, minore auctoritate pollet. Posterorum igitur admirationis quid alia quaeram documenta, quum hoc ipsum eam ostendat, quod quum reliquorum omnium poëtarum comicorum carmina, exilibus exceptis minutisque fragmentis, amissa sint omnia, huius si non cunctas comoedias, tamen praestantissimas fortasse, per manus doctorum hominum traditas nos nostra aetate integras accepimus? [9]) Quanquam in ea re divinae providentiae scio multa esse tribuenda, hominumque voluntati et consilio eripienda [10]).

---

8) Vespp. 1015—1050. Nubb. 518—562.

9) Simile de his rebus iudicium alii tulerunt. Ita Wielandium, qui non raro in Aristophanis ingenio diiudicando erravit, seque maxime praebuit iniquum, cf. Iacobs Akadem. Reden und Abhandlungen, Erste Abtheilung p. 325., talia locutum esse videmus (Neues Att. Museum I. Bd. 3. Heft p. 51.) „Die Zeit hat gerechter geurtheilt, als die Athenischen Kampfrichter: von den Komasten und ihrem gekrönten Urheber ist nichts als der Name übrig geblieben; die Vögel des Aristophanes werden, so lange die griechische Sprache sich erhalten wird, von allen denen, die attischen Grazien hold sind, mit hohem Vergnügen gelesen werden." Ita iure veritas temporis filia vocatur Gellio N. Att. XII, 11, aliisque multis hominibus.

10) Quicunque veterum librorum fata cogitat, eaque interdum prosperrima, interdum maxime infelicia fuisse reperit, haud dubitabit in illo iudicio acquiescere. Ad unum provoco, Niebuhrium, Virum Magnum, testemque rei locupletissimum, qui de Demosthene eiusque obtrectatoribus locutus, egregio exemplo providentiae esse magnas

Deinde, quum omnes fere, ut iam supra significavimus, Cratino, Eupolidi Aristophanique in antiqua comoedia principatum tribuerent, hosque tres viros reliquis palmam praeripuisse statuerent [11]): in eorum numero solus Aristophanes tantum sibi comparavit honorem, ut eius nomine non addito, sola comici poëtae appellatione eum designare possent scriptores antiqui [12]). Itaque comicis antiquae comoediae poëtis superatis omnibus, eorum qui in ceteris artis poëticae generibus maxime erant insignes et pro exemplis habebantur gloriam ae-

---

in libris servandis partes probavit (Kleine histor. und philolog. Schriften. Erste Sammlung p. 481). Iam antiquissimis temporibus rara fuisse scripta veterum praestantissima, Porphyrius testatur ap. Euseb. Praep. Evang. X, 3. „*σπάνια δὲ τὰ τῶν πρὸ τοῦ Πλάτωνος γεγονότων βιβλία.*“ Alia amissa nusquam apparebant. Cuius iam tum nonnulli caussam esse crediderunt non caecum quendam casum, sed dei consilium, quorum in numero est imperator Iulianus, antiquae deorum venerationi tota mente addictus. Legenda sunt, quae ille de Epicuri Pyrrhonisque libris iudicavit: a quorum studio sacerdotes revocavit suos. „*μήτε Ἐπικούρειος εἰσίτω λόγος, μήτε Πυῤῥώνειος· ἤδη μὲν γὰρ καλῶς ποιοῦντες οἱ Θεοὶ ἀνῃρήκασιν, ὥστε ἐπιλείπειν καὶ τὰ πλεῖστα τῶν βιβλίων.*“ p. 301. c. cf. A. Neander, Allgem. Gesch. der christl. Religion. Bd. II, Abth. I, p. 91.

11) Ut nominem singulos quosdam huius iudicii testes, tres nostros iunxerunt poëtas et in antiqua comoedia praecipuos fuisse dixerunt Dionysius Halicarn. art. rhetor. pag. 302. et 413. ed. Reisk., Horatius Sat. I, 4. ab in. et Quinctilianus Institt. oratt. X, 1, § 65. Quibus si ex graecis scriptoribus praeterea grammaticum addidero, qui ad Dionysii Thracis artem grammaticam scholia scripsit (in Imm. Bekkeri Anecdd. II, p. 749.) Andronicum *περὶ τάξεως ποιητῶν* (Ib. III, p. 1461.) et Platonium *περὶ κωμῳδίας*, p. X. ed. Kuster. officio me meo satisfecisse credant. At postea de hac re uberiora erunt dicenda.

12) Aristophanem a nostratibus, qui poëtarum aliorum nulla possidemus carmina, comici poëtae nomine in universum significari, nemo est, qui admirari possit. At quo tempore supererant etiamtum Cratini, Eupolidis, Pherecratis, Platonisque comoediae; quo Menandri et Philemonis, quo Antiphanis nondum interierant fabulae, quo antiquae igitur, mediae, quam dicunt, novaeque comoediae principes legebantur: eo tempore si poëta vocatus est *ὁ κωμικός*, id non potest nisi in maximum eius honorem factum esse. Eupolidi autem et Cratino, viris celebratissimis, multi praetulerunt poëtam. cf. Platonius de comoedia p. XXVII, Anon. de comoed. p. XXXII, Vitae scriptor p. XXXV. iique sine dubio antiquiorum iudiciis confisi neque suae ipsorum opinioni solum obsecuti, viamque ita illi appellationi munierunt. Multos igitur congererem locos, si larga eius rei testimonia scientibus afferre necessarium foret. Sufficiat nunc

quaerit [13]); unique fere postpositus est Homero, qui genus universum ita erat complexus, ut alius aliam partem, in qua elaboraret, post eum sibi seponeret, et ad eum, tanquam ad poëtarum quendam deum summam laudem pertinere concederet. Denique ipsi eius contemptores et adversarii acerrimi fere inviti laudes eius persecuti videntur. Plutarchus enim, quem inter eos honoris caussa nomino, ubi sua de morum sinceritate sententia obcaecatus, virique virtutum omnino oblitus quam maxime reprehendit Aristophanem, ibidem eum Menandro tamen soli postponit, quocum certasse ne Aristophani quidem potest esse non honorificum. Neque potuit alia de caussa is, cui tota vetus comoedia prae nova illa, cuius praestantissimus erat auctor Menander, displicebat, Aristophanem eligere quem cum Menandro conferret, nisi utrumque in sua arte principem esse aut ipse censuisset aut alios censere sciret. Gloriam igitur, inter aequales partam, posteritas non servavit solum Aristophani, sed auxit etiam et amplificavit [14]).

II.

Iam quae universe hactenus disputavimus, nemo poterit sua auctoritate confirmare, nisi erimus singulos homines, ingenio et doctrina abundantes oratione nostra complexi, a quibus summa

---

Eustathii commemoratio, qui locis plus quam sexcentis, in commentariis ad Iliadem et Odysseam Homeri explicandas scriptis, comicum appellat poëtam eiusque nomen praetermittit. Neque alienum est ab hoc loco latini grammatici testimonium, quod mihi indigitavit Th. Schmidtius, amicus meus suavissimus, doctissimus Horatii epistolarum interpres. Porphyrius enim quum apud Horatium commemoratos vidisset Bioneos sermones, Epist. II, 2, 60. neque quis ille fuerit accurate sciret; antiquae comoediae indolem ibi notatam esse ratus, statim de Aristophane cogitavit, eumque Bionis filium fuisse finxit, qua in re Lambinus temere in grammatici sententiam abiit. cf. Menag. ad Diog. Laërt. IV, 52.

13) Mohnike Geschichte der Litteratur I, p. 468.

14) Quod iudicium igitur tulit Th. Rötscherus (Aristophanes und sein Zeitalter p. 26.), quo magis homines ab aetate Aristophanis remoti fuerint, eo minus eius ingenii divinitatem totam esse intellectam, id nos ei concedere non possumus, cf. libri censuram in Annalibus Heidelbergensibus, a. 1829. m. Iulio ab Herrmanno V. D. profectam.

laus Aristophani concessa est. Sed quia non dubito, quin plerique concedant, unum enumerare omnes, qui poëtam celebrarunt, non posse: daturos esse mihi eos opinor hanc veniam, ut ex toto eius admiratorum numero, qui mihi potiores videantur, eligam. Ac primum quidem ad Platonem philosophum fertur animus, quem iudicii sui testem auctoremque, quicunque Aristophanem magni fecerunt, non sine nimia quadam cupiditate habere optaverunt; scilicet ut exemplis praeclaris non minus, quam argumentis refellerent poëtae contemptores et adversarios. Platonis autem exemplo variis de caussis ita legentium animi conciliari et permoveri posse videbantur, ut abiecto scuto ex certamine cederent et ad caussam Aristophanis ipsi traducerentur. Qui quum Socratis esset discipulus amantissimus, et quascumque ingrederetur in oras, praeceptorem suum ubique sua voce ornaret, beatissimumque praedicaret hominem, ita ut a Socrate Plato, tanquam ab animo corpus, disiungi divellique nequeat: — quo tandem potuisset modo, omni ira et studio liber, contra verum adeo celebrare virum, cuius comoediae totam eius scholam risui Atheniensium exposuerant? Et nonne ad ipsum quoque Platonem Socratis scholaeque Socraticae in Nubibus irrisio pertinebat, cui, consuetudine cum eodem viro inita, eidemque adscripto scholae, si minus eadem, similis certe Chaerephonti vehementissime irriso caussa erat defendenda? Praeterea vix negari a quoquam poterit, Ecclesiazusarum quam scripsit comicus fabulam, contra ipsius philosophi doctrinam disciplinamque fuisse compositam. Is igitur, vir praestantissimus, cui opprimendae erant potius vulgi opiniones, quibus de Socrate eiusque schola poëta animos Atheniensium imbuerat, si magnum in Aristophane ingenium esse confitetur, quid iucundius potest auribus nostris accidere? At in Convivio suo, pulcherrimo libro, ubi comici poëtae elegantia et acumine indigebat, neque Cratinum neque Eupolidem neque alium quemquam elegit, sed prae ceteris Aristophanem cum Socrate, Agathone, Alcibiade, aliis colloquentem induxit; simul omnium comicorum poëtarum qui ad illud usque tempus vixerant, eum praestantissimum esse professus. Praeterea in postrema Convivii parte, qua Alcibiadem ebrium introducit, Socratisque ei laudibus celebrandi partes tribuit, hunc

Socratis familiarem confitentem facit, non solum Aristophanem cum reliquis convivis furoris eius participem fuisse [15]) et multo aptius posse Socratem apud Aristophanem, ridiculum hominem, sedere, quam apud pulchrum [16]) Agathonem, sed eundem etiam summa veritate externum eius corporis habitum descripsisse [17]). Postremo usque ad diluculum Socrates, Agatho et Aristophanes de poësi dramatica disputant, quae res mihi quidem maximi esse momenti videtur. Etenim quum ipse verbis praemissis concesserim, de Aristophane Platonem eiusque in comica comoedia praestantia honorificentissimum tulisse iudicium, idem tamen nego, praeter vim atque facultatem poëticam illi quidquam tribuisse. Comoediae antiquae indolem ac naturam improbavit [18]); Aristophanis ingenium artemque admiratus est, cuius in facetiis fundendis non dissimilem esse videbat Socratem. Qua de re quoniam ubi de Nubibus sermonem instituimus, plura dicere coacti sumus, nunc nostro negotio paucis defungi possumus. Quod enim in libello ad defendendum apud iudices Socratem scripto proposuit [19]), iniuste agere poëtas qui poëtica sua virtute nimis freti reliqua omnia aggrederentur seque de omnibus rebus, quae ad civitatem regendam reliquasque disciplinas pertinerent, optime loqui posse crederent: idem hoc quoque in libello non obscure repetiit. Aperte enim dicit Aristophanem totum circa Bacchum et Venerem versari [20]); eumque de Amoris solum natura deque re scenica cum Socrate disputantem inducit, neque de alia ulla re ad eius iudicium provocat; quid? quod in iis ipsis quae optime callebat poëta, errores eius redarguit. Quae quanquam sunt verissime dicta, tamen philosophiae principatum dum ubique celebrat eamque solam aptam

---

15) Plat. Conv. p. 218. H. St. „*πάντες γὰρ κεκοινωνήκατε τῆς φιλοσόφου μανίας τε καὶ βακχείας.*“

16) Ib. p. 213.

17) Ib. p. 221, coll. Nubb. 361. Rückerti Symp. p. 229 sqq.

18) Plat. de Legg. XI, p. 935.

19) Plat. Apol. p. 18. H. St.

20) Ib. p. 177. *Ἀριστοφάνης, ᾧ περὶ Διόνυσον καὶ Ἀφροδίτην πᾶσα ἡ διατριβή.* cf. Rückerti comment. qui confidentius debebat Wolfii coniecturam refellere, et Bentl. Opusc. p. 387 sq., qui nimis acerbe in Aristophanem invehitur.

idoneamque esse, quae de omnibus rebus optime iudicet, rempublicam gerat, veritatemque sectetur contendit [21]); illa ipsa poëtarum Aristophanisque reprehensione praeclare, licet recusante fortasse animo, testatur, comoediam antiquam non totam amatoriam fuisse et lusoriam: neque eius auctores levem artem, orationis modo elegantia et urbanitate insignem, sententiarum autem pondere destitutam, exercere voluisse.

His expositis quum nemini obscurum esse possit, non exigua laude poëticas Aristophanis virtutes a Platone esse ornatas, non est, quod pluribus exponam, quid de ipsius Aristophanis irrisione in Convivio facta sentiam [22]). Si enim vere eum perstringere voluit, quod neque negare neque contendere ausim: „notare voluisse quandam circa cibum ac potum incontinentiam," quod Fr. A. Wolfius opinabatur, ac nuper Rückertus probatum ivit, equidem non credo, ac iocum potius et lusum sine ulla malignitate verbis inesse statuo. Sed quamcunque de hac re opinionem amplectimur, ingenii Aristophanei ubertatem praeclaramque poëtae et egregiam indolem Plato nusquam negare voluit [23]).

Accedimus ad secundum, quo Platonis amorem confirmant viri docti, testimonium. Reperitur enim apud scriptores veteres antiquum epigramma venustissimum, quod Platoni tribuunt philosopho [24]) hoc fere modo scriptum

---

21) Cf. de republ.

22) Athen. Deipn. V, p. 187, Olympiod. Vit. Plat. p. 585. ed. Diog. Laërt. Menag. Wolf. praef. ad Nubb. p. XV. Frommel. schol. in Aristid. p. 276. 287. Rückert ad Plat. Symp. p. 279 sqq.

23) Cf. Rötscher Aristoph. p. 19. Seebode Krit. Biblioth. 1828. p. 253 sqq. Praeclare Iacobsius „So wirkt auch die mänadische Muse dieses wunderbaren Dichters, dessen Gemüth einer der keuschesten Weisen des Alterthums, der auch nicht sein Freund war, voll gerechter Bewunderung, als ein ewiges und unvergängliches Heiligthum der Charitinnen preiset," libro iam supra laudato p. 45, quem equidem summa admiratione iterum iterumque legi.

24) Cf. Vita Aristoph. ap. Imm. Bekker. p. 15. Thom. Mag. Vit. Ar. ap. Beck. p. XL. Vita Plat. Olympiod. in calce Diog. Laërt. p. 585. et in Bibl. liter. et art. fasc. V, p. 11. Uti supra scripsi, ita epigramma exhibent, si correcta a Vindeto ad Platonis vitam Olympiodori levia scripturae vitia excipio (Menagium falso correctorem vocant Heerenius et Iacobsius, cf. Menag. ad Diog. Laërt. III, 18.)

Αἱ χάριτες τέμενός τι λαβεῖν ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται,
Ζητοῦσαι, ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους·

Quae laus quum si externam rei speciem sequimur, non esse verissima videri possit, hoc magis fuit omnibus iucunda et accepta, qui venustum suavemque poëtam Aristophanem rati, alios ab opinionibus perversis abducere cupiebant [25]). Ac lubenter confiteor, si verba ipsa adspicimus, ea tam eleganter esse dicta, ut si Plato verba composuisset, tanto viro ea digna videantur. Neque abhorret sententia a Platonis cogitandi ratione, ita ut vere de Aristophane talia dicere potuisset is, qui Convivium scripsit. Hinc factum est, ut quum reliqua Platonis epigrammata omnia impugnentur, aliisque vindicentur [26]), huius unius auctorem Platonem non esse nemo fere dicere ausus sit [27]). Mihi insi-

---

praeter Vitae scriptorem ex cod. Vindobonensi ab Heerenio editum, reliqui omnes. Heerenius autem ex satis inepta cod. Vindob. scriptura elegantissimos versus elicuit felicissima coniectura, quam merito Iacobsius, qui Anthol. Palat. I, p. 104. XI Brunckium sectatus, Vindeti emendationem receperat, Ib. VI, p. 848. elegans acutissimi editoris inventum appellat. At quanquam nos quoque cum Iacobsio in laudanda epigrammatis forma, qualem ab Heerenii ingenio accepit consentimus, tamen veterem retinuimus scripturam. Videntur enim primum quae a vulgata scriptura recedunt, *ἤθελον εὑρεῖν* explicandi gratia addita, errore non ratione esse in textum illata. Dein ut dicam, quod sentio, vulgatam esse elegantissimam credo, ex qua templum sibi in Aristophanis pectore Musae invenerunt, ab Heerenio adscitam certe non elegantiorem; quam si reciperemus, agrum quem colere vellent, sibi quaesivisse dicuntur. Rötscheri ratio, qua ductus ex cod. Vindobonensi nihil, nisi unum *διζόμεναι* pro *ζητοῦσαι* recepit, vix poterit a viris doctis probari. Licet enim Heerenius multo sane exquisitiorem vocaverit scripturam *διζόμεναι:* tamen ipsa forma est incertissima, cf. Schweighäus. in Lex. Herodot. s. v. *δίζω*. Buttm. grammat. mai. Vol. II, p. 110. Denique quum illa ab Heerenio edita Platonis vita conveniat in plurimis cum Olympiodoro, cf. Heeren praef. p. 4, ex uno eodemque fonte utrumque scriptorem sua hausisse apparet. Quare credi non potest, diversam eos secutos esse epigrammatis recensionem. Praeterea quum ultima verba *ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται* habeant, quo legentem offendant, quid? si uterque deleta illa verba in codice reperisset, et libere quae deerant addidisset?

25) Cf. Vavassor. de lud. dict. cap. 5. Rötscher Aristoph. cap. 3. Iacobs Akadem. Red. I, p. 383. Fabricii Bibl. Gr. II, 21.

26) Cf. Iacobs Catal. Poet. epigrammaticorum, V. XIII, p. 939 Anthol. Graec. Meiners Gesch. der Wissensch. II, p. 689.

27) Bailletus, Iugemens des Savans. T. IV. P. I. p. 221. de hoc epigrammate locutus haec verba addiderat: une Epigramme qu'on at-

deret dubitatio quaedam, si Aristophanis tantum in vitis epigramma traditum inveniretur: nunc id demum me movet, quod a serioribus solum servatum est scriptoribus. Iam vero illa non longam orationem desiderant, quamobrem existimem, quae praeterea ad Platonis erga Aristophanem amorem probandum afferuntur, ea nihili esse facienda. Primum enim vitae scriptor anonymus, de cuius dubia fide postea disputabimus, Dionysio Syracusanorum tyranno, Platonem Nubes misisse enarrat, ut inde, ut ex reliquis comoediis eiusdem poëtae, quod optaverat, Atheniensium rempublicam cognosceret [28]). Quae quidem narratio praeterquam quod ab uno solo eodemque haud digno summa fide traditur homine, per se non est verisimilis, quia maxime mirum foret, si illo tempore, praesertim quum maior Dionysius ipse poëticae arti studuisset, Aristophanis comoediae Syracusis reperiri non potuissent. Atque in universum ad graeculorum illorum consuetudinem ea esse non minus excogitata videtur [29]), quam quae praeterea commemorari debet fabula. Legimus enim apud Olympiodorum [30]) in defuncti Platonis lecto Aristophanis comoedias et Sophronis mimos esse inventos. Eam si contendo, ab Olympiodoro mihi profectam videri, in nullius hominis vituperationem incurrere potero. Ita enim, ut apertius

---

tribue à ce Philosophe, mais quand il s'en seroit l'auteur, comme il n'est pas fort vray-semblable qu'il le soit, on ne peut pas dire que Platon n'en ait eu qu'une estime mediocre, s'il est vrai etc. sed iam a Menagio propterea reprehensus est in Anti-Baillet T. II, art. 113. Rötscherum, qui nusquam de epigrammatis auctore dubitatum esse dixerat, quam opinionem repetiit Iacobsius l. l. nuper redarguit Herrmannus in censura eius libri, Annall. Heidelberg. m. Iul. — Caeterum non male videntur cum hoc epigrammate conferri posse Platonis verba „θύε ταῖς Χάρισιν," Xenocrati saepe dicta, („τῷ φιλοσόφῳ σκυθρωποτέρῳ δοκοῦντι τὸ ἦθος εἶναι") ut Plutarchus refert, Marii vita cap. 2.

28) p. XXXVII. „καὶ συμβουλεῦσαι τὰ δράματα αὐτοῦ ἀσκηθέντα αὐτῶν τὴν πολιτείαν."

29) Miro errore Nicod. Frischlinus a veritate aberravit. Is enim haec narrat. „Quid dicam de Hierone, Syracusano Rege, cui ab Atheniensibus petenti elegantissimum auctorem unde ipse linguae atticae leporem possit addiscere, misere illi, non Socratem — Demosthenem — Platonem — sed Aristophanem." Tanta levitate is in enarrandis rebus gestis versatur. cf. praef. in primam Aristophanicarum comoediarum partem a. 1586.

30) Vit. Plat. p. 585.

nihil ne cogitari quidem possit, quod de altero antiquitus narratum erat, vitae scriptor ad alterum traduxit. Posteaquam antiquissimi scriptores uno ore narraverant, Platonem cum moreretur Sophronis mimos capiti suppositos habuisse [31]), nunc cum Sophrone iunctum reperimus Aristophanem. Atqui Sophrone longe alia de caussa Platonem in conscribendis dialogis usum esse, quam Aristophane, mihi quidem videtur extra omnem dubitationem positum. Quare neque haec neque illa narratio probari potest. Illam non magis veram iudico, quam quod de Sophronis mimis antea neglectis et a Platone primum Athenas delatis memoratur [32]); hanc ad exempla ea, quae Photius ex Ptolemaei Hephaestionis filii libro prodidit [33]) excogitatam esse non temere arbitror [34]).

Quae quum ita sint, ad Convivium Platonis eiusque epigramma redimus, illisque in testimoniis acquiescere coacti, quum ea ad rem demonstrandam maxime idonea sint, reliqua animo lubente mittimus.

III.

His expositis, a temporibus, quibus ipse vitam degebat Aristophanes, recedere oculosque ad posteritatem convertere, testium magna penuria cogimur. Neque vero proxima post eius mortem aetate quid homines de eo senserint, satis constat. A Platone autem ad Aristotelem transitum, quum alterius gloriam quasi hereditate acceperit alter, res ipsa postulare videtur. Etenim ut Aristoteles statim in initio libri de arte poëtica scripti, ubi de tota poësi exponit, Platonis vestigia pressit [35]); ita, credo, praeceptoris iudicio probato, antiquam comoediam universe mi-

---

[31]) Quinctilianus Institt. Or. I, 10. Val. Max. VIII, 7. Athenaeus XI, 15. Diog. Laërt. III, 18. cf. Menag. Valckenar. Adnott. ad Adoniaz. Theocr. Ed. Berol. p. 9 — 10.

[32]) Diog. Laërt. l. l. Sophronis imitationem ab Aristophane factam saepissime scholiastae notarunt.

[33]) Bibl. CXC, p. 534.

[34]) Aliter de his rebus iudicat Rötscherus Arist. p. 20 sqq. Diu ante hunc H. Grotius ep. 399 rem verissimam esse iudicaverat.

[35]) Cf. Herm. ad Aristot. de arte poët. p. 84 seqq.

nus amavit [36]), Aristophani autem debitum honorem non eripuit [37]). Praeterea non Athenis tantum facetissimos poëtae lusus auditos, sed mox per alias etiam graecas civitates propagatos et in Macedoniam quoque delatos esse, Philippi ostendit regis Macedonum exemplum, qui proditoribus quibusdam Aristophaneo versu respondisse fertur [38]). At ad res multo potiores festinat oratio. Quamdiu enim Aristophanes Athenis ingenii laude florebat: Atheniensis respublica variis est casibus, cum bonis omnibus acerbis, tum imprimis Aristophani luctuosis perturbata; quibus comoediae mutatio, quae mihi quidem ex ipsa rerum natura orta esse videtur, est adiuta et accelerata. Tenemus enim memoria, eam quae antiqua vocatur desiisse: coepisse novam, cuius prima initia brevi ante finem vitae cycnea quasi voce Aristophanes iecerit. Non attinet nunc, eius rei rationes enarrare. De antiqua possessione depulsi comici poëtae aliam sunt ingressi viam. Inter quos quum artis auctores et inventores iam diu de vita decessissent, ingenio et doctrina omnes superavit in suoque genere perfectus exstitit Menander. At eius praestantia comoediarum, multo minus ut fieri solet, aequalium animos cepit, quam posterorum; ita ut qui postea gloriosum de eo iudicium ferrent, simul pravam aequalium mentem vehementer incusarent [39]). Apud posteros igitur Menander Aristophani exstitit hostis acerrimus. Etenim, quoniam suis in comoediis non poëticae artis solum venustatem prae se ferret, sed philosophiam quoque quam profiteretur artem, sibi assumsisse videre-

---

36) Multis rebus commotus hanc sententiam proposui. Licet enim ea pars libri praestantissimi de arte poëtica, qua de comoedia accurate locutus est, interierit: tamen ex superstitibus libris eius veritas cognosci potest. Ut ipsius verbis utar, ψόγον maxima ex parte ex comoedia removisse, τὸ γέλοιον in eius locum substituisse videtur, cf. IV. § 8. et § 12. exempl. Herm., cf. Lessing Hamburg. Dramaturgie, in sämmtlichen Schriften V. XXV. p. 270 seqq.

37) Crebro universe de comoedia disserens, reliquis non commemoratis, Aristophanem appellat Art. poët. III. § 4.

38) Cf. Tzetz. Chiliad. VIII, 557—569. ed. Kiessl. Plat. Apophthegm. p. 178. B. Iulian. Oratt. VII, p. 389 ed. Paris.

39) Quinctil. Institt. Oratt. X, 1, § 12. III, 7, § 18. Gellius N. A. XVII, 4. Suid. s. v. Μένανδρος. Octo comoediis victoriam acceperat; docuerat centum, Apollodoro in Chronicis teste.

tur: omnium delinivit animos oculosque in sese convertit eorum, qui boni probique homines morum sinceritatem integritatemque ubique sectati, libris uti quam maxime cupiunt, quibus non tam delectentur, quam de vita recte instituenda, de moribus emendandis et aliis huiusce modi rebus, quae a philosophis dici solent, instituantur. Neque tamen aliud quid amavit ipse, qui Anaxagorae dogmata suis inesse carminibus voluit [40]), qui Euripidem est et admiratus maxime et secutus [41]), qui maximis celebravit laudibus Epicurum [42]) Theophrastique fuisse dicitur discipulus [43]); itaque philosophiam comico poëtae necessario percipiendam esse iudicavit. Quam igitur Aristophanes ex tragoedia removere adeoque ex Atheniensium civitate eiicere summo studio, adhibita interdum acerbitate tentaverat, ea quo minus postea in comoediam ingrueret impedire non poterat. Primus autem, a quo scimus Menandrum in arte comica praestantissimum dictum reliquisque omnibus poëtis qui praeter Homerum inter Graecos excelluerant praelatum esse [44]), is fuit, cuius innumera in Graecas litteras collata beneficia et imprimis studium in scenicis poëtis positum dicendo satis celebrare non possumus. Loquor de Aristophane Byzantio critico et grammatico clarissi-

---

[40]) Tzetzes exeges. in Iliad. 67. ed. Herm. *Ἀναξαγόρας δὲ καὶ ὁ κωμῳδὸς Μένανδρος νοῦν εἶναι τοῦτον ἐνόμισαν.* Schaub. de Anaxag. p. 152.

[41]) Quinctil. Institt. Oratt. X, 1, § 69.

[42]) Exstat epigramma eius in Themistoclem et Epicurum scriptum in Anthol. Gr. I, p. 136. Iacobs., qui ab illo Athenas servitute, ab hoc (cum Lucretio III, 14.) stultitia (*ἀφροσύνας*) liberatas esse asserit.

[43]) Pamphila teste ap. Laërt. V, 86, quem in locum conferenda est Aldobrandini adnotatio.

[44]) Duo sunt argumenta quibus haec res evincitur. Alter testis est Porphyrius, *τῆς φιλολογίας ἀκροάσεως* α΄ ap. Euseb. Praepar. Evang. X, 3. „*ὅπως γε καὶ Μένανδρος τῆς ἀῤῥωστίας ταύτης* „*ἐπλήσθη, οὓ ἠρέμα μὲν ἤλεγξε διὰ τὸ ἄγαν αὐτὸν φι-* „*λεῖν Ἀριστοφάνης γραμματικὸς ἐν ταῖς παραλλήλοις αὐτοῦ τε* „*καὶ ἀφ᾽ ὧν ἔκλεψεν ἐκλογαῖς.*" Alter Epigrammatis scriptor, in Anthol. Palat. IV, p. 235. n. DLXIII.

οὐ φαύλως ἔστησα κατ᾽ ὀφθαλμούς σε Μένανδρε,
τῆσδέ γ᾽ Ὁμηρείης, φίλτατέ μοι κεφαλῆς·
ἀλλά σε δεύτερ᾽ ἔταξε σοφὸς κρίνειν μετ᾽ ἐκεῖνον
γραμματικὸς κλεινὸς πρόσθεν Ἀριστοφάνης.

mo. Quod si tanti viri iudicium, qui summa inter omnes auctoritate ad hanc usque aetatem floruit Aristophanis gloriae periculosissimum erat: tamen propterea felix ille est praedicandus, quod iudicem nactus est tam sobrium, qui in alterius laudem ingressus tamen non solum non contemneret alterum, sed etiam vehementer admiraretur. Quanquam enim, primo inter poëtas loco, ut fas est, Homero assignato, secundum Menandro tribuerat, quem quidem adeo amavit ut ipsa eius vitia lenissime perstringeret: tamen comicum cognominem suum maximi habuit, variisque modis studiorum suorum elegantia ornavit [45]). Verum ex quo tempore eius de Menandri comoediis sententia innotuit, tantopere hominum animos occupavit, ut non minus cupide quam optimorum scriptorum delectus, quem instituit Aristarchoque absolvendum reliquit, ab omnibus posteris repeteretur. Neque tamen eam reperimus apud omnes aequitatem et sobrietatem. Iniquos potius interdum Aristophanis antiquaeque comoediae iudices sese exhibent: qui novam cum Menandro suo laudibus in coelum tollunt. Qua in re Dionysius Halicarnassensis, qui artem criticam primus e Graecia Romam felici successu tulisse videtur [46]) maxime probandus est. Nam [47]) de veterum scriptorum imitatione disserens, comicis de poëtis suam sententiam exposuerat et, antiquae comoediae eiusque optimis auctoribus laude non detracta, Menandro palmam concesserat. Id si minus elucet ex eius libri excerptis, quae sola a nescio quo homine profecta ex antiquitate accepimus [48]): potest perspici

45) Cf. Wolf. Prolegg. p. CCXVIII — CCXX.

46) Hoc verum esse elucebit, si quae de scriptis suppositiis Cicero, qui fere nusquam fraudem sensit, iudicat, cum iis comparamus, quae de iisdem ex Quinctiliano discimus. Ut unum rei exemplum afferam de Periclis scriptis, cf. Quinct. Institt. Oratt. III, 1, § 12. cum Cic. Brut. 7. Ciceronis *ἀκρισία* plurimis potest exemplis probari. Cf. Wolf. Prolegg. p. XLVIII.

47) In parte secunda libri *περὶ μιμήσεως* de scriptoribus egerat, quorum imitatio oratori futuro necessaria esset. cf. ep. de Plat. p. 766. R.

48) Ibi de comoedia haec legimus scripta, p. 428 sqq. R. „*τῶν δὲ κωμῳδῶν μιμεῖται τὰς λεκτικὰς ἀρετὰς ἁπάσας. — Μενάνδρου δὲ καὶ τὸ πρακτικὸν θεωρητέον.*" Menandrum igitur solum nominatim profert. De libello qui „*τῶν ἀρχαίων κρίσις*" a Dionysii

ex Quinctiliani Institutionibus Oratoriis [49]), qui Graeci rhetoris vestigiis tantum non ubique insistens [50]) eius de priscis scriptoribus iudicium ita videtur amplexus esse, ut vix semel illud relinqueret. Praeterea autem in reliquis ab eodem viro scriptis rhetoricis criticisque libellis, quae eius de his rebus opinio fuerit, non obscure indicatum reperitur [51]). At non multo post iudicii iniquitas miro modo sese prodit in scriptore merito ab omnibus laudato, Plutarcho. Qui quanto amore prosequitur Menandrum, tanto Aristophanem reprehendit odio. Neque uno fortasse momento cogitatione abreptus sua in acerbum iudicium incidit, sed quum paene ubique eandem prae se ferat iniquitatem, toto animo poëtae adversarius existimandus est. Etenim nullum adest maius certaminis, quod inter Aristophanem et Menandrum gestum est, testimonium, quam comparatio inter utrumque a Plutarcho instituta, cuius epitomen tantum possidemus [52]). Hoc in libello quum Aristophanem tanquam hominem perversi iudicii descripsisset, genus dicendi eius illiberale indoctisque modo et plebeiis hominibus gratum vocasset, omnique modo eius comoedias, tanquam omnis venustatis expertes in contemptum adduxisset: magnas eius rei apud omnes Aristophanis amicos poenas dedit [53]). Sed praeterea in Sympo-

---

editoribus inscribitur nuper docte disseruit Dr. Alb. Gerh. Beckerus in libro bonae frugis plenissimo, „Dion. v. Halicarnassos über die Rednergewalt des Demosthenes" (a. 1829.) p. XVII sqq. Reiskii iudicium Dionys. Opp. Vol. V, p. 673. „Non videtur hoc opusculum Dionysii nostri esse, quod dictio ipsius statim praefationis docet" ibi confirmatum reperies a Viro Doctissimo, mihique carissimo.

49) Cf. Quinct. Institt. Oratt. III, 7, 18. X, 1, 69. „qui vel unus meo quidem iudicio, diligenter lectus, ad cuncta, quae praecipimus, efficienda sufficiat, ita omnem vitae imaginem expressit."

50) Cf. art. rhet. p. 802. R. „ἡ δέ γε κωμῳδία ὅτι πολιτεύεται ἐν τοῖς δράμασι, καὶ φιλοσοφεῖ, ἡ περὶ τὸν Κρατῖνον καὶ Ἀριστοφάνην καὶ Εὔπολιν, τί δεῖ καὶ λέγειν; ἡ γάρ τοι κωμῳδία αὐτὴ, τὸ γελοῖον προστησαμένη, φιλοσοφεῖ;" p. 413, 6.

51) Becker. l. l. p. XIII.

52) Cf. Plut. Opp. Vol. II, p. 853 sqq.

53) Non vulgarem ἀκρισίαν hoc in libro ostendi, iam Heinsius docuit Prol. in Aristarch. sacr. p. 9 sqq. Frischlinus eam refutare studuit „defensione Aristophanis contra Plutarchi criminationes" p. 31—50. cf. Vavass. de lud. dict. p. 106 ed. Kapp. Rötscher Aristoph. p. 21 sqq.

siacis [54]) Diogenianum de nova et antiqua comoedia iudicantem inducit, cuius e verbis, quanto illa aetate amore Menandri carmina, quavis occasione data, homines recitabant, aperte perspicitur. Finem quum ille suae orationi imposuisset, sophista quidam, stoicae sectae addictus, Aristophanis carmina esse recitanda censuit; aliusque conviva, Philippus his verbis usus esse perhibetur „*οὗτος μὲν τὴν ἐπιθυμίαν ἐμπέπληκε, τὸν ἥδιστον αὐτῷ Μένανδρον ἐπαινέσας καὶ τῶν ἄλλων οὐδὲν ἔτι φροντίζειν ἔοικεν* [55]).“ At in reliquis quoque Plutarchi libris sat multa odii huius vestigia conspiciuntur [56]), quanquam non raro testimoniis comicorum poëtarum in scribenda singulorum virorum excellentium historia nititur.

Iam quemadmodum a Plutarcho Aristophanis grammatici de Menandreae comoediae excellentia iudicium ita mutatum est, ut nimis vehemens inde ira odiumque in Aristophanem nasceretur: ita lenes eiusdem reprehensiones sensim sensimque sunt in maius auctae inimicaeque inde, quae vix repelli possent criminationes prodierunt. Attigerat ille, quibus in rebus Menander alios imitatus esset, suaque interdum hausisset ex aliorum scriptis. Iam Latinus nescio quis processit et sex libris Menandreorum furtorum multitudinem et fontes indicavit [57]). Quum Menandri amici indolem novae comoediae prae antiqua illa celebrassent eamque multo aptiorem, lectu digniorem melioremque dictitassent: contra qui Aristophaneae poësis naturam praeferebant, primum novae comoediae auctorem Aristophanem fuisse et Menandro hanc quidem gloriam praeripuisse censuerunt [58]). Imprimis autem

---

[54]) Plut. Sympos. lib. VII. qu. 8. p. 711. D. sqq.

[55]) Plut. Ib. p. 712. D.

[56]) Cf. Vit. Pericl. c. 13. Vit. Them. c. 19. (Posteriore in loco tangit adeo et corrigit singulas Aristophanis voces et facetias.) de Herodoti malignitate p. 855. f. de glor. Athen. p. 348. B.

[57]) Euseb. Praep. Evang. X, 3.

[58]) Hoc iudicium enuntiatum reperis a vitae scriptore anonymo p. XXXV et XXXVII, a Thoma Magistro p. XXXIX. „*οὔκουν τις ἀνεφάνη ὕστερον Ἀριστοφάνει παραπλήσιος.*“ ab anonymo de comoedia p. XXXIII. ed. Lips. „*ὁ μέντοιγε Ἀριστοφάνης μεθοδεύσας τεχνικώτερον τῆς μεθ' ἑαυτοῦ τὴν κωμῳδίαν, ἐνέλαμψεν ἐν ἅπασιν — καὶ οὕτω πᾶσαν κωμῳδίαν ἐμελέτησε.*“ Schlegel dramat. Kunst und Litteratur. II, p. 85. (Wien 1825.)

quum summa sermonis Attici gratia et iucunditate floruisset Aristophanes: qui eandem requirebant in Menandro elegantiam, hac spe frustrati acerrime poëtam vituperarunt, et propter incorruptam dictionis integritatem in reliquis etiam Aristophani victoriam addixerunt. Quorum ex numero nunc Phrynichum et Pollucem nomino, qui a Plutarchi aetate non longe remoti summa vitia admisisse peregrinumque in Atticum theatrum dicendi genus induxisse eum, demonstrare student [59]).

Ex his omnibus, ut nimis magna rerum copia evitetur, brevissime tantum adumbratis intelligi potest, saepe ita gestum esse hoc certamen, ut, quae maximi est momenti, poëtica virtus negligeretur resque alienae potissimum, ut aut huic aut illi palmam assignarent, singulos commoverent. Summos utriusque iudicii interpretes nominavi: non tetigi imitatorum magnam copiam; ego iam, quae mea sit de his rebus opinio, paucis explicabo. Atque a Quinctiliano quidem prava aequalium iudicia incusante dissentire audeo, quanquam quod ille potuit, Menandri carmina integra legere ego non possum. Nisi enim egregie fallor, lectu quidem erant dignissimae, auditu autem minus iucundae eius comoediae [60]). Licet generi hominum fructuosae merito putentur: tamen Atheniensium populo, vitae severitatem risu relaxare cupienti, si nonnunquam poëtae votis minus respondit, magna lis non est inferenda. Dein Menandri poësis Macedonum sub imperio nata, iis temporibus floruit, quibus reges bonarum litterarum tractandarum auctores et hominum doctorum tutores existebant. Iam quid mirum, si, qui ipsi regum

---

[59]) Singula accurate exposuit Vavassor de lud. dictione, cap. sexto, quibuscum conferendus est Sturzius de dialecto Alexandrina et Macedonica. Inter ea, quae ex Phrynicho enotavit Vavassor mihi maxime memorabilia esse videntur, quibus a. v. *σύσσημον* acerrimum illius aetatis hominum in Menandrum studium notavit. Ipsam libri, quo Plutarchus Menandrum cum Aristophane contulit, inscriptionem risit, de qua re Vavassor p. 107. non male disputavit. Praeterea multi alii grammatici Menandrum citant propter insolitas formas verborum. cf. Hellad. Chrestom. p. 4. ed. Meurs.

[60]) Tenendum est, iam Aristotelem, rei scenicae peritissimum iudicem, arte histrionica ab ipsa poësi disiuncta, scenicum apparatum non esse necessarium perhibuisse, Art. poët. VI. §. 27. Hinc quid appetierint illius aetatis homines potest iudicari.

tutela gavisi antiquitatis et litterarum studio ferebantur, quae tempore propinquior, ipsorumque ingeniis aptior erat comoedia, eam illi prae ceteris amabant? Contra eosne reprehendere, contemnere, ridere volumus, qui prioris hominum libertatis desiderio commoti, carmina minoribus difficultatibus impedita non legere, sed multiplicem potius doctrinam summa assiduitate sectari malebant, ut totam antiquam poëtarum mentem intelligerent? Nonne ipse Menander Iuliani uti verbis aptissime poterat, quae pulcherrime ex Imperatoris ore prodita esse mecum omnes concedent „ἀλλ' ὁ μὲν Περικλῆς, ἅτε δὴ μεγαλόφρων ἀνὴρ καὶ τραφεὶς ἐλεύθερος ἐν ἐλευθέρᾳ τῇ πόλει ὑψηλοτέροις ἐψυχαγώγει λόγοις αὐτόν. Ἐγὼ δὲ γεγονὼς ἐκ τούτων οἷοι νῦν βροτοί εἰσι ἀνθρωπικωτέροις ἐμαυτὸν θέλγω καὶ παράγω λόγοις [61]).“ Atqui cum populi libertate arcte coniuncta fuisse videtur Athenis pura et integra dicendi ratio. Nonne pulchrior et Attico sermoni accommodatior dicendi ratio Aristophani a plerisque concessa poëtae dici debet non contemnenda proprietas? Tum quod moralem Menandri vocant comoediam num veram id poëtae laudem continet? an iniuria Lessingius contendit [62]), quod Socrates Sophocleas tragoedias minus probaverit, quam Euripideas, id iudicium non tam esse inhonorificum Sophocli, quam videatur quibusdam? Si Dionysius Halicarnassensis, ut vidimus, Menandri non tam in dictione virtutem esse imitandam, quam in rebus ipsis tractandis perhibet (τὸ λεκτικὸν — τὸ πρακτικόν), nonne ad suam ipsius potius aetatem oculos convertit, quam ad ea quae per se poësis desiderat? Uterque enim mihi poëta τὸ πρακτικὸν adiuvare videtur, si quidem recte Iulianus [63]) „τοῦ πρακτικοῦ δὲ,“ ait, „τὸ μὲν πρὸς ἕνα ἄνδρα ἠθικόν· οἰκονομικὸν δὲ τὸ περὶ μίαν οἰκίαν· πολιτικὸν δὲ τὸ περὶ πόλιν.“ Dein si Menandri comoediis maiorem morum sanctitatem tribuunt; neque Aristophanes hoc concederet, qui Euripidem eandem ob caussam semper risit et perstrinxit, neque probaret fortasse Menander, si verum est quod ex Phaedri descriptione eiusdem et ex narra-

---

61) Iul. Oratt. VIII, p. 248.
62) Cf. Sophocl. vitam p. 10 et 126 seq. Sämmtliche Schriften V. X.
63) Oratt. VII, p. 215.

tione de amore Glycerae est cognitum. Qua in re memorabile est, quomodo apud Plutarchum defendatur. Apud eum enim Diogenianus, de quo iam diximus, ita loquitur „οὔτε παιδὸς ἔρως ἄῤῥενός ἐστιν ἐν τοσούτοις δράμασιν· αἵ τε φθοραὶ τῶν παρθένων εἰς γάμον ἐπιεικῶς καταστρέφουσι" cett. [64]), quod cum Ovidiana et Propertiana laude aliorumque sententiis optime convenit. Ceterum dubium esse non potest, quin omnino non solum singularum rerum difficultas maxime impedierit legentes, sed universe etiam Aristophanis ingenium nisi ab ingenioso et diligente homine intelligi non potuerit. Tamen equidem minime vellem propterea dementer in Menandri vituperationem abire. Namque et Aristophanis Byzantii iudicio maxime commoveor [66]) et Epigrammatum venustissimorum elegantia allicior [67]) et luculentissimis plurimorum hominum laudibus incitor [68]), et fragmentis ad nostram aetatem perlatis ad eum amandum cogor [69]), cui tam felici esse contigit, ut versus eius in eos libros reciperentur [70]), in quibus vel litteras singulas summa reverentia maxima hominum pars prosequitur. Menandrum igitur non solum ἄστρον τῆς νέας κωμῳδίας [71]) appellandum censeo, sed eius fabulas praestantissimis omnium temporum scriptis adnumero: neque tamen non merito universe Comici poëtae appellatione esse ornatum contendo Aristophanem.

---

64) Plut. p. 712. C.

65) Id ipsum Diogenianus confitetur ap. Plut. Ib. „οὕτω δεήσει γραμματικὸν ἑκάστῳ τὸ καθ' ἕκαστον ἐξηγεῖσθαι, τίς ὁ Λαισμοδίαν παρ' Εὐπόλιδι καὶ ὁ Κινησίας παρὰ Πλάτωνι καὶ ὁ Λάμπων παρὰ Κρατίνῳ καὶ τῶν κωμῳδουμένων ἕκαστος."

66) Eundem modum, quo Aristophanes de Menandro iudicavit, tenuit Ausonius, cf. Iacobs ad Anthol. III, 286. DLXIII.

67) Cf. Anthol. Palat. II, 188. XIII; III, 286, DLX—DLXIII.

68) Cf. Fabr. Bibl. Gr. L. II, c. 22. p. 730. ed. 1705.

69) Quae cum Philemonis Fragmentis a Meinekio praeclare edita esse, notum est. Ex eo suppleri possunt, quae de Menandri in Euripidem amore, praef. p. XXV de Theophrasti et Epicuri amicitia, sed imprimis quae de moribus Menandri p. XXVII collecta reperiuntur.

70) I. Cor. XV. 33. cf. Intptt.

71) Bekk. Anecd. Gr. II. p. 749, 13.

IV.

Instituenti mihi posterorum de Aristophane iudicia referre, quum oratio ipsa ad Menandrum eiusque gloriam delapsa sit, iam pes referendus esse videtur. A comico autem poëta, qui philosophiae imbutus erat praeceptis, ad ipsam philosophiam transgredi cogimur. Nulla enim caussa gignendis pravis iudiciis magis fuit apta et idonea, quam pugna inter nostrum poëtam et philosophos orta [72]); qua in errores abrepti multi antiquam comoediam meras nugas esse putarunt horrendamque Aristophanis impudentiam refugerunt. Quanquam Socrates et Plato, ut supra vidimus, non nisi ludendo lusibus poëtae responderunt: tamen paucis tantum exceptis reliqui in iram odiumque ita inciderunt, ut in Aristophanem graviter exarderent, eiusque conatus omni modo coërcere instituerent. Profecto quantopere Nubium editio Aristophani nostro nocuerit, postquam ipsa fabulae commissio infelici successu facta erat, vix dici potest. Quodsi Plutarchi sententia aliis ex caussis explicanda est, quam rem supra demonstravimus; tamen ut is in poëtam tanto ardore inveheretur, Socratis quoque irrisio effecit [73]). Sed si praeterea Lucianum, virum prae ceteris ingeniosum nominant eumque reprehendisse Aristophanem credunt, videntur mihi aperto in errore versari [74]). Licebit haud dubie hanc rem paucis absolvere, quoniam sine dif-

---

[72]) Antiquitus inter comicos poëtas et philosophos certamen extitisse, Plato de Republ. X, p. 607. docet; cuius verba Schleiermacherus (Platons Staat p. 616.) contra Astium recte explicavit. Adde praeterea Luciani dialogum Δὶς κατηγορούμενος, et Argum. Nubb. coll. cum schol. ad v. 98. Seebode Krit. Biblioth. a. 1829, p. 253.

[73]) Eadem ratione amor in Periclem contra comicos armavit Plutarchum, cf. Pericl. cap. 13. de Herod. malignit. p. 855 f. Sed aliam praeterea odii eius caussam repperisse mihi videor. Praeclare enim vidit O. Müllerus (Orchomenos p. 20.), multa Plutarchi iudicia ex eius patriae amore posse explicari. Quod si tenemus, videmusque ab Aristophane comicisque poëtis omnibus saepe Herculem Dionysumque irrisos, cf. Arist. Vespp. 60. Ran. ab in. Iul. Orat. VII, p. 204. Misopog. p. 366. Herodotumque legimus a Plutarcho eadem de caussa vituperatum, cf. Plut. de Her. mal. p. 857: esse dubium non potest, quin haec quoque caussa odii ceteris accesserit, cf. schol. ad Aristoph. Pac. p. 740.

[74]) Loquor non tam de Meinekio Q. Sc. I, p. 89. quam de Rötschero Aristoph. p. 23 sqq.

ficultate istam convelli posse sententiam arbitror. Perquam mirum foret, si Lucianus, qui cuiuscunque generis homines ipse ridendos et perstringendos susceperat, propterea que idem ingenii acumen, eandemque Attici sermonis elegantiam, quam in Aristophanis carminibus admiramur, sectari debebat, eum acriter reprehendisset potius eiusque exemplum respuisset. At aliter rem sese habere, tantum non omnia docent. Primum enim profitetur scriptor se philosophorum dialogum illis auferre et cum comoedia iungere velle [75]), ut ipsius utar verbis, *τὸ θῆλυ τῷ ἄῤῥενι ἐγκαταμίξαντα.* Dein quem locum ad suam opinionem comprobandam afferunt, is eam non comprobat, sed refellit. Est enim Luciani liber, *Δὶς κατηγορούμενος* inscriptus, quo is sibi ipse Rhetoricam et Dialogum litem inferentes inducit. Rhetorica igitur tanquam legitima uxor, a marito relicta, *κακώσεως* litem contra eum movit; Dialogus autem *ὕβρεως* caussam ei intulit, susceptisque philosophorum partibus, quod sibi Comoediam admiscuerit, queritur, et quod Eupolin et Aristophanem, qui praeter ceteros ad exagitandas atque irridendas res praeclaras apti essent [76]), ad Dialogum admiserit. Sed utriusque orationem refellit Lucianus; ac praeclare ita mihi videtur posuisse ante oculos, quid de se ipse sentiret. Nam non obscure significat, alterum sese Aristophanem, alterum Eupolin nominari cupere. Huic opinioni meae omnia favent, quae ex eius libris nobis cognita sunt [77]). Aristophani autem similis eandem iu-

---

75) Ad eum, qui dixerat, Prometheus es in verbis Opp. I, p. 23 seqq. ed. Bpp.

76) „*δεινοὺς ἄνδρας ἐπικερτομῆσαι τὰ σεμνὰ καὶ χλευάσαι τὰ καλῶς ἔχοντα.*“ Vol. VII, p. 95. Ceterum his Lucianus Cratini Pytinam imitari videtur.

77) Simillima in alio libro quodam Piscatores seu Reviviscentes inscripto III, p. 144. Bpp. reperiuntur: sed ab Diogene accusatore dicta, cuius orationem refellere studet Lucianus, eadem ratione in laudem Aristophanis sunt traducenda. Praeterea confer, quae universe de antiqua comoedia dicuntur, Anachars. VII, p. 180. ed. Bpp. De Agathone poëta tragico cum Aristophane consentire videtur Lucianus, cf. Rhet. praecept. c. 11. cum Thesmophoriazusis et Ranis Aristophanis. Possem postremo de Aristophane iudicium afferre, quod honorificentissimum esse primo adspectu videtur, Ver. Hist. I. c. 29. (Vol. IV, p. 297.) „*καὶ ἐγὼ ἐμνήσθην Ἀριστοφάνους τοῦ ποιητοῦ ἀνδρὸς σοφοῦ καὶ ἀληθοῦς καὶ μάτην ἐφ' οἷς ἔγραφεν*

dicii diversitatem tulit, et ab aliis in coelum latus, ab aliis infimis corruptissimisque hominibus annumeratus est [78]). Imprimis qua ille ratione, Socrate impugnato, omnium paganorum hominum doctore, est reprehensus: eadem Christo Christianisque violatis Lucianus summis est conviciis adspersus [79]).

His expositis quum Lucianum certe antiquum inter philosophos et comicos poëtas certamen non renovare, sed componere voluisse appareat, eum relinquimus et ad Iulianum imperatorem transimus [80]), qui duorum librorum caussa satyricis scriptoribus addi solet. Etsi autem iure suo Ez. Spanhemius Iuliani Caesares et Misopogona ex satyricis fabulis et antiqua comoedia ortos esse iudicavit [81]): tamen quod credere quis posset, non factum est. Antiquae enim comoediae non favisse imperatorem, inde elucet, quod quo minus sacerdotes theatrum adirent impedivit eosque a comicis poëtis legendis ad philosophos traduxit [82]). Ipse tamen comici poëtae carmina legere non dedignatus est, quae eum non solum nominatim testimonii caussa attulisse, sed imitatum adeo esse scimus [83]). Socratem contra tantopere amavit, ut non solum *τὸν μέγαν τῆς ἀρετῆς κήρυκα καὶ διδάσκαλον* eum vocarit, sed ipsi praetulerit Alexandro [84]).

His adiungenda erit tota gens Socraticorum philosophorum, qui libertate ex hominum vita remota comoediae, qualis anti-

---

ἀπιστουμένου." nisi ea ab ridente essent dicta. Lucianus quoque iis annumerandus est, qui Aristophanem omisso nomine laudant. cf. Prometh. V. I, p. 19. ed. Bpp.

[78]) Cf. Erasmus Epist. I, 29. Ep. V. in somn. Flögel Gesch. der komischen Literatur. I, p. 374 sqq.

[79]) Cf. schol. ad libr. de morte peregrini VIII, 281. „*οἷα ληρεῖς, ὦ κατάρατε, κατὰ τοῦ Σωτῆρος Χριστοῦ, ὅς σε καὶ τούτου ἕνεκεν ἀθανάτῳ παραδώσει κολάσει, ὡς παραβάτην καὶ τὰ ἡμέτερα διασύροντα.*"

[80]) „Lucien, dont les dialogues ont sans doute le plus des raport avec ses Cesars." Ez. Spanhemius de Iuliani Caesaribus p. 364. ed. Ramb.

[81]) Cf. Id. Ib. p. 360. Casaub. de sat. praef. p. 208 seq. ed. Ramb.

[82]) Iul. Opp. fragm. p. 300, 304. Misopog. p. 397.

[83]) Iul. Opp. p. 390. Ep. 59, p. 443. Oratt. VIII, p. 243. quo loco Acharnensium versum imitatur „*δάκνομαι δὲ καὶ δέδηγμαι τὴν ἐμαυτοῦ καρδίαν.*"

[84]) Oratt. VIII, p. 243, 264.

qua erat, indolem et naturam, quo remotiores ab ea aetate erant, eo minus intelligere poterant. Sed quid virorum nomina enumerare attinet, quum semper easdem criminationes ex iis repetitas audiamus? Unus extat, qui omnium personas libens in se suscipiet. Tam vehemens est eius iudicium! tam severe in Aristophanem saevit! tam ardente animo omnes omnium collegit ineptias! Nemo non suspicabitur, de Claudio Aeliano me loqui, homine Romano, scriptore Atticae venustatis et elegantiae non prorsus experte. Qui quum sacerdotis munus suscepisset non solum in omnes, qui providentiam divinam negassent, pio et probo animo acerrime invehitur [85]), sed Socraticae etiam philosophiae amore ductus Aristophanem, eius irrisorem, non sine magna vehementia reprehendit et contemnit, ita ut pessima quaeque perpetrare eum potuisse crederet. Praeterea omnem obscoenitatem osus, ab improbitatis cuiusque commemoratione abhorret. Iam lege quo modo contra Aristophanem (*βωμολόχον ἄνδρα καὶ γελοῖον ὄντα καὶ εἶναι σπεύδοντα*) defenderit Socratem (*τοῖς τε ἄλλοις θεοῖς φίλον καὶ δὴ καὶ μάλιστα τῷ Ἀπόλλωνι*), Atheniensiumque levitatem accusarit (*φύσει φθονεροὺς ὄντας καὶ τοῖς ἀρίστοις βασκαίνειν προαιρουμένους* [86]).

At ab his abstinere praestat, quum non tam praestantissima comoediarum monumenta ab Aristophane edita, quorum caussa omnem hunc sermonem intulimus, quam ipsum poëtam poëtaeque mores tangi et accusari videamus. Neque vero omitti haec poterant, quum ea sit humani animi imbecillitas, ut vix possit, iniquo de homine iudicio lato, quae in eius libris utilia, erudita, arguta, elegantia legantur, videre et agnoscere. Quanquam nos quoque concedimus, corruptis moribus si scriptores polluuntur, eorum scripta legere periculosum esse. Magna igitur eruditorum hominum copia Aelianum eiusque generis scriptores secuta,

---

[85]) Perizonius praef. ad Aelian. p. XVIII.

[86]) Ael. Var. Hist. II, 13. Simile odii signum reperies I, 18. Qua cupiditate Socratem Socratisque similes philosophos amplexus sit, III, 17. ostendit eorum contra *ἀπραγμοσύνης* crimen defensio, cui his verbis dictis finem imposuit: „*Ἐγὼ μὲν γάρ*, ait, *τὴν σὺν αὐτοῖς ἀπραγμοσύνην καὶ τὸν τῆς ἡσυχίας ἔρωτα καὶ ἁ ρ π ά σ α ι μ ι ἐ π ι δ ρ α μ ώ ν*.

virum vera solidaque laude cumulatissimum omni honore suo exuit. Neque tamen defuere, qui quamvis Socratem excellenti et praeclaro ingenio ac virtute vere divina ornatum esse scirent, tamen omnes ad legendas Aristophanis comoedias incitarent humanoque generi eas adeo nihil obfuturas, ut profuturae essent quam plurimum, crederent.

V.

Reliquum est, ut quos praeterea sciam Aristophanem uno consensu in magnis honoribus habuisse tantique viri cognitionem alacriter promovisse et propagasse, breviter enumerem. Nimia tamen cupiditate liber cavebo ne eorum numero eos, qui aliis studiis trahuntur delectanturque, temere admisceam. Iam primum enim nulla fere res potest in maiorem disceptationem vocari, quam mira de Ioanne Chrysostomo, Aristophanis comoedias lectitante, narratio. Primus enim, ut visum est viris Graecarum litterarum peritis, Aldus Manutius, quum Aristophanearum comoediarum editionem parasset, suumque librum Danieli Clario Parmensi mitteret, Ioannem Chrysostomum tanti fecisse Aristophanem praedicavit, ut duodetriginta comoedias eius semper haberet in manibus, adeo ut pro pulvillo dormiens uteretur; et inde eius et eloquentiam et severitatem repetiit [87]). Quam quidem narrationem, quoniam Chrysostomus inter oratores Christianos facile princeps pioque et probo animo maxime insignis est [88]), non sine ardente fervore certatim omnes Aristophanis admiratores repetierunt [89]). Ac primo quidem adspectu legentis

---

87) Cf. eius praef. in Beckii Commentariis in Arist. comoedias V. I, p. LXXVI. Ipse ad priorem quendam rei narrationem retulit: „hunc item I. Chr. tanti fecisse *dicitur.*“

88) Cf. vitam Chrysostomi ab A. Neandro scriptam, viro eximio, cuius scribendi rationem piam eruditamque summo iure vocavit Knappius, Script. Var. Argum. p. 414. ed. II.

89) Aemilius Portus epist. dedicat. ad O. Bisetum p. LXXXVII, ed. Beck., qui rem, quam a viris fide dignis memoriae proditam ait, ex solo Manutio hausit, ut reliqui omnes, Morhof. Polyhist. l. VII, c. 2, § 8. (V. I, p. 1029.) Fabric. Biblioth. Gr. Vol. II, p. 388. Vav. de lud. dict. p. 83. et 88. ed. Kapp. Mohnike Ge-

animum turbat Manutii dicendi ratio, qui numerum adeo comoediarum inauditum confidenter venditat. Accedit qua ut rem credamus adduci possemus alia caussa. Hieronymus enim, quem Latini eodem modo, quo Graeci Chrysostomum admirantur, summaque laude ornant, sese post noctium crebras vigilias, post lachrymas, quas praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruisset, Plautum sumpsisse in manus, ipse enarrat. Qua de re quanquam dubitarunt nonnulli ac pro Plauto Platonem substituerunt, tamen nunc non disceptatur amplius, ex quo Lessingius suo iudicio eam comprobavit [90]). Sed neque propter fidem quae Manutio debetur [91]), neque propter haec Hieronymi verba, errorem narrationi subesse non sentimus. Iam diu autem de ea re dubitarunt nonnulli. Ac frustra Menagius ab Aldo Manutio ad Achillem Tatium confugit, eumque testem esse suspicatus est, iam ab editore Menagiorum refutatus [92]). Mihi quidem ex errore nata videtur Manutii narratio. Primum enim apud nullum scriptorem fide dignum ea reperitur. Dein, quod maximum est, eloquentiae genus in scriptis Ioannis Chrysostomi obvium ab Aristophane est alienum; dum hic simplicitate maxima, ille ornatu gaudet. Fuit quidem Libanii discipulus [93]), fuit in litteris Graecis versatissimus: eloquentiae studuit, artemque dicendi sacerdoti Christiano esse necessariam Paulli Apostoli exemplo probavit [94]), amavit poësin, poëticaque loquendi ratione ita usus est [95]), ut adeo ab hostibus nefariis propterea non sine

---

schichte der Litterat. I, p. 461. Herderus, vir vere eximius, ita exaggeravit eam narrationem, ut sub pulvillo adeo servatas esse Ar. comoedias, somniaret. Sämmtliche Werke zur Philosophie und Geschichte, Bd. VI, p. 196.

90) Cf. Lessing's sämmtl. Werke, Bd. X, p. 168 sqq.

91) Quanquam Manutius suam ipse fidem elevasse videtur, additamento temerario de Terentio, Ciceronis familiari; quem errorem puerilem non immerito vocat Vavassor de lud. dict. p. 176. ed. Kapp.

92) „Dans la préface de la seconde partie de ses Observations sur la langue française et dans le Chap. 113. de son Anti-Baillet." De la Monnoye I, p. 432. Vavass. de lud. dict. p. 84.

93) Neander I, p. 4.

94) De sacerdot. IV, cap. 7.

95) Neander II, p. 194.

felici successu accusaretur. At ex Aristophanis comoediis severitatem et eloquentiam suam non hausit. Nisi fallor, quem supra memoravimus, Hieronymi erga Plautum amor Manutium in errorem inducere potuit; nisi potius Dionem Chrysostomum cum Ioanne commutavit, quem saepe legisse Aristophanem imitatumque esse multorum locorum comparatio docet [96]).

Chrysostomo igitur misso, iam ad institutum revertor meum. Inter Graecos autem scriptores qui nobis innotuerunt nemo cum pulchrius et ornatius, tum verius in Aristophanis laudes ingressus est, quam Antipater Thessalonicensis. Illius epigramma, merito ab omnibus laudatum, Aristophanis virtutem tam praeclare describit [97]), ut equidem illud praeterire nequeam:

Βίβλοι Ἀριστοφάνους, θεῖος πόνος, αἷσιν Ἀχαρνεὺς
κισσὸς ἐπὶ χλοερὴν πουλὺς ἔσεισε κόμην.
ἠνίδ' ὅσον Διόνυσον ἔχει σελὶς, οἷα δὲ μῦθοι
ἠχεῦσιν, φοβερῶν πληθόμενοι χαρίτων.
ὦ καὶ θυμὸν ἄριστε, καὶ Ἑλλάδος ἤθεσιν ἶσα [98])
κωμικὲ, καὶ στύξας ἄξια [99]) καὶ γελάσας.

Neque alienus fuisse ab Aristophanis ingenii elegantia poëta videtur; qui ornatissimis versibus insignis, rerum quoque veritate excellit. Nam cum Aristophane Aeschylum quoque laudavit maxime, pulcherrimoque eum epigrammate donavit [100]); in quo ipsis Aristophanis verbis uti voluit [1]). Neque tamen minus propterea Socratis mortem deflevit, eiusque accusatores vitupera-

---

96) Saepissime Reiskius versus Aristophanis cum Dionis verbis contulit, cf. Ar. Ecclesiaz. 624. aliosque locos permultos.

97) Cf. Anthol. Gr. V. II, p. 102. ed. Iacobs. De auctore nullam movet dubitationem Iacobsius, quod Vat. cod. Antipatro Thessalonicensi vindicat, cf. Iac. Vol. VIII, pag. 306. XIII, p. 850.

98) Noli cum Iacobsio *ἄστικα* recipere pro *ἄξια*, quam scripturam omnes codices, errore Vat. codicis, *ἄξιι* praebentis, excepto, exhibent. *ἄξια* longe est significantius.

99) Iacobsius *Ἑλλάδος* et *ἤθεσιν* in alienum transtulit locum. Recte Wechelianum, p. 136.

100) Anthol. II, 110. LVII.

1) Arist. Ran. 1004. cf. Iac. in Epigr. VIII, p. 385.

vii [2]) („τοιοῦτοι πολλάκι Κεκροπίδαι“) et in iudiciis ferendis iuertiae accusavit.

Aliud epigramma a Diodoro profectum, divinitatem poëtae praedicat [3]):

Θεῖος Ἀριστοφάνης ὑπ' ἐμοῦ νέκυς, εἴ τινα πεύθῃ,
κωμικὸν ἀρχαίης μνᾶμα [4]) χοροστασίης.

Sed tempus me deficeret, si colligere vellem, quaecunque in Aristophanis gloriam diversis temporibus a singulis dicta sunt. Nam in admirationem eius effusos homines cuiusque generis esse reperies. Lege quaecunque in tuas manus venient antiquitatis scripta: vix unum et alterum videbis, hostili animo qui Aristophanem eiusque comoedias aggressus fuerit. Praeterii igitur omnes scriptores historicos, praeterii omnes oratores, praeterii omnes poëtas, philosophos, mathematicos, astronomos, medicos, mythographos, qui eius salibus facetiisque usi, sibi quoque inde gloriam comparare studuerunt. Tacui grammaticorum cohortem, qui certatim summo studio illustranda eius scripta susceperunt, in eoque negotio gerendo summam doctrinam et eruditionem suam testati sunt. Tacui homines doctos, qui ex eius comoediis diligenter lectis Atheniensium civitatem cognoscere, vitae morumque cognitionem haurire optaverunt.

Hactenus ostendere voluimus, quo modo de Aristophane Graeci homines iudicaverint. Restat ut quae Romanorum fuerit de poëta sententia, contemplemur: dein ad recentiorem aetatem transitu facto, quam celerrime fieri potest, ad nostra tempora recedamus.

---

[2]) Anthol. II, 110. LIX.

[3]) Anthol. Vol. II, p. 69. VIII. Bekkerus Aristoph. V. I, p. XV, singula correxit, quae in libro ab Iacobsio edito falso erant exhibita. Poëtam non esse Zonam Diodorum sed Diodorum iuniorem Strabonis amicum, censet Iacobsius V. XIII, p. 884.

[4]) „Ipse poëta comicus μνᾶμα ἀρχαίης χοροστασίης, monimentum veteris comoediae, vocatur.“ Iacobs V. VIII, p. 209. His conferenda sunt V. I, p. 55. II. ἵππος μνᾶμα ποδῶν ἀρετᾶς. Ib. VII. „μνᾶμα χοροῦ νίκας, υἱὸς Ἀρηϊφίλου.“ Idem vocabulum alibi reponendum censeo, Anthol. V. IV, p. 232. DXLIII, v. 6, ubi scriptum legitur de Platone, κάλλιστον σεμνῆς σῆμα διχοστασίης, et Iacobsius σχῆμα coniecit, Vol. XII, p. 172. μνῆμα aptius mihi videtur, et facile corrumpi poterat, quia σεμνῆς praecedit.

Inter antiquissimos Romanorum scriptores Cn. Naevius Campanus comoedias composuisse antiquamque Graecorum comoediam imitatus esse dicitur [5]). Quod si verum esset, Aristophanem quoque ab eo magni habitum credere posses. Sed quo minus id ipse pro certo habeam, impedit me testium penuria. Quanquam enim comoedias eum scripsisse scio, tamen quae earum ratio fuerit, quum vix unum reperiatur fragmentum, perspici non posse credo. Neque quod ob maledicentiam in carcerem coniectus nobiliumque odio in exilium missus Uticaeque mortuus perhibetur [6]), in eam rem afferri poterit. Versus enim, quibus Metellorum gentem offenderat, utrum ex comoediis eius sumpti sint, an ad alios libros pertinuerint, non est cognitum. Praeterea licet comoediis suis singulos homines perstrinxerit interdum, quod negari non potest: quo iure ad antiquam redimus comoediam, quum eandem singulos conviciandi consuetudinem et in media et in nova videamus repetitam? Quare quum ex his certi nihil elici possit, id tamen constat, ea tempora antiquae comoediae indoli ac naturae, qualis apud Athenienses floruerat, non favisse. Quare quid Marcus Cato senserit, magna est quaestio. Quanquam enim Graecas litteras Romam transferri non volebat, omniumque rerum corruptelam inde proventuram esse suspicabatur [7]): tamen simul Athenienses multa gloriosa possidere et magna concedebat ab eorumque iudicio totus pendebat [8]), imprimisque veterem Atheniensium virtutem laudabat [9]). Prae ceteris philosophos et rhetores odio magno persecutus esse videtur [10]). Socratem enim loquacem et seditiosum hominem fuisse, censebat [11]), apud Isocratem dicebat discipulos senescere. Qua in

---

5) Eichhorn Gesch. der Litteratur. I, p. 325. Idem praeterea in tempore poëtae indicando in multos errores incidit. cf. p. 325, 359, et 376. et Vossium de hist. Lat. l. I. c. 2. Lessing's sämmtliche Schriften. Bd. X, p. 158.

6) Gell. N. A. I, 7. III, 5. VI, 8. Plaut. Mil. Glor. ab in.


7) Plin. Nat. Hist. XXII, 1. Plut. Cat. c. 23.

8) O. Müller die Etrusker, p. 5.

9) Plut. Cat. c. 12. et 23.

10) Plut. Cat. c. 12. Ipse tamen de Oratore et de Moribus scripsit. Quinctil. I. Oratt. III, 1. Gell. N. A. IX, 2.

11) Plut. Cat. c. 23.



re quum comicorum potissimum indicia amplexus esse appareat, videri potest Aristophani quoque aequus iudex extitisse; imprimis quoniam veteri disciplinae sine dubio tam addictus fuit, ut cum comicis poëtis, praecipue cum Aristophane eadem via incederet [12]). Sed vix credibile est, hominem tam severae naturae indolisque arduae et difficilis ex comoediis risum captasse [13]). Quare neque Socratem magni fecisse, neque eius irrisorem, est verisimile. Comoedia, tempore turbulentissimo maxime culta, ipsa perniciei et testis et caussa videri potuit.

Posteriore aetate, quum Graecae litterae sensim Romam delatae, in ea urbe praeclare effloruissent, postquam de Catone sermo fuit, primum Ciceronis nomen nobis occurrit, quem hilaritatis esse et facetiarum laudatorem constat [14]). Is igitur non solum universe, quum duplex esse statuerit iocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscoenum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum, Atticorum antiquam comoediam, una cum Plauto pluribusque Socraticis philosophis, posteriore iocandi genere usam esse refert [15]); sed etiam Aristophanis ipsius verba in Periclis caussa pronuntiata testimonii loco affert [16]), eumque facetissimum veteris comoediae poëtam appellat [17]).

Accedit Lucilius, Satirae apud Romanos inventor, qui diu ante Ciceronem non solum amavit Graecorum veterem comoediam, sed suo poëmatum genere eius imaginem expressam proponere voluit. Etenim ex quo tempore Casaubonus immensa doctrinae copia instructus singula harum rerum indicia collegit et ingenii acumine suo diiudicavit, nemo dubitavit, quin in notandis obiurgandisque hominibus plurimum studii posuerit, pri-

---

12) Süvern über Aristophanes Alter, p. 47.

13) „τοὺς δὲ σπουδάζοντας ἐν τοῖς γελοίοις ἔλεγεν ἐν τοῖς σπουδαίοις ἔσεσθαι καταγελάστους.“ Plut. Apophthegm. p. 199. A.

14) Cf. Plut. compar. Demosth. c. Cicerone c. 1. Vav. de lud. dict. p. 310 seqq.

15) Cic. de Off. I, 29.

16) Cic. Orat. c. 9.

17) Cic. de legg. II, 15.

scaeque comoediae libertatem assectatus sit [18]). Quare quanquam nihil afferre possum, quod de Aristophane ab Lucilio dictum sit, tamen Aristophanem ab eo magni habitum si affirmem, me non inepte iudicare puto. Horatius enim, qui post Lucilium satiris scribendis animum appulit, hunc ipsum cum Eupolide et Cratino ab eo imitatione esse expressum asserit [19]). Quae quum negari non possint, inde iterum potes, qualis Ciceronis fuerit sententia cognoscere, qui Lucilium quoque perurbanum et doctum vocavit [20]).

Lucilium excepit Horatius, secundusque in satiris scribendis insignem laudem detulit. Nam id maxime legenti eius libros animadvertendum est, Lucilium non reprehendi ab eo propter rerum tractatarum indolem, sed propter sermonis impolitum et incultum genus [21]). Neque tamen hoc iudicium omnibus probare potuit, quum gravissimi viri Lucilium propterea defenderent [22]). Acceptam igitur a Lucilio satiram Horatius forma politiorem reddidit; consuetudinem autem, singula hominum vitia singulosque improbos homines salibus facetiisque ridendi et perstringendi retinuit. Quamobrem eodem iure, quo Lucilium, Horatium quoque antiquae comoediae imitatorem vocare licet. Neque ipse id refugiet et a sese removebit [23]).

De Quinctiliano quum iam supra dictum sit, quem non temere Mohnikius [24]) dum antiquam comoediam laudet, de Aristophane potissimum cogitasse credit, iam ad eos transire possumus, qui post Horatium satiris scribendis operam dederunt, ad Iuvenalem et Persium. Qui qua aetate vivebant, tam corrupti erant Romanae civitatis mores, aliaque prorsus reipublicae regendae extitit forma, ut tota satirarum indole servata, longe

---

18) Casaub. de sat. poës. p. 212. König de sat. Rom. p. 78 seq. Flögel Gesch. der kom. Litteratur. II, p. 9.
19) Hor. Serm. I, 4. ab in.
20) Cic. de Orat. II, 6.
21) Hor. Serm. I, 4. II, 1, 62.
22) Quinct. Institt. Oratt. X, 1, 94.
23) Serm. I, 10, 14. „hoc stabant, hoc sunt imitandi."
24) Mohnike I, p. 461.

tamen alia ratione in gerendo negotio versari deberent [25]). Utrumque Lucilii imitatorem in antiquam non minus comoediam oculos convertisse, nemo infitiabitur, quum Persius auctorum veteris comoediae lectioni assuetos homines sibi quoque lectores optaverit [26]), Iuvenalis autem tota indole sua, quantum illa tempora sinebant, Aristophaneam scribendi rationem exprimat [27]). At non hoc solo satirarum genere est antiqua Atheniensium comoedia a Romanis hominibus imitatione expressa. Fuerunt quoque qui ad eius exemplar comoedias componerent. Ex quibus nunc unum tantum commemorare lubet, cuius scripta quanquam in Plinii secundi iunioris Epistolis tradita ex hominum memoria non exciderunt, tamen a recentiorum nemine visa sunt. Narrat enim Epistolarum scriptor iucundissimus, sese audiisse Virginium, legentem comoediam ad exemplar veteris comoediae scriptam, tam bene, ut esse quandoque possit exemplar [28]).

Simul quid ipse de antiqua comoedia sentiat, pulcherrime exposuit totaque sua sermonis elegantia elegantiam illius descripsit. Quare priusquam de Romanis, qui antiquae comoediae Aristophanique favent, discedam, eius verba afferenda credo. Acquiesco igitur in his Plinii verbis: „Nunc primum se in vetere comoedia, sed non tanquam inciperet, ostendit: *non illi vis, non granditas, non subtilitas, non amaritudo, non dulcedo, non lepos defuit. Ornavit virtutes, insectatus est vitia, fictis nominibus decenter, veris usus est apte*" [29]).

---

25) Cf. König de sat. Rom. p. 36 seqq. Casaub. de sat. poës. p. 230. ed. Ramb.

26) Pers. Sat. I, 123 seqq. At is quam diversus fuerit ab comicis veteribus, stoica severitate sua et facetiarum penuria, uberius dicere coram scientibus ineptum esset. cf. König de sat. Rom. 40—44.

27) König l. l. p. 44 seqq. Scaliger Poët. VI, 838, 867 seq.

28) Plin. Ep. VI, 21.

29) Inde, credo, intelligi potest, non ab omni parte vera esse, quae de Romanis ab veteri comoediae indole alienis posuit Rötscher, Vir praestantissimus, Aristoph. p. 25 seq.

VI.

Redeo tandem, omni antiquitate relicta, ad recentiorem aetatem. Neque tamen mihi necessarium esse credo, longam disputationem instituere de ratione, qua quicunque in Graecis doctrinis eruditi fuerunt et Graecarum litterarum amore floruerunt his seculis, de Aristophane iudicarint: cuius rei si brevem modo adumbrationem, non narrationem prolixam proponere vellem, iusto largiorem messem mihi obiectam viderem. Imprimis ad viros doctos, quos in Germania recentior aetas protulit, festinat animus. Nimirum neque Angli, neque Itali, neque Francogalli, neque praeter Germanos alii populi Aristophanis virtutes veramque comoediarum dignitatem, quam interdum dedita opera neglexerunt, omni qua par est observantia agnoverunt, aut ad cognoscendum poëtae ingenium multa contulerunt. Atque Angli quidem usque ad Matthaeum Raperum, qui primus in illis terris omnium simul comoediarum editionem adornare constituerat, negotiumque susceptum ad finem perducere non potuit [30]), si merita in alios scriptores Graecos collata contemplamur, pauca tantum ad illustranda poëtae scripta, quae eius honorem valde augerent, ediderunt [31]). Richardum Bentleium, quem virum Angli Germanique coniunctim admirantur, iniquius de Aristophane iudicasse, iam supra significavimus. Contra recentior aetas Porsonos, Elmsleios, Mitchellos aliosque tulit, qui doctrinae copia et integritate iudicii cum Germanis hominibus saepe felicissime pugnarunt. Quid autem de Italis dicam, in quorum terra quum Graecarum Romanarumque litterarum cognitio primum florere inceperit, primaque calamo scripta Ar. comoediarum exempla prelo subiecta sint, nunc ita illa longe defluxit, ut si non singulos viros insignes, sed totam gentem adspicimus, vix legi atque intelligi possint optima antiquitatis monumenta. Quare paucos tantum reperies recentiore aetate, qui Manutios illos imitati, vera Ar. laude perspecta eius comoedias edere, virique glo-

---

30) V. Beck. in Commentt. ad Ar. Vol. I, p. XXIX—LIX.

31) Mohnike Gesch. d. Litterat. I, p. 483. Brüggemann A View of the English Editions, Translations and Illustrations of the ancient Greek and Latin Authers p. 116 s.

riam persequi vellent. Ne tamen laude debita eos privare velle videar, duos viros commemoro. Alter est, quem si non multa praestitisse, voluisse tamen multa concedendum est, Inversizius [32]); alter Alfierius, vir omni laude cumulatus, qui quum iam senex factus Graecis litteris operam dedisset, Aristophanis quoque Ranas in patrium sermonem transtulit, suisque cum popularibus pulcherrimam comoediam communicavit [33]).

Transeo ad Francogallos. Inter quos quum diversa de Aristophane iudicia audita sint, qui utriusque iudicii videantur testes et auctores potissimi esse, brevi referam. Nemo autem maiore iure in prudentium doctorumque reprehensionem incurrit, quam Voltarius, qui imprudenter in Aristophanem invectus, suam ipsius temeritatem documento clarissimo omnibus comprobavit. Optime Brunckius docuit, Aristophanem Graece nunquam legisse Voltarium, pravoque Plutarchi iudicio in hunc errorem esse coniectum. Tamen non defuerunt, qui eius exemplum sectati in eandem iniquitatem inciderent [34]). Neque tamen ideo criminandam ipsam Francogallorum gentem censeo. Eadem enim Vavassorem protulit inter viros, qui in societatem Iesu recepti litterarum studio et amore excelluerunt, quam maxime insignem, qui in libro laudatissimo, quo de ludicra dictione exposuit ac perver-

---

32) Reisig. Coniectan. praef. p. V. Tenendum est, Inverniziиm non in Italia, sed Lipsiae librum suum edidisse.

33) Lege eius laudes verissimas ap. W. Wachsmuthium in Erschi Encyclopaedie, s. v. Alfieri et quos ibi excitatos reperies.

34) Praeclare de hac re locutus est Reisigius Coniect. praef. p. IV seq. „Ita quidem ethnicum hunc longe esse innocentiorem duco multis nostris comoediarum scriptoribus, qui miseris et perditis alendis augendisque amoribus animos effeminant atque enervant, et quum verecundiam simulent, fuco atque pigmentis flagitiosa condunt, neque ad risum apertum sed ad libidinem occultam alliciunt, et innatos hominibus igniculos ad morum pravitatem detorquent." Praeclare Rötscherus Arist. p. 89. „Daher kommt es auch, dass gerade dasjenige Volk, dessen Dichter der Frivolität am meisten huldigen, sich mit Verachtung von denjenigen Werken der Kunst abwendet, in welchen die Sinnlichkeit ihren wahren Character behalten hat, da sie gleichsam das Wesen ihrer glänzenden und ergötzenden Erscheinungen in der ganzen Nacktheit und Natürlichkeit erblicken. *Der Zorn und Unwille über jene Kunstwerke kann gleichsam als der Unwille über die Enthüllung ihrer eigenen Natur angesehen werden.*"

sum popularium in sectandis facetiis errorem merito explosit, Aristophanis laudes ita persecutus est, ut, vitiis, quae quidem ille vitia esse credebat, lenissime reprehensis, virtutum nullam ei eripuerit [35]). Eadem tulit Dacieriam, quae quanquam non sine praeiudicio quodam, tamen praeclaram Aristophanis comoediarum indolem intellexit [36]), intellectamque suis libris ornavit. Eadem praeterea Odoardum Bisetum, Brumoeum, Palmerium, eadem multos alios de Aristophane optime meritos protulit viros, quorum in laudem ingrederer, nisi legentium tempori esset parcendum. Sed unum praeterire nefas esset, quem tamen Germani quoque ex parte nostrum esse putamus, Brunckium, qui Voltarii conatibus refutatis suam ipsius de Aristophane sententiam laudabiliter pronuntiavit. Oblivisci igitur Barthelemiorum et Clericorum, omniumque qui his similes sunt censendi, possumus, quum tot et tantos antiquae comoediae amicos homines cognoverimus.

Iam, reliquis quae dici possent missis, ad Germanos cedere liceret, nisi de Belgo homine uno verbo esset dicendum. Valckenarium enim, cui popularis et in vitam regendam utilis philosophia Euripidis maxime placuit, hoc Euripidis in scena philosophi amore commotus mendacissimam malevolentiam Aristophani exprobrat [37]) et in universum de poëta pessime sentit [38]).

Iam ad populares meos redeo, quos, ut ab initio huius commentationis professus sum, in Aristophanem maxima merita cumulasse eiusque virtutes artemque poëticam optime intellexisse equidem censeo. Tanta autem est virorum nominandorum multitudo et copia, ut si omnes appellare, si omnium merita celebrare vellem, ipsa haec voluntas dementiam meam argueret. Quare ea ut mihi detur venia peto, ut nominare qui mihi inter excellentissimos eligendi videantur eorumque laudes praedicare

---

[35]) Cf. cap. V. p. 74—89.
[36]) Wieland Att. Museum II, II, p. 56 seqq.
[37]) Diatr. in Eur. Fragm. p. 268. ed. Lips.
[38]) Cf. Diatr. de Aristobulo Iudaeo p. 4. „Hoc noverat Aristophanes, sed ut solent *istius notae* homines, tragicum ob ipsa talia velut impium *coram Attica plebe* traduxit.“

possim, quorum memoria temporum decursu obscurata est. Quam rem dum cogito, statim mihi in mentem redit Nicodemus Frischlinus vir celeberrimus, qui non frustra eo die sese natum gloriatur quo Virgilius mortuus esse perhibetur. Quum enim a teneris esset in versibus componendis veterumque carminibus intelligendis et imitatione exprimendis exercitatus [39]), neque expers esset ingenii ad poësin aptissimi [40]), studio Graecae linguae fructuosissimo adiutus maxime erat dignus, qui Aristophanis animum imbiberet, eius praestantia commoveretur vestigiisque insisteret. Quare postquam iam pridem in academia Tubingensi iuvenibus Aristophanem explicaverat [41]), primus omnium a. 1586. Francof. Plutum, Equites, Nubes, Ranas et Acharnenses edidit, Latinis versibus reddidit [42]), praefationibus instruxit, vitamque Aristophanis, dissertationem de comoedia Aristophanisque contra Plutarchum defensionem adiecit. Quae omnia quum magna laude digna sint, quia plurima bene intellexit apteque transtulit, optime de Aristophane iudicavit et in ea re *multos* posteriorum aetatum antecelluit; tamen plura praestitisset, si maiore usus esset vitae tranquillitate minoraque ab hostibus accepisset vulnera [43]), si denique plures reperti essent, qui eum in absolvendis coeptis operibus adiuvare voluissent. Ipsi Aristophani non dissimilis [44]) libero ore quum veram Nobilitatis humanae dignitatem demonstrasset acerbiusque in malos homines ex ordine equestri ortos invectus esset [54]), in multorum incidit

---

39) Cf. vitam N. Frischl. script. a Georg. Pflügero Argentor. 1605. p. 12.

40) Laurea enim donatus est corona. Vit. p. 30.

41) Vit. p. 25.

42) Cf. Reinesius Varr. Lectt. p. 416.

43) Poppysen grammat. pro sua strigili Dial. I, p. 144. „Haberes in latina lingua totum Aristophanem"; „in isto vidulo (surrepto) erant reliquae comoediae Aristophaneae duae latinae."

44) Conqueritur Frischlinus Germana de origine sua merito superbiens, propterea que consuetudinem illius aetatis nomina in Graecam Latinamve transferendi linguam fugiens (vit. p. 8.), quod nonnulli eum ita irrisissent Eleg. XX, 12.

Est qui Fröschlinum stolido me nominat ore
Ceu dederint Ranae nomen Aristophanis.

45) Vit. p. 30.

hominum odium, quod tam vehemens erat, ut, qua re etiam infelicior fuit Aristophane, in carcerem coniiceretur, ex quo quum fugere tentaret, indigna morte absumptus est [46]).

Neque tamen Frischlinus saeculum suum iudicii integritate praecurrit. Gravis enim imprimis haberi debet Melanthonis, viri et doctrinae copia et morum sanctitate conspicui, auctoritas, qui diu ante Frischlinum Nubium editione suscepta Germanae inventutis institutioni Aristophanem non inepte adhiberi posse censuit. Ac praeterea eiusdem in Aristophanem amoris testimonium credi potest, quod S. Gelenius Aristophanis Frobenianum exemplar Germaniae praeceptori dedicare ausus est. En! quem testem amisimus antea Ioannem Chrysostomum, iam recuperavimus [47]). Non multo post potuit adeo Is. Froreisenius Argentorati Aristophanis Nubium fabulam in patrium sermonem transferre theatroque patrio agendam proponere [48]).

At nescio quo pacto ad haec recentiora festinat animus. Duo simul viri mihi in memoriam redeunt, quorum quum uterque Graecarum litterarum sospitator, uterque suo in genere praeclarus fuerit, alter ab altero quam maxime differt. De Lessingio et Wielandio loquor, inter quos meus a Wielandio vehementer dissidet, ad Lessingium trahitur animus. Lessingius enim, rei scenicae totum amplexus ambitum, sano sobrioque mentis iudicio ubique servato, ut Aristotelis de arte poëtica librum, imprimis a Francogallis hominibus corruptum in pristinam digni-

---

[46]) Vit. p. 36. Non abs re erit, ut quo modo Frischlinus iudicaverit appareat, hoc loco ponere quae gravissime dixit alicubi „quod Iudaico populo fuere prophetae et quod nobis hodie sancti doctores et concionatores: hoc erant olim paganis et ethnicis hominibus poëtae praesertim satyrici et comici"; ex praefat. in Persii satyras paraphrastice explicatas (quibuscum conferenda sunt, quae in praefat. in primam partem comoediarum Aristophanis praeclare commentatus est). Ita melius etiam indolem antiquae comoediae descripsisse videtur, quam Kanngiesserus et Mitchellus, qui comicos poëtas cum iis hominibus compararunt, qui apud nos in scribendis quotidianis de rebus publice gestis commentariis operam suam collocant.

[47]) Eiusdem de tragica poësi iudicium, Mohnike p. 416; praef. p. XLVI.

[48]) Wolf. praef. in Nub. p. XVII. Mohnike I, p. 480. Beck. praef. in Nub. p. XVII.

tatem restituit, ita, de omnibus comoediae generibus exposita sententia, veteris Atheniensium comoediae indolem et naturam descripsit, eiusque reprehensores auctoritatis suae vi et pondere oppressit, et Aristophanem ipsum auctorem eius comoediae principem fuisse censuit [49]). Wielandius contra Atheniensium civitatis reique scenicae veterum et recentiorum non imperitus, sed morum levitatem ubique suspicatus, obcaecatusque perversis Francogallorum quorundam iudiciis, licet multis poëtam ornaverit laudibus, tamen saepe in Aristophanem tam maledicenter invectus est [50]), ut ab ipso reprehendendo vix abstinere possis. Ea tamen sunt eius merita, ut errores facile ei condonare possimus, praesertim quum paucissimis tantum sententiae suae veritatem probaverit. Nam quo propius ad nostra progredimur tempora, eo plures provenere viri egregii, qui totam Aristophanis indolem perspexerunt; ita ut a quo initium capere velis ipse nescias. Ac Lessingio quidem Goethium adiungo: Goethio Wolfium. Etenim prior, quem non immerito Reisigius si viveret Aristophanes, eum esse admiraturum censet, eius poësis suavitatem ita sensit, ut imitatione praestantissimam Avium fabulam exprimeret: posterior non solum idem suscepit negotium, sed etiam toto ingenii acumine usus est, ut Aristophanis elegantiam quovis modo nostratibus recluderet. Qua tria haec sidera ad veritatem evolarunt via, ea multi incedere posteriorum potuerunt.

At neminem maiore laude dignum esse arbitror, quam fratrum par nobilissimum, A. Guilielmum et Fridericum Schlegelios. Quorum quem posteriore nominavi loco, is Graecae poësis historia enarrata, et antiquae comoediae indole descripta excelluit; Guilielmus autem Schlegelius, scenicae artis apud omnes populos historiam continuo sermone exposuit. Qui liber vere aureus quoniam non in Germania solum lectus, sed in reliquas Europae terras delatus est, non dici potest, quantum Schlegelio

---

49) Lessing's sämmtliche Schriften V. X, p. 168 seqq. XXV, p. 271 seqq.

50) Att. Mus. II, p. XII; III, I, p. 81. Iacobsius quo loco contra Wielandii de Aristophane iudicium locutus sit, supra indicavimus. Universe de eiusdem viri iudicandi ratione verissime exposuit in Lectt. Venus. Spec. II, quod insertum est Rhenano Museo II, 1, p. 8 seqq.

honorem, quantam Aristophani gloriam paraverit. Nam ut verum fatear, ex quo liber ille prodiit et alia Germanorum scripta in finitimas terras intraverunt: ibi quoque incensus Aristophanis amor, ibi eius comoediarum studium inflammatum, ibi aucta et amplificata est poëtae gloria. Angli potissimum quaecunque recentiore aetate in Aristophane ornando praestitere, ad Germanos, nisi fallor, tanquam ad auctores referent. Ut unum modo nominem, Mitchellus, qui praeclaram de Nubb. Aristophanis scripsit commentationem, clare ipse ad Schlegelium provocat. Schlegelius autem propterea imprimis meruit, quoniam non solum de Aristophane honorifice vereque iudicavit, quamquam in ea re eum non credo ab omni errore liberum esse, sed etiam ipsa Aristophanis iudicia saepe amplexus, hac altera etiam meliore via in viri laudes ingressus est [51]).

Iam vero intelligo, me negotium suscepisse, cui mea ingenii tenuitas prorsus impar habenda est. Qui enim possim viros colligere; qui merita eorum celebrare, quorum vero de Aristophane iudicio ingenii vis et acumen ostenditur? fateor: mei instituti me poenitet. Tamen erit pergendum in munere semel suscepto.

Accedo ad Süvernium, virum ingenii elegantia aeque ac doctrinae copia florentissimum, qui nescio quo maiore beneficio Aristophanem potuerit afficere. Etenim quum hactenus critici potissimum et grammatici Aristophanis comoedias explicandas sibi sumpserint atque singula magis dicta sententiasque difficiliores illustrare susceperint: prodiit vir praestantissimus, novamque viam ostendens totam poëtae mentem eiusque in conscribenda quoque comoedia consilium explicare feliciter tentavit. Quo in negotio utilissime suscepto ut ipse pergat, aliosque, quod iam factum videmus, ad eandem rem suscipiendam excitet, omnes qui Aristophanem admirantur, vehementer optant.

Neque sine summa iniuria praeterire licet Rötscherum, virum et doctum et ingeniosum, qui philosophiae studiis tota mente addictus philosophiamque cum philologia coniungendam

---

51) Welcker in Aristoph. Ranas p. 244.

ratus, Aristophanem contra Socraticorum criminationes nuperrime defendit. Non est absterritus ille a negotio suo, quum comicos videret contra philosophos a sese defendi, ipse philosophus: non veritus, ne ipse quoque in comicorum reprehensiones incideret ac postea eos contra se ipsum defendere cogeretur. Sed audacter semel captam animi sententiam proposuit. Quanquam igitur in plurimis ab eo dissentire nostra cogitandi ratione cogimur: tamen profitemur libero ore amorem Aristophanis in eius libro conspici, qui nos in magnam viri admirationem rapuerit.

Praeterea poëtam quoque appello facetissimum, qui non ut reliqui in nostram linguam transferre voluit Aristophanis comoedias, sed ausus est nostra aetate totam antiquae comoediae indolem suis ipsius fabulis reddere. Desinant igitur nos in aliena tempora, in alienas terras mittere; ipsi nostra aetate, ac nostris in regionibus, quae voluit et praestitit antiqua comoedia, perspicere possumus. Optamus vehementer, ut exempli egregii vestigiis insistens vir praeclarus in dies praeclarius totam Aristophaneae fabulae in dicendi genere venustatem nobis proponat; sed quod maius est, ut aetatis nostrae indole non neglecta, in accusandis aequalibus suis, suam morum sanctitatem et iudicii integritatem ne corrumpat.

At finem huic sermoni imponere cogor, ne longius vagando legentes defatigem. Quare praetermissa Hermanni, Boeckhii, Bekkeri, Welckeri, Conzii, Meieri aliorumque laude, si quae me ipsum tangunt rebus ad omnes pertinentibus admiscere mihi licet, postremo loco viros praestantissimos commemoro, Augustum Seidlerum et Carolum Reisigium. Uterque quum beneficiorum magnam copiam in Aristophanem contulerit, Augustus Seidlerus vivit vigetque, ad meritorum numerum augendum paratus, neque minus ingenio atque humanitate et virtute conspicuus; Carolus Reisigius, subita morte exstinctus, omnium bonorum desiderium movet [52]). Ego posteaquam scholae Por-

---

[52]) Non sine summo dolore me legisse confiteor, quae Schaeferus in commentariis ad Plutarchi vitas scriptis de C. Reisigio locutus est.

tanae disciplinam, cuius nunquam sine summo desiderio propter nobilissimos praeceptores meos recordor, reliqueram; atque inprimis Friderici Neue, viri ut discipulis omnibus suis, ita mihi prae ceteris dilectissimi, studio, diligentia, doctrina Aristophaneae elegantiae particeps factus eram: Halas delatus ibique in Seidleri Reisigiique disciplinam receptus, huius vehementem ingenii fervorem ardoremque, quibus in philologiae et ipsius amorem omnium animos vi tanta, ut nemo ei resistere posset, pertraxit; illius summam in rebus diiudicandis sobrietatem et cum larga doctrinae copia coniunctam modestiam, quibus praeclara rerum optimarum semina in discipulorum animis excitavit, conspicere et admirari potui. Tum multa audivi et didici, quae Seidlerus Reisigiusque excogitarant, ac Seidlerus quidem sine dubio mox cum eruditis doctisque communicabit, Reisigius autem quum omnia vitae consilia morte praeverterit, in lucem proferre non potuit. De utroque viro nuperrime Carolus Wexius, familiaris meus suavissimus, ita est locutus, ut quae ipse cogitaveram mihi de labris et ex mente rapuisse videatur. Quare quum eius librum praestantissimum omnium in manibus esse non immerito credam: ad ea quae ibi dicta sunt legenda omnes provoco, quae meam ipsius sententiam, omni laude digna oratione propositam, quam ipse consequi non potuissem, continent. Ego utinam praestitissem, quod trium illorum virorum disciplina non prorsus indignum iudicaretur.

Auditis omnium temporum de Aristophane iudiciis, iam ipsi adeamus eius comoedias, ipsi eius vitam et mores perpendamus.

Quo modo vir in grammaticis criticisque rebus diiudicandis doctissimus in tantam inciderit iudicii perversitatem, vix intelligeretur, nisi senis morositatem ubique prae se ferrent Schaeferi scripta.

PARS PRIOR.

VII.

Aristophanis igitur amore incensus quum non sine fervore eius carmina legere incepissem: magna simul incendebar cupiditate, de eius vita et moribus quaecunque cognoscere possem, colligendi et coacervandi. Quod enim in Sophocle suo Ephraimus Lessingius senserat, vel minimam de dilecto viro quam notitiam capimus amantis in animo magnam movere laetitiam: id, nisi nefas habetur parva magnis componere, in meo mihi contigisse fateor Aristophane. At quo cupidius circumspexeram quaesieramque desideratam eius vitae cognitionem: hoc minus reprimere potui tristitiam quamdam, quum infelicem rem habituram esse successum perspexissem. Mox enim vidi, Aristophanis vitam hucusque prorsus neglectam virisque doctis intactam iacuisse. Inter recentiores quae Nicodemus Frischlinus praestiterit, qua in re eorum virtus et dignitas cernatur, supra indicavi. Totus est in vertendo scholiasta, criticae artis tantum non omnino ignarus. Praeter eum, qui peculiarem de vita Aristophanis libellum accurate scripserit neminem cognovi. At ut nihil praetermisisse videar, quod scitu dignum sit, hoc loco singulos quosdam qui vitam Aristophanis attigerunt, nomino, quanquam, me neque vidisse omnes neque expetere vehementer, confiteor. Lilium igitur Gyraldum, in historia poëtarum tam Graecorum quam Latin. Dial. XII, de Aristophane dicentem (Opp. Bas. 1580. p. 381.) exceperunt I. G. de Chaufepié (*in* Nouv. diction. hist. et critique Tom. I.), Brumoeus (le Theatre complet des Grecs. Ed. nouv. Raoul-Rochette Tom. X.), Aristophanis editor (Lugd. Batav. 1624. 12.), I. G. Hauptmannus (in comment. de Aristophane atque illius comoediis. Gerae 1748. 4.) et P. F. Kanngiesserus (in Encyclopädie der Wissensch. und Künste v. Ersch und Gruber, T. V, p. 268 sqq.). Quae caussa Baylium impediverit, quo minus in libro suo (Dictionaire historique et critique) de Ar. vita exponeret, inde iudicari potest sine difficultate, cf. Lessingii vitam Sophoclis ab in.

Ex antiquorum scriptorum libris quae nostram aetatem tulerunt, a minutis sunt grammaticis profecta, qui eo tempore suos conscripserunt commentarios, quo quid verum sit, indagare non poterant. Quae passim apud veteres scriptores dissipata leguntur, tam pauca sunt et exigua, ut ex iis ne brevis quidem possit vitae adumbratio consarcinari. At singula iam propius inspiciamus monumenta, nostrumque de iis dicamus iudicium caussisque allatis comprobare et confirmare studeamus.

Ac primum quidem ab Aldino exemplari antiquissimo ad novissimam usque Bekkerianam recensionem a plerisque Aristophanis editoribus vita Graece scripta repetita exhibetur [53]). Cuius vitae quis scriptor fuerit, aut unde sua hauserit, nemo dum accuratius exquirere voluit. Mihi autem studiosissime nomen scriptoris quaerenti, si in ea quidem re exoptatus eventus defuit; fontes tamen libelli quosdam nisi fallor detexisse videor. Quod enim iam diu fortasse suspicati sunt viri docti, libellum nihil esse nisi ex comoediis Aristophanis ipsis et annotationibus ad poëtae carmina explicanda scriptis compilatum, id luculentissimis me demonstrare posse argumentis arbitror. Enarrat enim scriptor, quanto poëta Cleonem odio persecutus sit et quae contra eum susceperit, his fere verbis „*Διεχθρεύσας δὲ μάλιστα Κλέωνι τῷ δημαγωγῷ καὶ γράψας κατ' αὐτοῦ τοὺς Ἱππέας, ἐν οἷς διελέγχει αὐτοῦ τὰς κλοπὰς καὶ τὸ τυραννικὸν, οὐδενὸς δὲ τῶν σκευοποιῶν τολμήσαντος τὸ πρόσωπον αὐτοῦ σκευάσαι δι' ὑπερβολὴν φόβου, ἅτε δὴ τυραννικοῦ ὄντος, μηδὲ μὴν ὑποκρίνεσθαί τινος τολμῶντος, δι' ἑαυτοῦ Ἀριστοφάνης ὑπεκρίνατο, αὐτοῦ τὸ πρόσωπον μίλτῳ χρίσας· καὶ αἴτιος αὐτῷ γέγονε ζημίας πέντε ταλάντων, ἃ ὑπὸ τῶν Ἱππέων κατεδικάσθη, ὥς φησιν ἐν Ἀχαρνεῦσιν* [54])·

---

[53]) In Beckiano exemplo legitur Commentt. T. II, p. XXXV—IX. In Bekkeriano V. I, p. XIII—XV, addito Platonis epigrammate, quod Beckius in fine vitae solum a Thoma Magistro conscriptae servavit.

[54]) v. 5. Haec verba vertuntur a Vitae scriptore, in edit. Lugd. typis expressae hoc modo „personam Cleonis egit, — adeoque strenue in eo negotio se gessit, ut damnatus a populo Cleo, mulctam quinque talentorum solvere coactus sit.“

ἐγᾦδ' ἐφ' ᾧ γε τὸ κέαρ εὐφράνθην ἰδὼν,
τοῖς πέντε ταλάντοις οἷς Κλέων ἐξήμεσεν.

Διήχθρευσε δὲ αὐτῷ ὁ Ἀριστοφάνης." Ac primum quidem nemo non videt, a voce διεχθρεύσας ad versum ex Acharnensibus excitatum arctissime cohaerere omnia, ita ut ultima quoque verba „καὶ αἴτιός αὐτῷ γέγονε" rem quae ex odio Aristophanis contra Cleonem provenerit, indicent. Dein amare scriptorem loquendi rationem, „αἴτιον γενέσθαι τινί τινος," alicui auctorem esse alicuius rei, alius loci ostendit comparatio, ubi scriptor ita loquitur: „ἐγένετο δὲ καὶ αἴτιος ζήλου τοῖς νέοις κωμικοῖς." Neque dissimili prorsus ratione iterum eodem utitur vocabulo „αἴτιον γὰρ κωμῳδίαν τὸ σκώπτειν τινάς"; pro quibus falso Beckius ἴδιον legendum esse censet contra scriptoris mentem, qui uti omnia docent, a conviciis exorsam esse comoediam contendit. Aristophanem igitur ait effecisse, ut Cleo ab Equitibus quinque talentorum poena multaretur, nulla alia re, quam Equitum fabula docta (διεχθρεύσας — καὶ γράψας — ὑπεκρίνατο — καὶ αἴτιος αὐτῷ γέγονε), et ut eam rem legenti probet, versus ex Acharnensibus excitat duos, quam fabulam ante Equites in certamen commissam esse scimus. Erroris originem indicare, non erit difficile. Legimus enim in scholiis ad illos versus scriptis de hemistichio ex Euripidis Telepho desumpto v. 8. haec verba „εἰς τὸ δρᾶμα οὖν τῶν ἱππέων ἀποτείνεται· διὰ τούτου γὰρ φαίνεται καταδικασθεὶς ὁ Κλέων τάλαντα ε΄. ἄξιον οὖν φησιν Ἑλλάδος τὸ καταδικασθῆναι τὸν Κλέωνα", ex quibus male intellectis falsa scriptoris opinio nasci facillime poterat. Memorabile est, inter recentiores Wachsmuthium quoque, auctore eodem scholiasta, in eundem cum vitae scriptore incidisse errorem [85]). At scholiastam δρᾶμα τῶν ἱππέων hoc loco non vocasse Aristophaneam comoediam, Ἱππεῖς inscriptam, sed dicere voluisse, actionem equitum, quam Aristophanes „διὰ τοῦτο τοὔργον" alio eoque usitatiore vocabulo designaverat, laetitiae caussam fuisse Aristophani, accuratius intuenti verba patebit. Neque tamen tam incognitus fuit talis huius vocis usus ut error evitari non potuisset, quod grammaticorum libri abunde docent, cf. Suidae

---

85) Hellenische Alterthumskunde II, p. 175.

Lexicon s. v. *δρᾶμα*. (In Anthol. Palat. III, p. 248. ed. Iacobs. „*σκοπεῖ τὸ δρᾶμα μηχανουργοῦ τοῦ δόμου*“ simile quid reperitur.)

Praeterea iure quidem ipsis Aristophanis comoediis usus, inde poëtae vitam cognoscere studuit; sed interdum, quae ioco, quae serio dicta sint, non separavit et infelicissime rem suam peregit. Etenim ubi enarrat, poëtae famam ad Persarum adeo regem transiisse, „*οὕτω δὲ γέγονεν ἡ φήμη τοῦ ποιητοῦ, ὡς καὶ παρὰ Πέρσαις διήκειν, καὶ τὸν βασιλέα τῶν Περσῶν πυνθάνεσθαι, παρ᾽ ὁποτέροις εἴη ὁ κωμῳδοποιός*“ sine dubio mente verba tenet ipsius scriptoris, in eadem Acharnensium fabula dicta [56]), sed ea non intellexit. Tamen aliis quoque hanc rem persuasit plurimis, a Gyraldo et Frischlino ad Stoeckerum usque, qui nuper ex hac aliisque aeque improbabilibus caussis, iam ipsis poëtae temporibus singulis comoediarum locis addita fuisse scholia quaedam, collegit [57]). Frustra igitur iam antiquis temporibus Graecus interpres dixerat „*τοῦτο δὲ χαριεντιζόμενος ψευδῶς λέγει*“; frustra aetate nostra Genellius, V. D., ne quis deciperetur, cavere voluit [58]); qui illud quoque ad iocum augendum credit ab Aristophane fictum esse, „neque larvam quemquam facere voluisse, neque ullum histrionem Cleonis personam suscepisse,“ quod ipsum noster vitae scriptor iam ante narraverat, poëtae dicta secutus indubitanter [59]).

At hac quoque in narratione minus accuratum deprehendimus vitae scriptorem, qui plura quam quae vere a poëta dicta sunt, ex eius verbis elicuisse videtur: multosque propterea, ipso Genellio non excepto, in errores abduxit. Aristophanes enim in Equitum fabula, antequam Cleo in theatro primum cernitur, Agoracrito Demosthenem haec fere dicentem induxit, v. 230—233:

---

56) Acharn. 646—652.

57) „Ferunt enim regem Persarum ex suis quaesivisse, scirentne ubi Aristophanes viveret, videlicet *cuius fabulas legisset.*“ F. Stoeckeri dissertatio de Sophoclis et Aristophanis interpretibus Graecis, Hammonae 1826, p. 1. Frischlin. Vit. Aristoph. p. 25.

58) Genelli das Theater zu Athen p. 253.

59) Vitae scriptor p. XXXVI. Ar. Equitt. 232. Genelli l. l. p. 252.

καὶ μὴ δέδιθ'· οὐ γάρ ἐστιν ἐξῃκασμένος·
ὑπὸ τοῦ δέους γὰρ αὐτὸν οὐδεὶς ἤθελε
τῶν σκευοποιῶν εἰκάσαι. πάντως γε μὴν
γνωσθήσεται· τὸ γὰρ θέατρον δεξιόν·

quae quidem Agoracriti adhortatio ut ex histrionis ore audita audientibus risum excuteret, aperte est excogitata [60]. Neque quidquam aliud poëta declarat, quam, nemine Cleonis personam fabricare propter metum auso, histrionem, qui Cleonis partes agebat, eius faciem non referre. Utrum autem ipse Cleonis partes susceperit poëta, an alius quis eas egerit, si non aliunde cognoscere licet, ex his quidem verbis minime potest perspici. Id igitur, cuius veritatem Genellius non impugnavit [61], si versus propius contemplamur, neque addimus verba nonnulla, nobis extorquetur e manibus. At cave ne nostrum vitae scriptorem in hoc vitium primum incidisse credas. Etenim quoniam nemo Cleonis personam effingere voluisset, propterea Aristophanem ipsum histrionis partes suscepisse: id ipsum Equitum argumenti enarrator eadem ratione exposuit. „*Ἀριστοφάνης*" ait „*καθίησι τὸ τῶν Ἱππέων δρᾶμα δι' αὐτοῦ· ἐπεὶ τῶν σκευοποιῶν οὐδεὶς ἐπλάσατο τὸ τοῦ Κλέωνος πρόσωπον διὰ φόβον.*" Vitae autem scriptor haec auxit addiditque „*μηδὲ μὴν ὑποκρίνεσθαί τινος τολμῶντος*" et effecit ut Frischlinus, qui eius vestigia ubique pressit, adeo ad falsam versuum interpretationem delaberetur:

> Non est ipsus: quia prae metu nemo voluit ex histrionibus illum exprimere: sed tamen facile agnoscetur.

Cuius additamenti fontem si quaerimus, iam iterum ad scholiastam mittimur, cuius adnotationem falsam exscribendam esse puto. Est autem haec: „*οὐκ εἶχεν αὐτοῦ προσωπεῖον διὰ τὸ δεδοικέναι τοὺς σκευοποιοὺς καὶ μὴ θέλειν μήτε πλάττειν μήτε σχηματίζειν τὴν ὄψιν τοῦ Κλέωνος· λέγει οὖν ὅτι μηδενὸς ὑποστάντος αὐτὸν ὑποκρίνεσθαι αὐτὸς ὁ Ἀριστοφάνης μελτώσας ἑαυτὸν*

---

60) Cf. Schützii annotationem qua simul V. D. hoc genus absurditatis vocat, idque Aristophanem non fugisse censet.

61) „Möchte es auch seyn, dass er keinen Schauspieler auftreiben konnte: aber irgend ein Winkel-Arbeiter" cet. p. 252.

ὑπεκρίνατο, ἢ τῇ τρυγίᾳ χρίσας ἑαυτόν." Itaque hac quoque via sententiam de scriptoris fontibus dictam comprobari videmus.

Cave igitur ne ex hoc libello vitae cognitionem Aristophanis haurire velis, quum eius scriptor antiquioribus nullo modo accenseri queat hominibus neque verisimile sit, eum fontibus melioris notae usum fuisse. Qua enim alia ratione factum est, ut tam parum accurata sint, quae tradidit? Ita quibus verbis litem a Cleone Aristophani illatam exponit, ibi iam incertus haeret, ut misceat omnia, neque superare possit scholiastam ad Acharnensium fabulam, v. 629.

Praeterea ubi aliorum dicta refert, nusquam nominibus doctorum virorum suam ornat vitam, incertis potius usus vocabulis, οἱ δὲ, τινὲς et similibus. Dein pleraque omnia ex ipsis hausit Aristophanis fabulis (quod si recte summaque cura instituitur, maxima profecto laude dignum est, sed simul fontium indicat inopiam). Memorabile est, ex Acharnensium fabula, de qua quid sentiamus, explicabimus postea, petiisse eum plurima subsidia. Unum restat praeter ea, quae iam protuli, exemplum, quod quoniam ab editoribus nondum observatum est adiicere non dedignor. Si enim Ar. Acharn. 641 seqq. haec dicit:

ταῦτα ποιήσας πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιος ὑμῖν γεγένηται,
καὶ τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξας, ὡς δημοκρατοῦνται.

ea ita explicat et ad poëtae laudes trahit vitae enarrator: „μάλιστα δὲ ἐπῃνέθη καὶ ἠγαπήθη ὑπὸ τῶν πολιτῶν, ἐπειδὴ διὰ τῶν ἑαυτοῦ δραμάτων ἐσπούδασε δεῖξαι τὴν τῶν Ἀθηναίων πολιτείαν, ὡς ἐλευθέρα τέ ἐστι καὶ ὑπ' οὐδενὸς τυράννου δουλαγωγουμένη, ἀλλ' ὅτι δημοκρατία ἐστὶ καὶ ἐλεύθερος ὡς ὁ δῆμος ἄρχει ἑαυτοῦ." quibus verbis fortasse scholiastam nobis non amplius superstitem exscripsit. Ratione non dissimili versatus est in versu ex Vesparum fabula petito. „φασὶ δὲ αὐτὸν" ait „εὐδοκιμῆσαι συκοφάντας καταλύσαντα, οὓς ὠνόμασεν ἠπιάλους ἐς σφῆξιν, ἐν οἷς φησιν· οἳ τοὺς πατέρας (αὐτῶν) ἦγχον νύκτωρ καὶ τοὺς πάππους ἀπέπνιγον." (v. 1039.) De quo ipse poëta gloriatur, id ad eorum, quae ab aliis dicta sint, veritatem demonstrandam adhibet, sed explicandi ratione utitur vaga et parum accurata. In fine tamen, ut nihil dissimulem, ex fabula incerta attulit

fragmentum, quod nullo alio in libro notatum reperimus. Haud dubie igitur scriptor in ea re fontes secutus est, quos adire ipsi non possumus. Loquor autem de versibus, quos, ubi de filiorum sermo est numero, dictos Dindorfius in fragmentis *retulit* p. 205. 487. Nihil tamen certi potest ex iis colligi, si rem ipsam quam ostentandam suscepit, contemplamur. Nisi *fallor* haec omnia ex Dicaearchi libro *περὶ βίων* hausit, quem de Aristophane exposuisse postea videbimus. Is enim eadem ratione non Philetaerum sed Nicostratum tertium appellavit Aristophanis filium. Ex eiusdemque libro quae de corona propter Ranarum fabulam poëtae imposita protulit, confirmantur. Quare brevem Dicaearchi vitam suis additamentis auxisse videtur.

At quum equidem non dubitaverim, quae de vitae huius scriptore sentio, dicere: iam a tenui eius libello, in quo cognoscendo studium meum posui, oculos avertere iuvabit, et ad alios vitarum auctores confugere. Etenim quoniam fides ei non magna haberi potest, quae ab aliis comprobantur suaque indole fidem merentur, ea sine dubitatione afferre, quae ex eo solo innotuerunt, ero parvi facere coactus.

VIII.

De altera Aristophanis vita, ab Aldo primum edita, a multis postea repetita, omissa ab novissimo editore, Imm. Bekkero, multo minor est dubitatio [62]). Aperte enim in fronte gerit nomen Thomae Magistri, inter recentiores Graecos grammaticos notissimi, atque hac inscriptione notari solet: „*Θωμᾶ τοῦ Μαγίστρου σύνοψις τοῦ τε βίου Ἀριστοφάνους καὶ τῆς τοῦ δράματος ὑποθέσεως.*“ Scripserat autem Thomas Magister ad Plutum, Nubes et Ranas, frequentissime laudatas et explicatas tres fabulas celeberrimas, scholia [63]), quae omnia Marcus Musurus in scholiorum collectione recepit, ceterisque admiscuit; meo autem iudicio separatim edere debuit, ut quid Thomae Magistri, quid aliorum esset, accurate discernere possemus. Hinc in exempla-

---

[62]) Beck. Commentt. in Arist. Vol. II, p. XXXIX seq.

[63]) Cf. argum. Ranarum, in quo tria illa dramata inter se cons.

ribus vetustis vitae adumbratio argumento in Plutum scripto recte excipitur [64]). Ac re vera iure σύνοψις vocatur Thomae Magistri labor, quia de Aristophanis vita praeter ipsius poëtae, patris, filiorum, patriaeque nomina, dramatum numerum, poëtae dignitatem et merita, nihil in ea dictum reperitur. Quamobrem de fontibus, quos secutus sit, quaestio vix est quae in disceptationem vocetur satis digna. In filiorum nominibus indicandis Dicaearchum secutus est.

Quae omnia quum vitae cognitionem Aristophanis mancam et imperfectam relinquant, nostra aetas, qua novorum subsidiorum expectatio in dies augeri videtur illorumque temporum recordatio, quibus primum magna Graecarum litterarum Romanarumque provenire et redire in lucem coepit copia, hominum animos subit, hanc quoque in rem adiumenta maiora desiderat. Neque spes tota concidit. Tenuem enim rerum de Aristophanis vita traditarum collectionem a scholiasta Platonis Clarkiano accepimus. Quod quidem scholium primo est ex Anglico codice a Kiddio editum, neque frustra aureum vocatum [65]); deinde ex codice Vratislaviensi a Seidlero emendatius repetitum [66]); tum ab Imm. Bekkero additis verbis quibusdam correctius exhibitum [67]). Quo tempore ab hoc scholiasta commentarii conscribebantur; libri, quos nunc iam dudum situs et tineae occuparunt, ferebantur adhuc in hominum manibus. Potuit igitur ille pluribus aliorum comicorum poëtarum fabulis uti; potuit historicorum quoque quosdam libros et grammaticorum inspicere. Laudatas enim ab eo reperimus non solum Aristophanis fabulas nunc amissas; sed Cratini quoque, Aristonymi, Sannyrionis, Eupolidis, Platonisque comoedias. Praeter poëtas autem primo Philochori librum de diebus scriptum, qui in deperditis numeratur ac raro tantum a veteribus scriptoribus producitur, nomi-

---

[64]) Cf. Hemsterh. ad Plut. argum. not. 1.

[65]) Tracts and Miscellaneous Criticisms of the late Rich. Porson. Londoa MDCCCXV. p. 268.

[66]) Seidl. de Aristoph. Fragm. p. 22 sqq.

[67]) Schol. in Plat. p. 330 seq. Commentariorum Vol. II. cf. Dindorf. de fragm. p. 172 seq.

navit, cuius viri libros deperditos ardentissimo desiderio expetimus. Non satis certum est et exploratum, utrum de Aristophane Philochorus sermonem instituerit, an de solo proverbio locutus ab scholiasta perhibeatur; quanquam meus quidem animus in posteriorem sententiam inclinat. Dein ubi de Aristophanis filiis loquitur, tanquam diversa secutos Apollodorum et Dicaearchum appellavit. Quorum posteriorem Siculum esse, Aristotelis discipulum, scriptorem Ciceroni omnibusque qui eius fragmenta attigerunt probatissimum, nemo non confitebitur. Dolendum est autem, quod librum, quo de filiis Aristophanis docuerit Dicaearchus, indicare noluit. Sed nisi singulorum eius librorum tituli adhuc in occulto latent: aptissimus videtur, in quo Aristophanis vitam narraret et quae de filiis alteraque Ranarum editione [68]) innotuerunt, exponeret [69]), liber περὶ βίων compositus, quam coniecturam ego lubens amplector. Paullo incertius est de altero scriptore Apollodoro iudicium. Vix tamen esse dubium potest, quin scholiasta de Apollodoro Atheniensi, Aristarchi grammatici et Panaetii Rhodii discipulo loquatur. Qui nisi, ut de vitis philosophorum, de Sophrone aliisque similibus, ita de poëtis libros edidit, de Aristophane eiusque filiis in chronicorum libris scripsisse putandus est. Postremo Theogenem περὶ Αἰγίνης laudat, de qua insula praeterea scripsisse scimus Pythaenetum [70]), cuius tamen liber ita intercidit, ut numquid de Aristophane iudicarit, incertum maneat.

Transeo ad Suidam, qui pauca tantum de Aristophane eaque incertissima tradidit. Neque enim de patris genere, quem adeo servum nonnullos dixisse perhibet, quidquam certi tradidit: neque comperit a quoquam natalem Aristophanis urbem et terram. In vitae tempore indicando errorem [71]) non ipse libri

---

[68]) Cf. argum. ad Ranas.

[69]) Ions. de script. hist. phil. I, 16, 4. quem Menagius, ut assolet, exscripsit ad Laërt. III, 1. Fabric. Bibl. Gr. in catalog. Peripateticorum III, p. 295. (a. 1707.)

[70]) Cf. Athen. XIII, 589. f. Apollon. Argon. ad IV, 1712.

[71]) „γεγονὼς ἐν τοῖς ἀγῶσι κατὰ τὴν ριδ' Ὀλυμπιάδα“ ex ed. Froben. Basil. 1544.

auctor admisit, sed invexerunt librarii: cuius rei testimonium luculentissimum esse credo, quam in iis, quae de filio et patre dixit scriptor, obtinere videmus inconstantiam. Ararotem [72]) enim, si nostris exemplaribus credimus, maiorem natu Suidas memoriae prodidit, quam Aristophanem. Sed iam saepe vidi huius scriptoris indoctam temeritatem pravumque ingenii acumen accusari, quibus in rebus librariorum potius notanda erat incuria [73]). Praeterea filiorum nomina ita referuntur, ut ex iis quae supra disputavi appareat, Suidam non Apollodori, sed Dicaearchi sententiam amplexum esse. At de Suidae fontibus propter insignem grammaticorum veterum, quem nostra aetas vidit, proventum et apparatum multo certius, credo, iudicium ferre liceret, nisi eam rem accurate indagandam, quia una omnium difficillima est, semper intactam homines reliquissent. Nam tam tarde ad nostram usque aetatem critici et grammatici de fontibus lexicographorum et grammaticorum veterum quaestiones diiudicandas aggressi sunt, quibus qui veteribus scriptoribus operam dat, sine magno incommodo suo carere nunquam potest: ut ne de titulo quidem antiquorum Suidae exemplarium probabiliter dicta a quoquam reperiantur [74]). Ego ipse in hanc rem inquirere coepi, sed quae mihi invenisse videor, ea persequendi

---

[72]) s. v. Ἀραρώς „διδάξας τοπρῶτον Ὀλυμπιάδι ρα΄."

[73]) Primo adspectu verborum, quibus Suidas veram indicare voluit poëtae patriam, in iis quoque vitium inesse credebam. Ita enim quum loquatur „Ῥόδιος ἤτοι Λίνδιος· οἱ δὲ Αἰγύπτιον ἔφασαν· οἱ δὲ Καμείριον," ex Camiro postremo commemorata „οἱ δὲ Ἰαλύσιον ἔφασαν" scribendum esse colligebam. Sed adversari videtur Athen. VI, p. 229.

[74]) Cf. Meurs. Pir. p. 29. In Kusteri exemplari omnes huiuscemodi disquisitiones desiderantur; neque in critica arte factitanda tam accuratum sese praebuit editor, ut priorum editionum copia carere possis. Ut ipse exemplum addam, in Sapphonis vita, ubi diversa patris poëtriae nomina commemorantur, pro Εὐρυγύου, quod in Frobeniano exemplari et apud Eudociam legitur, substituit Ἠεριγύου, commovitque Fridericum Neue, Sapph. Mytil. fragm. p. 1, ut ad erroris originem indicandam ad Erigyium Mytilenaeum confugeret. At vix cuiquam dubium esse potest, quin epigrammatis auctor, Suidas et Eudocia eosdem fontes secuti, ut in matris nomine, quam Clidem appellant, consentiunt, ita idem patris nomen indicare voluerint. Quamobrem quum reliqua omnia incerta sint, a syllaba Εὐρ- incepisse nomen, infitiari non possumus, reiicimusque Kusteri emendationem.

maioribusque subsidiis comparatis confirmandi et augendi cupidus, totam disquisitionem in aliud tempus reieci. Ceterum mihi memoratu dignissimum esse videtur, quod Suidas superstites Aristophanis fabulas alphabetico ordine enumerat ac praeter eas, quas hodie nos quoque possidemus, ne unam quidem cognovit [75].

Superest Aristophanis vita ab anonymo scriptore profecta, qui universe de comoedia exposuit ac simul comicorum poëtarum excellentium de vita quidquid scitu necessarium videbatur, paucis verbis comprehendit [76]. Qui quidem libellus quum singularia, quae ab aliis non dicta sunt, contineat plurima, eius cum de indole ac natura, tum de fide et auctoritate, quaestionem instituere utile esse iudico et necessarium. Ac iam primum apparet, libellum non esse ab omni librariorum errore liberum. Ut de apertis et concessis incipiam, ubi ad mediam comoediam transit, delendum est *δύο ποιηταὶ* et ut rei ipsa

---

75) Hinc enim apparet, iam pridem reliquas fabulas fuisse amissas. Tzetzes post Suidam in Chiliadibus eadem ratione nostras solas nominavit. Quae in Suidae lexico ex amissis fabulis, ut ex Babyloniis s. v. *Σαμίων ὁ δῆμος*, citantur: ea debet lexicographus antiquioribus scriptoribus. Ceterum Meinekius, Q. Sc. II, 2, de vocis *πράττεσθαι* notione dubitavit, qua Suidas utitur, „*ἅπερ δὲ πεπράχαμεν Ἀριστοφάνης δράματα*“, eaque quid significet, ut ab aliis sibi explicetur optat. Superstitem esse fabulam, voce *σώζεσθαι* grammatici exprimere solent. Simili modo Aristoteles Rhet. III, 12. usus est verbo *βαστάζεσθαι*; alii post eum *φέρεσθαι* usurparunt. Iam si vocem *πράττεσθαι* adimus, nullum magis memorabilem locum comparavit Meinekius, quam schol. ad Dionys. Thrac. grammat. p. 749. Ibi enim legitur l. 12. „*ἐπίσημος δὲ Κρατῖνος ὁ καὶ πραττόμενος*,“ additurque paullo post de Platone comico l. 11. „*ὁμοίων κἀκείνου τὰ δράματα οὐ φαίνεται*“ ita ut vix dubitari posse videatur, quin *πράττεσθαι* et *οὐ φαίνεσθαι* idem valeant. Quae si vera esse credimus eamque notionem aliis quoque in locis adhibemus, incommoda inde et absurda nascitur sententia. At equidem *οὐ* delendum esse iudico. Quod si verum est, ut sane verissimum esse postea demonstrabo, inde colligi potest, *φαίνεσθαι* et *πράττεσθαι* eandem habere significationem. Superesse igitur illas fabulas et commentariis instrui, dicunt illi scholiastae. Ac Cratini, Eupolidis, Aristophanis, Platonis dramata diu in hominum manibus fuisse, cognitum est; de Pherecrate confer schol. ad Aristoph. Lysistr. 158.

76) Legitur in exemplari Kusteriano p. XI seq. Beckiano p. XXVII seqq. Bekkeriano p. VI seqq. et praemissa est Dindorfii Acharnensibus p. IX seqq.

natura docet, οἱ ποιηταὶ scribendum [77]). Dein paullo post inter eos, qui in media excelluerunt comoedia, maxime dignos esse oratione legimus Antiphanem et Stephanum. Sed primum quum omnes Antiphanem mediae comoediae celeberrimis exemplis adnumerarint, nemo fuit, nostro scriptore excepto, qui Stephanum prae ceteris admirari et celebrare vellet. Quare si quem Antiphani qui adiiceretur dignum iudicavit: sine dubio Stephanum eligere non potuit, sed debuit Alexin eius loco ponere [78]). Iam si duo illa verba „καὶ Στέφανος" reiicienda esse sumimus, vitii originem sine ulla difficultate reperire possumus. Quum enim librarius in fine vitae Antiphaniae haec scripta vidisset „τῶν δὲ κωμῳδιῶν αὐτοῦ τινας καὶ ὁ Στέφανος ἐδίδαξεν", credere poterat, hunc Stephanum in prioribus cum Antiphane esse coniungendum. Praeterea autem longe aliam verba haec emendandi rationem iniri posse intelligo. Non multo post enim novae comoediae principes poëtas nominare aggressus, consuetudinem Menandri cum Alexide mediae comoediae poëta contractam celebrat Menandrumque ab illo in disciplinam acceptum esse arbitratur. Qua ex re ut non inepte, credo, colligitur, quae Alexidis fama et gloria fuerit, eum bene nosse: ita nascitur simul suspicio, Alexidis nomen inter mediae comoediae principes ab eo non fuisse praetermissum. Poterant autem librariorum oculi ad sequentia „Ἀντιφάνης μὲν οὖν Στεφάνου" cet. facile aberrare. Neque potest alicui mirum videri, quod Alexidis vita non est a scriptore composita. Nam primum paullo post inter novae comoediae principes Philippidem, Posidippum, Apollodorum nominavit, neque tamen vitam eorum descripsit: dein si vitae eius fama erat obscurior, si minus consilio, hac fontium inopia est fortasse ad silentium tenendum coactus; denique eadem ratione antea, Phrynicho breviter tantum memorato, eius aetatem in Eupolidis vita demum prodidit. Contra quoniam erat Alexidis vita a scriptore omissa, eius nomen ul-

---

77) Cf. Meineke Q. Sc. II, p. 4. qui nisi plane delenda sit importuna vocula δύο, articulum restitui iubet. Recte Bekkerus p. VII. οἱ ποιηταὶ recepit, quia articulus necessarius videtur esse.

78) Cf. Meineke Q. Sc. II, 5. Ruhnk. Histor. Oratt. p. 368. ed. Friedem.

timo loco nuncupatum poterat facile obscurari et corrumpi. At quomodocunque de via ad vitium removendum ineunda sentis, inesse verbis vitium negare non poteris, idque non ab ipso scriptore, sed ab librariis ortum [79]). Accedo ad tertium rei testimonium. In Aristophanis enim et Menandri vitis archontem nominat, quo imperante uterque primam fabulam docuerit eosque Philotimum et Dioclem vocat. Iam si reliquos qui hanc rem tetigerunt consulis scriptores [80]), apud plerosque Diotimum et Philoclem eorum loco reperies, qua ex re unicuique suspicio orietur, huic nostro scriptori corruptelam inesse: imprimis quoniam quod de Aristophane dicitur, a nullo alio repetitur scriptore, et quod de Menandro, Pseudo-Plutarchus modo confirmat haud magna auctoritate sua.

His praemissis leviora scripturae vitia praeterire volo. Iam enim id credo ostensum esse, non debere quenquam scripturae nostrae nimis confidere: imprimis in numeris indicandis, in quibus apud alios quoque scriptores crebro peccatum esse vidimus. In Cratini vita, ut exemplum adiiciam, Cratinum post Olympiadem octogesimam quintam vicisse scriptor affirmat. Quod si coniungimus cum alia eiusdem sententia, mortuum esse Cratinum post primam Lacedaemoniorum invasionem [81]), quae facta est archonte Pythodoro, Ol. 87, 1: haec duo ab uno scriptore nullo modo dici potuisse, omnibus apparebit. Quam ob rem vehementer probamus verissimam Meinekii coniecturam, pro πε΄ πα΄ scribentis [82]), quod cum reliquis scriptorum iudiciis praeclare convenit. Iam vero in fine vitae enarrat, Cratini fabulas esse deperditas praeter unam et viginti, Suidamque et Eudo-

---

79) Meinekius l. l. manifestum errorem esse aut scriptoris aut librarii contendit.

80) Cf. Scaliger ad Euseb. p. 128. Dindorf. fragm. Aristoph. p. V. et Meinek. fragm. Menandr. et Philem. p. XXX.

81) Non possum non adversari Meiero, qui ut ab errore liberaret scriptorem nostrum, addi posse cogitatione contendit μετὰ τὰς σπονδὰς τὰς ἐνιαυσίους, cf. Hall. Littztg May 1827, n. 122, p. 133; quam rationem quo minus ineamus, omnium scriptorum usu loquendi impedimur.

82) Cf. Meineke Q. Sc. I, p. 15 seqq., quanquam is confidentius loqui debebat et μετὰ poterat intactum relinquere.

ciam habet assentientes; qui consensus turbasse videtur Meinekium[83]). Illo autem in loco si pro κα' scriberetur κε' numerus dictus cum singularum fabularum fragmentis apprime conveniret. Quae omnia si recte diiudicavimus, ut antea pro Philotimo Diotimus et pro Diocle Philocles erit reponendus, ita nunc pro κε' κα', pro κα' κε' scribi debet.

Accedimus ad difficilem quaestionem, quae est de fide et auctoritate nostro scriptori habenda et de fontibus, si quos in componendo libello scriptor secutus est. Quam qui ante nos aggredi debebat Meinekius, scriptoris testimonio non raro confisus: is in eo negotio gerendo nos maximo opere adiuvit, in universum autem spem nostram et expectationem crebro fefellit. Nam quum de scriptoris fide et auctoritate, antequam scenicas quaestiones institueret, nihil certi aut elicuisset aut elicere studuisset; qua sola tamen via procedentes tuto progredimur: ita est in dubitationem delapsus, ut modo suum potius iudicium secutum esse, modo Alexandrinorum canoni adhaesisse affirmaret[84]). At quo tandem modo ad Alexandrinorum criticorum iudicium eum sese composuisse probabile est, qui ut de Phrynicho, de quo dubitavit Meinekius, taceam, licet quibusdam in rebus iis assentiat, contra illorum mentem Platonem omisit, addidit et Cratetem et Magnetem? At huic quaestioni non responderi potest tam paucis verbis, nisi prius aliam absolvimus. Necessarium enim nobis videtur accuratius eam suscipere disquisitionem, scriptorum delectus, quem post Ruhnkenium virorum doctorum plurimorum ore tritum, ad nostram usque aetatem nemo tentavit et explanatius exposuit, qualis fuerit, et ad quos scriptores pertinuerit. Quo explicato, facillimum erit iudicatu, utrum suum potius iudicium, an Alexandrinorum delectum secutus sit huius de comoedia commentationis auctor.

---

[83]) Cf. eius Q. Sc. I, p. 18 et p. 25.

[84]) Meineke Q. Sc. II, p. 2 coll. p. 7.

IX.

Graecorum libertate deleta quum artium disciplinarumque cultura a regum tutela pendere incepisset, imprimis Alexandriae et Pergami Attali et Ptolemaei summo studio librorum copiam conquirere iisque suas ornare bibliothecas instituerunt. Undecunque igitur libros coëmentes paullatim tantam omnis generis librorum multitudinem sibi comparaverunt, ut in eorum bibliothecis quem primo librum, quem postea manibus teras, inscius haesiveris. Posteaquam igitur omnium librorum multitudinem notaverant omnesque scriptores, quantum id fieri potuerat, collegerant; in ordinem singulos redigere suoque quaeque loco ponere erat necessarium. Quo facto extiterunt viri docti prudentesque, qui omnium scriptorum, qui in Graecia per multa saecula floruerant, nomina eorumque libros, qui erant aut iam recepti in bibliothecas aut in posterum recipiendi, colligerent eorumque tabulas (*πίνακας*) conderent [85]. Ex eo tempore de librorum auctoribus accurate explorare institutisque disquisitionibus, an eorum essent opera, quibus vulgo distribuerentur, suam iudicii sagacitatem exercere coeperunt. Neque credi potest, reges de librorum nobilissimorum conquisita multitudine superbos, invitos haec criticorum studia admisisse [86]), quia simul summorum virorum a se nutritorum gloria valde gaudebant. Prodiit praeterea ars singulos scriptores interpretandi et emendandi. Nati igitur sunt critici libelli diversorum generum, quorum tamen nullus nostram aetatem tulit, quanquam Pergamenorum hominum studia etiam multo minorem, quam Alexandrinorum vim in posteritatem exercuerunt.

Quanquam illa aetas non ab omni parte poëtis carebat scriptoribusque excellentibus, tamen veteres longe praestantio-

---

85) Primus praestantissimum librum, *πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν, ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ'*, Suida teste inscriptum, condidit Callimachus, cf. Demosthenis Philippicas orationes a Beckero in patrium sermonem translatas p. 505 seqq. Alexandrinorum consuetudinem exceperunt Pergameni grammatici, de quibus disputantem audi eundem Beckerum p. 507.

86) Ita minus recte Beckerus iudicasse videtur, l. l. p. 508.

res esse recentioribus quum omnes crederent, inventionisque sollertia evanuisset hominesque essent doctiores quam ingeniosiores: natus est veterum scriptorum imitandorum amor vehementissimus. Inter omnes qui his studiis dediti Alexandrini commemorantur, amoremque hunc augere et quid in quoque scriptore imitandum, quid fugiendum sit ostendere susceperant, gloriam summam sibi conciliasse videntur Aristophanes et Aristarchus, Aristophanis discipulus et auditor. Quorum instituta ut intelligamus, non unum est et alterum adspiciendum, sed simul contemplanda sunt cuncta. Aristophanes igitur quum quae genuina et spuria in veterum scriptorum libris essent disquireret, accentus et interpunctionem inveniret, pluriumque scriptorum veterum libros interpretaretur, emendaret, et in ordinem redigeret, virtutes illorum et vitia percenseret, grammaticamque scholam primus aperiret [87]): quid aliud potuit, quam universe veterum scriptorum lectionem et imitationem omni modo adiuvare, hominumque exercere institutionem et eruditionem. Aristarchus in his omnibus praeceptoris vestigiis inhaesit eiusque coepta perficere instituit [88]). Itaque condidisse utrumque artem grammaticam, tota antiquitas merito clamat [89]). Atque nisi fallor egregie, Aristophanis quae de singulis rebus grammaticis fuerit sententia, ex parte non ipse suis libris vulgavit et edidit, sed eorum cum doctis viris communicandorum honorem et gloriam reliquit discipulis. Quanquam enim Suidas enarrat, commentarios eum permultos conscripsisse „συγγράμματα δὲ αὐτοῦ πάνυ πολλά," tamen certa reperiuntur signa, sententias eius haud paucas non ex ipsius libris sed ex discipulorum scriptis demum innotuisse. Quod in Homericis lectionibus excerpendis interdum auctorem suum scholiastae produnt Callistratum, alia

---

87) Cf. Wolf. Prolegg. p. CCXVI seqq. Sumus enim adhuc in his rebus semper ad Wolfium provocare coacti, testem sane locupletissimum, sed quem alii excipere et quaestiones ab eo tam feliciter institutas ad finem perducendas suscipere iam dudum debuissent. cf. Rhenanum Museum Niebuhrii Vol. I, p. 199 seqq.

88) Cf. Wolf. Prolegg. p. CCXXVII seqq.

89) Cf. Ei. Prolegg. p. CCXLVI, Sext. Empir. adv. gramm. p. 124. Iacobs in Erschi et Gruberi Encyclopaedia V, p. 260.

ex caussa, quam Wolfius detexit, vere explicatur [90]). Sed quum commentariorum, quos ad Aristophanem scripserit, nulla reperiantur vestigia [91]), ea Callistratus ab Aristophane ipso audivit, neque ex eius libris editis hausit [92]). Iam si narratur, delectus et censuras veterum scriptorum optimorum esse ab Aristophane et Aristarcho institutas, quomodo id, si verum est, intelligendum sit, facile patebit. Volebant sine dubio optimorum scriptorum et lectionem et imitationem adiuvare. Neque verum potest esse, quod Naekius opinatur [93]), praeter praestan-

---

90) Wolf. Prolegg. p. CCXXI.

91) Stoecker de schol. p. 6.

92) Cf. schol. Arist. ad Vespp. 106. Superest, ut addam, quod quae dixi antea de Aristophane ex Suidae lexico, explicet et defendat. Protuli enim verba quaedam, quae s. v. *Ἀριστοφάνης* nemo in nostris exemplaribus reperiet; ego autem eo trahere sum coactus. Nam postquam Fabricius et Schweighäuserus in immanes errores lapsi, de Aristonymo praedicarant, comico poëta, quae ad alium quem pertinent: primus pro sagacitate sua Meinekius repperit, Q. Sc. II, p. 40. esse ea ad Aristophanem grammaticum referenda, Aristonymoque adimenda. „Excidisse igitur,“ ait, „videtur in Suidae verbis nomen Aristophanis, cui quidem suspicioni non obstat, opinor, quod alio loco seorsim de Aristophane egit *homo negligentissimus*: idemque ei etiam aliis in locis accidisse nemini ignotum est.“ Vides exemplum iniustissimae criminationis. Excidere illo loco nomen Aristophanis duabus de caussis non potuit. Nam quum Suidas ordinem vocalium consonantiumque suum optime servaverit ubique, non poterat post *Ἀριστώνυμος* ponere *Ἀριστοφάνης*. Deinde sane interdum ex diversis libris bis de eadem re loquitur, sed non tam indiligenter, ut ab genitivis incipiat, quos cum alio nomine coniungere non licet „*Πτολεμαίου τοῦ φιλαδέλφου*“ et quae sequuntur. Ut dicam quod sentio, culpa non est lexicographi, sed librariorum, qui quae coniungenda erant, distraxerunt. Aristophanis igitur vita, ab Suida descripta, haec est: *Ἀριστοφάνης Βυζάντιος, γραμματικός, υἱὸς Ἀπελλοῦ ἡγουμένου στρατιωτῶν· μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου· ἀλλὰ τοῦ μὲν νέος· τοῦ δὲ παῖς ἤκουσε· πρὸς δὲ τούτοις καὶ Διονυσίου τοῦ Ἰάμβου καὶ Εὐφρονίδα τοῦ Κορινθίου, ἢ Σικυωνίου· γέγονε δὲ κατὰ τὴν με' Ὀλυμπιάδα, βασιλεύοντος Πτολεμαίου τοῦ φιλαδέλφου, καὶ τοῦ μετ' αὐτὸν τοῦ φιλοπάτορος· καὶ προέστη τῆς τοῦ βασιλέως βιβλιοθήκης μετὰ Ἀπολλώνιον, ἔτος ἄγων ξδ'. διασκευασθεὶς δὲ ὡς βουλόμενος πρὸς Εὐμενῆ φυγεῖν, ἐφυλάχθη ἐν εἱρκτῇ χρόνον τινά· ἠφείθη δὲ καὶ ὑπὸ στραγγουρίας τελευτᾷ ἔτη βεβιωκὼς οζ'. συγγράμματα δὲ αὐτοῦ πάνυ πολλά.*“ Ex his apparet, haec omnia arctissime cohaerere, et nunc demum plenam vitae descriptionem continere, qualis de reliquis grammaticis in Suidae lexico reperitur. Quae antea de Aristophane apud Suidam reperiebantur, satis manca et imperfecta fuerunt.

93) Naeke Choeril. p. 18.

tiam scriptorum id etiam spectasse eos, „ut reciperentur, qui aliquod diu neglectum genus rursus aggredi et redintegrare bono consilio, *successu quocunque*, at insigni tamen exemplo studuissent.“ Millia enim exemplorum abunde docent, nihil eos spectasse, nisi ut optimos praestantissimosque scriptores nominarent, qui imitandi dignique essent, quibus erudiretur iuventus. Quod autem duo indicantur eiusdem rei auctores, id iam Wolfius recte intellexisse videtur [94]). Animadvertimus enim, Quinctilianum interdum utrumque grammaticum, interdum unum duntaxat, iudicii auctorem appellasse [95]). Ubi autem utrumque commemorat, tamen Aristarchum primo, Aristophanem secundo loco nominavit: ubi unum, de solo locutus est Aristarcho. Qua ex re illum delectum esse ab Aristophane quidem institutum, sed ab Aristarcho absolutum, est probabile: ita ut quae antea dixi, iis haec optime conveniant. Cogitari enim potest, post Aristophanis mortem vulgasse Aristarchum iudicium Aristophanis suamque addidisse sententiam.

At ne in incerta et dubia delabamur, temere in disquisitione progressi, ad eam, quam nobis proposuimus, accedere cogimur disputationem, quid sentiendum sit de illo delectu classicorum scriptorum et in quoque genere principum, quem Alexandrinis grammaticis, Aristophani et Aristarcho, ut Ruhnkenius, Wolfius, Wyttenbachius [96]), aliique sexcenti autumant, debemus. Nititur autem tota Ruhnkenii narratio mera coniectura [97]). Etenim nemo de Aristarcho et Aristophane, tanquam

---

[94]) Wolf. Prolegg. p. CCXVIII.

[95]) Quinctil. Institt. Oratt. X, 1, 54. 59.

[96]) Cf. Ruhnk. Hist. Oratt. p. 368 seqq. ed Friedem. Wyttenbach. Vit. Ruhnken. p. 144 seqq. 286 seqq. Wolf. Prolegg. p. CXC, n. 60; CCXVIII, n. 89. Cf. Bernhardy Wissenschaftl. Synt. p. 31, qui paullo obscurius suam explicuit opinionem, ut vix eam assequi possis; ac praeterea tabularum (πινάκων) indolem ac naturam non satis cognovisse videtur. Indices ex bibliothecis sumptos a grammaticorum de poëtis iudiciis accurate discernit Quinctilianus Institt. Or. X, 1, § 57, de cuius verbis Spaldingius bene disputat.

[97]) Qui Ruhnkenii narrationem legit „Exorti enim sunt duo“ cett. vix credet, haec omnia ex obscuris signis coniectura eum assecutum esse.

de Graecorum scriptorum iudicibus praeter Quinctilianum, quantum ex scriptis veterum hucusque repertis videre licuit, locutus est. Iam quum duobus vel tribus eorum iudiciis, quae ex Quinctiliano cognoscimus, grammaticum Coislinianum et Proclum consentire videret, eos quoque in singulis iudiciis suis totos sese ad Alexandrinorum iudicium composuisse est suspicatus. Quod quo iure fecerit, videamus. Quinctilianus igitur in Institutionibus Oratoriis quum quo modo copia cum iudicio oratori esset comparanda docere vellet, ut optima legerent et audirent, praecepit [98]); et quum Theophrastus plurimum oratori conferre lectionem poëtarum dixisset, et Cicero in hac lectione acquiescendum putasset, eorum sententiae assensum professus, omnes tamen scriptores alere quodammodo orationem posse contendit [99]). Quibus dictis, quum id necessarium esse crederet, qui sint potissimum legendi, praecedentibus adiungere constituit [100]), consiliumque suum ita persequitur, ut primum Graecorum, dein Latinorum scriptorum praestantissimos utilissimosque oratori perceuseat. Ut in Latinis scriptoribus diiudicandis eum non aliorum, sed suum ipsius iudicium secutum esse par est: ita in Graecorum scriptorum delectu non raro eius dissensum ab aliis animadvertimus [1]). Quid mirum igitur, si ne celeberrimis quidem grammaticis parebat, et ab Aristophanis quoque et Aristarchi iudicio suum seponebat et segregabat [2])? Non enim obliviscendum est, oratorem eum formare et instituere velle, neque universe de omnibus scriptoribus ita, ut veram eorum dignitatem ostenderet, iudicare. Sunt tamen, quae ex eius verbis facile elici possint. Quinctilianus enim [3]) puerum, postquam

98) Institt. Oratt. X, 1, § 8.

99) Ib. § 27 seqq.

100) Ib. § 37.

1) Ib. § 56. Videtur in his Dionysii Halicarnassensis vestigia pressisse; de qua re antea diximus. Animadverte tamen, in iudicio de Oratoribus Graecis lato, X, 1, 76—80. Isaeum omitti, Phalereumque addi Demetrium a Quinctiliano.

2) Ib. § 54. 59. Postea sermo erit de Pisandro, § 56. eo numero reiecto.

3) Ib. I, 4, 1.

legendi scribendique adeptus est facultatem, mittit ad grammaticos, eorumque artem maximi esse faciendam ratus, reprehensores et contemptores eorum refutat. Artis grammaticae partes duas facit, recte loquendi scientiam et *poëtarum* enarrationem [4]): mixtumque his omnibus ait esse iudicium: quo tam severe usi essent, ut adeo auctores [5]) alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. Hic dictis demum, excuti iubet omne scriptorum genus; qua ex re ad poëtas potissimum pertinuisse artem grammaticam sole clarius elucet. Reliqua idem confirmant. Ad grammaticorum enim iudicium saepissime provocat, sed nunquam propter pedestrem scriptorem, semper propter poëtas, ut Antimachum, Philetam, et iambicos [6]). Quid multa? docet Quinctilianus, optimos quosque poëtarum grammaticos Alexandrinos, ac nominatim Aristophanem et Aristarchum in ordinem recepisse; minus bonos numero eiecisse. Quare sine ulla haesitatione nobis dicere licet, poëtas classicos [7]) imitationi et lectioni hominum esse propositos et commendatos. Quod autem ex Quinctiliani loquendi ratione colligimus, idem omnibus, quae aliunde scimus, demonstratur. Legimus Immanuelis Bekkeri beneficio Dionysii Thracis [8]) grammaticam artem multasque ad eam explicandam augendamque scriptas variorum

---

[4]) Scholiasta ad Dionysii Thracis grammaticam artem ap. Bekk. Anecd. II, p. 736 seq. quattuor partes grammatices enumerat, διορθωτικόν, ἀναγνωστικόν, ἐξηγητικόν, κριτικόν, quae antiquitus fuerint doctae. Quinctilianus huic non adversatur. Cf. Anecd. Bekk. p. 659, l. 1, 28. 728, 32.

[5]) Wyttenbachius l. l. contra scriptoris mentem auctorum nomine solos poëtas significari credit. Lege modo sequentia „Nec poëtas legisse satis est" cet.

[6]) Instit. Oratt. X, 1, 53. 58. 59.

[7]) Wyttenbachius, Vit. Ruhnk. p. 145, *auctorum classicorum* nomen a censu Aristophanis et Aristarchi repetit, immemor, credo, Romanae originis. Apud Romanos enim valuit modo scriptorum classicorum nomen, apud quos modo non dissimili, habita ratione census, in classes divisi erant cives. Qui igitur prima erant classe recepti, classici appellabantur; infra classem, qui in secunda classe, cf. Cic. Acad. quaest. IV, c. 23. Gell. N. A. XIX, 8. VII, 13.

[8]) Non satis constat inter grammaticos, utrum ille Aristarchi fuerit discipulus, an alius quis. Profecto recte disputasse videtur, qui Bekk. Anecd. p. 672 eum patre Pero, vel Peso natum esse contendit, cf. p. 723.

scholiastarum commentationes. Quo in libro quanquam ab initio statim [9]) ars grammatica non ad solos trahitur poëtas, sed simul ad pedestres scriptores: tamen in reliquis omnibus poëtas imprimis respicit. Grammatica enim in sex partes divisa, ultimam vocat κρίσιν ποιημάτων, omissis συγγράμμασι [10]). Simili dein ratione ductus, περὶ ἀναγνώστων ubi loquitur, poëtarum modo exempla profert [11]); denique postquam de orationis distinctionibus exposuit, de rhapsodiarum nomine suam proponit opinionem [12]). Scholiastae autem non minus saepe ita loquuntur, tanquam ars grammatica imprimis propter poëtarum rationem usumque loquendi orta, eorum libros potissimum spectasset [13]). Quae quidem omnia quum nostrae faveant sententiae, aliarum tamen rerum testimoniis non minus comprobantur. Accedit enim caussa, quam gravissimam esse puto, Aristarchum, quantum scimus, nullum unquam emendandum et interpretandum suscepisse pedestrem scriptorem poëtisque solis omnia sua studia impendisse [14]). Neque Aristarchi praeceptor praeter Pla-

---

9) Bekk. Anecd. II, p. 629, 1.

10) Ib. 8.

11) Ib. 17—21.

12) Ib. p. 630, 19 — 22.

13) Est enim scholiasta, qui p. 656, 15. explicare vult τὸ αἴτιον, ut ait, τῆς γραμματικῆς, et dum vel ἀσάφειαν, vel σαφήνειαν artem peperisse tradit, haec addit verba „πολὺ πλέον ἐπεζήτησαν τὴν γραμματικὴν ἐν τοῖς ποιήμασι.“ Alius grammaticam artem celebrat, quia διδάσκει κάλλος ποιημάτων, 669, 25, 670, 2. coll. 725, 3. 15. (Saepe enim Bekkerus pluribus locis idem iisdem verbis dictum bis terque recudi iussit.) Alius κρίσιν ad poëtas pertinere dicit, 736, 25. Alius, cur Dionysius de voce ῥαψῳδία disputarit, eadem ratione explicat, p. 765, l. 26. Alii cum Dionysio, si definitionem produnt, pedestres scriptores addunt: si simpliciter sententiam suam depromunt, omittunt, 667, 22 seqq. 658, 13 seqq. Adde, quo modo Dionysii grammaticam interpretantur, 741, 24 seqq. Audi praeterea scholiastam, qui quo consilio inventa sit recentior grammatica exponit, p. 729, 21—25. Praeclare enim, quae antea disputavimus, confirmat „καὶ τῆς μὲν τέλος τὸ εὖ ἀναγινώσκειν, τῆς δὲ τὸ εὖ γράφειν.“

14) Cf. Wolf. Prolegg. p. CCXXX, Wellauer in Erschi Encyclop. V, p. 271. Imprimis observanda sunt, quae in Aristarchi laudem Panaetium philosophum dixisse accepimus, μάντιν eum nominasse, „διὰ τὸ ῥᾳδίως καταμαντεύεσθαι τὴν τῶν ποιημάτων διάνοιαν.“

tonem et Epicurum, pedestrium scriptorum quenquam adiisse videtur [15]), ita ut id unum appareat, fortasse praeter poëtas eum de philosophis, quos ipsos miro errore omiserat Ruhnkenius [16]), tulisse iudicium.

His omnibus collectis patet, Aristophanem et Aristarchum poëtarum chorum diiudicasse, multosque eorum in numerum redegisse, et multos ex ordine eiecisse; de pedestribus scriptoribus aut omnino non iudicasse, aut si iudicarint, quod in tanta testium inopia in universum praefracte negare quis ausit? non magni faciendum fuisse eorum iudicium, utpote quibuscum non tantam, quantam par erat, contraxerant familiaritatem [17]). Neque tamen negaverim, alios praeter Aristophanem et Aristarchum criticam artem factitasse, et reliquorum quoque scriptorum copiam severo iudicio aut laudasse lectionique et imitationi commendasse, aut reprehendisse et ex hominum manibus detorsisse. Sua sponte enim omnium animi ad Oratores feruntur, et unde decem Oratorum ordo et numerus natus sit, cogitabunt, de qua re ut explicatius meam opinionem exponam, multa me admonent. Nam quam dubia et incerta Ruhnkenio sit fides habenda, exemplo luculento intelligemus. Is enim quum Coislinianum et Quinctilianum statim ab initio suos auctores esse pronuntiasset, hac in re eos non consentire animadvertit, neque tamen inde, num rectam viam ingressus sit nec ne, admonitus esse videtur. Grammaticus enim non decem, quos simul Athenis unam tulisse aetatem Quinctilianus admiratur [18]), sed novem nominat, omisso Dinarcho; ac bene sciebat Ruhnkenius, non immerito a reliquorum numero eum excludi potuisse [19]). Accedit quod nemo usquam neque grammaticorum neque rhetorum, decem illos

---

15) Id. ib. p. CCXX, Wyttenb. Vit. Ruhnk. p. 287. Iacobs in Erschi Encyclop. V, 260.

16) Wyttenb. Vit. Ruhnk. p. 288. Bergmann. ad Hist. Crit. Orat. p. 369, ed. Friedem.

17) Vitruvii narrationem, qua omnes libros ex ordine quotidie summa diligentia perlegisse dicitur, Wolfius risit, Prolegg. p. CCXVI.

18) Institt. Oratt. X, 1, § 76.

19) Ruhnk. Crit. Hist. Oratt. p. 371, ed. Fried.

oratores ab Aristophane aut Aristarcho in ordinem esse redactos, memoriae prodidit [20]). Quinctilianus ipse ita loquitur, ut certorum quorundam criticorum iudicium in hoc numero indicando sese sequi, ne minimum quidem signum nobis praebuerit. Ut tamen Aristophanes et Aristarchus de Oratoribus suum iudicium tulissent, quod concedere nemini licet, nonne omnia eorum verba a posterioribus criticis non dico obscurata, sed deleta vique ventorum rapta et dispersa forent? Oblitusne erat Rubnkenius, quum quoniam grammatici sibi religioni duxerunt in rebus grammaticis et imprimis ad Homeri carmina pertinentibus de Aristarchi iudicio dubitare, id ad eorundem iudicium de decem Oratoribus latum referret, Photium non ad Aristarchum, sed ad Phrynichum ut Aeschinem optimis accenseret, provocasse [21])? ipsumque Quinctilianum paucos tantum ex decem Oratoribus memorasse, iisque Phalereum Demetrium addidisse [22])? Nonne compertum babebat illo tempore, quod postea de Dionysiorum laude in arte critica deportata scripsit Schardamioque defendendum tradidit [23])? qui quum ipsi rhetores essent, si de oratoribus suam opinionem exponebant, maiorem quam grammatici auctoritatem sibi deposcebant [24]). Et ut ad singula descendam, quam diversa de Andocide apud veteres scriptores audimus iudicia [25])? Profecto sine doctorum

---

20) Imprimis memoratu dignum est, quod in Oratorum praestantia et dignitate diiudicanda Dionysius Halicarnassensis nunquam Aristarchum et Aristophanem, tamquam oratorum iudices nuncupavit. Callimachi πίνακας nominavit et reprehendit. Beckeri Demosth. p. 509.

21) Phot. cod. LXI, p. 64. Hist. crit. Oratt. p. 370.

22) Institt. Oratt. X, 1, 80.

23) De vita et scriptis Longini, p. 430 seq. ed. Fried. Eunap. in Porphyr. p. 13. „καὶ κρίνειν γε τοὺς παλαιοὺς ἐπετέτακτο, καθάπερ πρὸ ἐκείνου πολλοί τινες ἕτεροι καὶ ὁ ἐκ Καρίας Διονύσιος πάντων ἀριδηλότερος — ἀλλ' ἡ Λογγίνου πάντων ἐκράτει κρίσις."

24) Tamen Aristarchus, Dionysius et Longinus possunt inter se propterea comparari, quia scriptorum iudices, ipsi aut nunquam aut non bene proprios libros composuerunt; cf. Porphyr. in Hor. Epist. II, 1, 257, ap. Wolf. Prolegg. p. CCXXIX seq. Ioann. Sicel. comment. Ms. in Hermog. περὶ ἰδεῶν, ap. Ruhnk. in Longini Vita p. 426 seq. et 433.

25) De Andocidis gloria Sluiterus testimoniorum largam messem congessit, Lectt. Andocid. p. 3—5, de quibus saepe illi assentiri non

virorum conatibus numerus ille decem oratorum inter ipsos Athenienses ortus videtur esse; quia decem oratores a Solone erant instituti. Graeci enim, quaecunque in numerum redigere et in ordinem digerere susceperunt, semper studuerunt numerum efficere aut divinis aut humanis rebus sancitum [26]). Quare quum septem una aetate sapientes viros vixisse, vox populi significasset: nemo doctorum virorum, iudicii errorem quamvis maximo iure suspicatus esset, dempto aut addito uno, sanctum turbare numerum ausus est. Plato igitur quum Periandrum eorum numero eximendum esse iudicasset, eius loco Mysonem adiicere sese coactum esse intelligebat [27]). Musas praeterea Graeci venerabantur novem et tres Gratias. Novem propterea fuerunt lyrici poëtae, ad Musarum numerum coniuncti; unumquemque eorum ἀριθμὸς Μουσῶν ἔχειν dicebatur [28]). In novem libros Sapphonis carmina lyrica erant descripta [29]); novem Musis singuli Historiarum ab Herodoto compositarum libri dedicati. Num igitur trium Gratiarum caussa tres venerabantur prae ceteris poëtas tragicos, comicos, iambicos? Sed ne incerta certis admisceam, eadem, credo, ratione ducti Athenienses mox decem praecipuos numerabant Oratores. Doctorum virorum erat, numero illi aut, quos receperant, eximere, aut quos exemerant, adiicere. Equidem certe non nego, me nullum inter viros do-

---

possum. Nimis enim oratoris laudem videtur persequi. Quanquam enim fuerunt, qui in numerum decem oratorum reciperent laudarentque vehementer, inter quos Ammianum, Dionysium, Photium Plutarchumque nominavit, tamen alii plurimi longe aliter sentiebant. Dionysius iudic. de Thucyd. c. 53. Antiphontem, Lysiam, Isocratem τοὺς πρωτεύσαντας τῶν τότε ῥητόρων vocavit, Hermogenes vehementissime eius orationum indolem vituperavit. In Quinctiliani verbis reprehensionem magis, quam laudationem reperio equidem, XII, 10, § 21. Ac si Herodes, in decem oratorum numerum relatus, Ἀνδοκίδου μὲν βελτίων εἰμί dicebat, sine dubio non pravitatem morum reprehendere, sed orationum naturae laudem detrahere voluit. Est igitur ab Oleario Sluiterus in errorem inductus.

26) Niebuhr's kleine Schriften I, p. 468.

27) Diodor. Sic. II, p. 552. Plat. de Republ. p. 336. HSt.

28) Iacobs in Anthol. Gr. VIII, 334.

29) Id. ib. p. 274.

ctos repperisse, cui hanc decem Oratorum coniunctionem merito adscribere licuisset.

His expositis ad Aristophanem et Aristarchum revertimur et quomodo in negotio poëtas diiudicandi suscepto versati sint, indagare pergimus. Artem enim criticam videmus a poëtis exorsam, non simul utriusque generis scriptores complexam sed sensim a poëtis ad pedestres scriptores traductam videri esse [30]. Exorsa autem est, omnibus consentientibus, ab Homero epicisque poëtis; quorum ordinem esse ab iis confectum, inde intelligimus, quod Quinctilianus Apollonium singulari de caussa numero exemptum esse tradidit [31]. Magna profecto *quaestio* est, quos homines deo illi poëtarum viri critici adiungendos statuerint. Uno autem consensu non Proclus solum et Coislinianus grammaticus, quos Ruhnkenius testium loco protulit, sed etiam quos nobis ipsis addere licet, Ioannes et Isaacus Tzetzae et Aristonicus praeter Homerum quattuor alios poëtas praestantissimos fuisse indicarunt [32]. Quod quidem iudicium, quum adessent praeterea viri nobilissimi, qui cum receptis in certamen descendere ausi essent, a viris magna auctoritate et fide conspicuis latum esse, et hac ratione demum omnium animos mentesque cepisse confidenter pronuntiamus. Nam inter ipsos grammaticos de Choerili Antimachique dignitate quaestionem in disceptationem venisse, pluribus a testibus accepimus: inter quos Callimachus et Euphorio Choerilum, alii, Platonis exemplum secuti, Antimachum prae ceteris admirabantur [33]. Praeterea tot hominum consensus, nisi magnus iudicii extitisset

---

30) Addo praeterea ad meam sententiam confirmandam, omnes Alexandrinos illos poëtica virtute quidem interdum excelluisse, libros vero eximios pedestri oratione scriptos non reliquisse. Bernhardy Wissenschaftl. Synt. p. 32.

31) Institt. Or. X, 1, 54.

32) Io. Tzetzes *περὶ τῆς τῶν ποιητῶν διαιρέσεως μικρὸν συγγραμμάτιον* iambis scripserat, eandemque rem in scholiis ad Hesiodi Opp. et Dies conscriptis repetierat. Is. Tzetzes ab initio scholiorum in Lycophronem pluribus verbis est de ea re locutus. De Andronico postea disputabo.

33) Cf. Cratetis epigramma, Anthol. Gr. II, p. 3, addita Iacobsii interpretatione V. VIII, p. 8, et Naekii Choeril. p. 71, 97, 99.

auctor, vix ortus esset. Ac si Quinctilianum adimus, ab eo ad Aristophanem Aristarchumque mitti videmur. Primum enim hos recepisse Homerum, Hesiodum, Antimachum et Panyasin, ex iis quae tradit de Apollonio, a quo excipiuntur illi, perspicitur. Dein Apollonium, Aratum, Theocritum ipsa a praecedentibus seiunctio docet aut ab aliis esse in numerum redactos, aut a Quinctiliano ipso nunc primum recipi. Denique inter eos, quos ab aliis magni factos ipse omiserat, quoniam propter Nicandrum, Euphorionem, Tyrtaeum ad Macri, Virgilii, Horatii sententiam provocantes facit adversarios suos, unus superest Pisander [34]), quem ab Alexandrinis receptum esse scriptor certe non negavit. Ut autem hac quidem re non obstat, sed favet Ruhnkenio Quinctilianus: ita si quaerimus, quos commentariis suis instruxerint ornaverintque Aristophanes et Aristarchus, non minus omnia confirmari videntur. Aristophanes enim Homerum potissimum et Hesiodum interpretatus esse, Aristarchus praeter eundem Homerum Arato operam dedisse fertur [35]). Inter quos de solo Arato dubitare cogimur: qui tamen ab Aristarcho magni aestimatus atque propter aetatem numero exemptus esse cum Apollonio videtur.

Quodsi operosam demonstrandi rationem, quam nos ingressi sumus, cum Ruhnkeniana via facili comparamus: quid fuerit, quo ille fretus summa confidentia cuncta exponeret, nos nescire confitemur. Ad reliquos autem accedentes scriptores, non minoribus tenebris involvimur. Nam quanquam Quinctilianus tres iamborum scriptores ab Aristarcho receptos esse diserte tradidit, principemque omnium Archilochum nominavit; quum solo Archilocho Aristarchum operam dedisse sciamus testesque reliqui inter se non consentiant [36]); redire cogimur ad Gesneri opinionem, ingenue dicentis „qui alii sint duo, nescio an sciatur

---

[34]) Non enim commovere quenquam debet, quod apud Tzetzam in libris Ms. quibusdam Pisandri nomen excidit. Eum librariorum esse errorem, aliis libris edocti recte editores iudicarunt.

[35]) Cf. Wolfius Prolegg. ll. ll.

[36]) Praeter Wolfii Quinctilianique locos laudatos cf. Ruhnken. Hist. Oratt. p. 323. Tzetzaeque Prolegom. in Lycophronem interpretes, inprimis Müllerus.

hodie." Vero simillimum tamen esse concedimus, vere Ruhnkenium non Anahiam Tzetzae, sed Luciani et Procli Simonidem tertio loco in numerum rettulisse; licet Simonidem in lyricorum praeterea poëtarum ordinem redactum fuisse compertum habeamus.

Novem Lyrici utrum ab Aristophane et Aristarcho primum, an ab aliis recepti in ordinem fuerint, certo non affirmaverim. Decimam plurimi posterorum novem poëtis addiderunt Corinnam [37]). De reliquis poësis generibus, quos in canonem quem nulli antiquo scriptori usurpatum vocat Ruhnkenius, Alexandrini receperint, omnia etiam multo magis incerta et dubia. Id ipsum adeo neglexit Ruhnkenius, testes suos non eandem poësin in sua genera partiendi rationem sequi [38]). Omnino igitur de huius censurae Aristarcheae auctoritate inveteratas opiniones ex animo nostro excutere debemus. Frustra certarunt de commodis et incommodis canonis; frustra aut reprehenderunt aut laudarunt eius auctores. Non valuit enim per totam antiquitatem censurae auctoritas; addita sunt multa, alia dempta, laudata alia, alia reprehensa.

Iam si quid sentio, abunde demonstratum est, Ruhnkenium de Alexandrinorum canone disputantem non tam accurate egisse, quam id Wolfio aliisque sexcentis [39]), qui eum secuti sunt, visum est. Quare elegiacos et tragicos poëtas paucis attingo verbis. Quum inter elegiacos Quinctilianus duo, reliqui quattuor rettulerint, ac de Callimacho ipse Ruhnkenius non immerito dubitaverit [40]), vix potest indubitatum iudicium ferri. In tragicorum autem numero tres nominat Quinctilianus: quinque reliqui testes; eorumque sententia propterea videtur proba-

---

37) Bekk. Anecd. Gr. p. 751, 28.

38) Proclus certe multa enumerat poësis genera, quorum ne unum quidem vestigium apud Quinctilianum reperitur. Lege, quae de melicis poëmatis dixit.

39) Imprimis Wyttenbachius, qui Ruhnkenium non provide egisse bene sciebat, non debebat omnia eodem modo et ordine referre. Solet tamen hoc modo vir praestantissimus ad verbum singula enarrare.

40) Ruhnk. Hist. Oratt. p. 372, ed. Fried.

bilis, quia Aristarchum de Ione commentatum esse accepimus. Sed quaeri potest, quoniam tragici τῆς δευτέρας τάξεως septem appellantur [41]), num priores quoque eundem numerum effecerint?

Postremo ad comicos poëtas accedimus, propter quos hanc totam rem disceptandam suscepimus. Ruhnkenius igitur, secutus Coislinianum grammaticum [42]), ex antiquae comoediae scriptoribus Epicharmum, Cratinum, Eupolin, Aristophanem, Pherecratem, Platonem, ex mediae Antiphanem et Alexin, ex novae Menandrum, Philippidem, Diphilum, Philemonem, Apollodorum receptos esse censuit. Quum autem ex iis quae supra dixi appareat, Coislinianum grammaticum multa tradidisse, quae ad alios auctores referenda sint: nisi aliunde confirmatur Ruhnkenii sententia, ad Aristophanem et Aristarchum certe hoc indicium referri nequit. Quinctilianus longe diversam viam ingressus, media comoedia praeterita, Cratinum, Eupolin et Aristophanem antiquae praestantissimos auctores, Menandrum novae principem appellat Philemonemque huic, quanquam cunctanter, adiicit [43]). Quantum autem equidem sciam, re vera hos quattuor poëtas reliquis omnibus praetulerunt grammatici Alexandrini. Imprimis in Menandro diiudicando ita Quinctilianus cum Aristophane consentit, ut uterque illi prae ceteris principatum concesserit [44]). Atqui Aristarchum non abhorruisse, aliterque sensisse ut ex aliis multis, ita ex eius viri erga tragoediam amore colligo [45]). Sed etiam in antiqua comoedia Eupolidi, Aristophani et Cratino eos primas detulisse, supra significavi, nunc autem demonstrare tentabo. Mirus enim est in his

---

[41]) Id. ib. p. 371.

[42]) In Procli enim Chrestomathia de comoedia nihil traditum est, fortasse, quia duo priores duntaxat excerpsit Photius. Errat igitur C. J. Grysar de Doriens. comoed., cui loco ipso non inspecto Ruhnkenius imposuit, dum Proclum testibus adnumerat I, p. 174. Quod dicit „Ibi enim hoc memoriae est proditum, a grammaticis istis inter principes — esse relatos“ prorsus falsum esse apparet.

[43]) Institt. Or. X, 1, § 65. 69 — 72.

[44]) Cf. quae capite secundo disputavimus.

[45]) Cf. Bekk. Anecd. II, 672, 25 seqq.

tribus viris coniungendis Horatii, Quinctiliani, Dionysii Halicarnassensis, Velleii Paterculi, Diomedis, Aristonici aliorumque consensus [46]). Reliquis tamen testibus missis, quod Horatium, Quinctilianum et Dionysium Halicarnassensem [47]) consentientes deprendimus, ad quem potius possit quam ad Aristarchum, cuius tanta erat apud omnes auctoritas, iudicii aequalitas referri? Imprimis Horatii testimonium [48]), cuius adolescentiam doctissimorum horum criticorum iudiciis et praeceptionibus nutritam esse Wolfius affirmavit, maxime illustre habendum est. Sed paullo certius accedit Platonii testimonium. Is enim ubi tres nominatos poëtas inter se comparavit, Aristophanique primas concessit [49]): hac ipsa comparatione instituta, se his triumviris palmam tribuere demonstrasse mihi videtur. Nam de comoedia in universum disserens, si quos praestantiores cognovisset, eos commemorare sine dubio non praetermisisset. Iam vero quum trium illorum virorum merita inter se comparare instituerat, statim ab initio se non suum, sed alius cuiusdam enuntiare velle iudicium profitetur. Dicit enim aperte *κατὰ τὰς Ἀρχιλόχου ζητήσεις*, pro quibus verbis recte Meinekius [50]) *περὶ τοὺς Ἀριστάρχου ζητήσεις* posuit, quae nominum commutatio saepenumero facta est [51]). His igitur argumentis commotus [52]), ex

---

46) Praeter Vell. Paterc. I, 16. et Diomed. III, 486. reliqua omnia supra indicavi.

47) Cum Dionysius Halicarnassensis de Oratoribus ipse plurima scripsisset et indagasset, in his diiudicandis suum ipse sensum duntaxat audivit; de poëtis contra aliorum iudicio eum plus tribuisse, probabile est.

48) Cf. Wolf. Prolegg. p. XX. Cicer. Epist. ad Att. I, 14. Horat. Ars poët. 450.

49) Platonius περὶ διαφορᾶς χαρακτήρων p. XI, ed. Kuster. p. XXVII, ed. Beck. p. X, ed. Bekker.

50) Meineke Q. Sc. I, p. 19.

51) Cf. Ruhnk. praef. ad edit. Hesych. Albert. p. 190 seqq. ed. Friedem.

52) Adiicio praeterea aliud eiusdem rei signum. Inter ea, quae Kusterus de comoedia comicisque poëtis exemplari suo praemisit, haec legimus verba p. XIII. (p. XI, ed. Bekk. XXXIV, ed. Beck.) „Τῶν τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητῶν ὀνόματα καὶ δράματα", quibus dictis Theopompus, Strattis, Pherecrates, Crates, Plato, Teleclides, Phrynichus nominantur. Nonne videtur horum verbo-

Aristophanis Aristarchique sententia, Cratinum, Eupolin et Aristophanem ceteris palmam praeripuisse credo. Praeterea sane poterant Alexandrini illi, ut lectu imitatuque dignos, alios recipere poëtas; sed quos receperint incertum manebit atque in coniectura positum. Ita quid de Epicharmo statuendum sit, incertus haereo. Quod enim Grysarium, Doriensium comoediae admiratorem eximium, maximo opere turbavit, de Epicharmo altum in Quinctiliani libris de institutione oratoria esse silentium [53]): id quomodo explicari posset, nullum praeteriret, si ab Alexandrinis grammaticis eum omissum esse ostenderetur. At nisi fallor, adest, quod si rem non conficit, ad quaestionem diiudicandam certe nonnulla confert. Est enim memoriae proditum, Apollodorum, doctum Aristarchi discipulum, de Epicharmo eiusque comoediis disputasse, easque in decem libros digessisse [54]). Quid mirum igitur, si post Aristophanem et Aristarchum Apollodorus demum Siculam comoediam praeter Atticam contemplatus, quae sit Epicharmi dignitas, quae doctrina, primus patefecit [55])? Quae quum ita sint, sensim multo magis

---

rum auctor supplere voluisse quos in numero comicorum, Eupolide, Aristophane, Cratino nominatis, omissos esse sentiebat?

[53]) Grys. de Dor. comoed. I, 176.

[54]) Ib. p. 84 seq.

[55]) Ante Apollodorum Lyco, philosophus Peripateticae scholae Athenis ab Ol. CXXVII praepositus, Epicharmo operam dederat, sed non tam accurate singula indagare et diiudicare potuerat, ut Apollodoro omnia praeoccuparet. — De parasiti nomine inter veteres quaedam fuit controversia. Pollux enim et Athenaeus Epicharmum inventorem fuisse dicunt; Carystiumque Pergamenum posterior reprehendit, quia Alexidi dedisset, quod ad Epicharmum pertineret. Casaubonus suspicatur, antiquum grammaticum animadversionis esse auctorem. Num id quoque potest ab Apollodoro repeti? cf. Casaub. ad Athen. p. 336, E. Grysar de Dor. com. p. 258. — Ceterum Grysarius contra antiquorum scriptorum testimonia Epicharmum mediae et novae potius comoediae adnumerare, quam in numero antiquorum comicorum referre vult, p. 229 seqq. Qui quum anonymum de comoedia, de quo nunc loquimur, sibi non obstare dicit, quia non argumentorum diversitatem, sed tempora maxime respexerit, p. 230, num oblitus est rei, quam ipse dixerat antea, Coislinianum quoque grammaticum, quem Ruhnkenio auctore ad Aristophanis et Aristarchi suum composuisse iudicium credit, Epicharmum antiquis comicis accensere, idemque iam Aristotelem suscepisse? Nonne anonymus ille, quum ab initio statim quae indoles fuerit omnium antiquorum

aperitur, iudicia de scriptoribus ferenda incepisse Aristophanem et Aristarchum, confecisse autem posteriores.

Ad novam mediamque comoediam progressi, etiam multo maioribus animus difficultatibus impeditur. Ac de nullo poëta magis differunt veterum iudicia, quam de Platone comico: quem aut omittunt prorsus inter antiquae comoediae exempla, ita ut inter viles poëtas eum reiecerint, aut inter exempla *mediae* numerarunt [56]). Quamobrem recentiorum plurimi duos Platones, comicos poëtas, finxere, quorum conatus *Meinekius* repressit [57]), qui vere antiquae mediaeque simul comoediae eum annumerandum esse statuit. Mihi autem imprimis *lectu digna* esse videtur propterea Andronici cuiusdam *περὶ τάξεως ποιητῶν* commentatio, in qua Platonis comoediae ita commemorantur, ut duplici alphabetico ordine recenseantur. Mira est ista commentatiuncula, quia cum duobus diversis scriptoribus ita convenit, ut aut eosdem fontes secutum esse auctorem, aut illos ipsos exscripsisse pateat [58]). Recensum autem harum Platonis comoediarum unde hauserit, mihi incognitum esse fateor. Is igitur ita mihi comparatus videtur, ut duplicem ordinem con-

---

poëtarum, dicat, Epicharmo in eorum numerum relato, eadem illum quoque indole conspicuum fuisse perhibet?

56) Anon. de com. p. XXXI, ed. Beck. XII, ed. Kust. V, ed. Bekk.), Schol. Dionysii Thracis ap. Bekk. Anecd. II, p. 749 et Andron. ib. III, p. 1461, not.

57) Meineke Q. Sc. II, p. 12.

58) Scriptor ab Immanueli Bekkero et Meinekio Q. Sc. II, 2. contemptus exscripsit Io. Tzetz. prooemium in Hesiodi Opp. et DD. scriptum, a verbis „*τῶν ποιητῶν οἱ μὲν εἰσὶ*“ usque ad verba „*οἷός ἐστιν Ἀριστοφάνης, Εὔπολις, Φερεκράτης*“ dein iterum ad Tzetzam redit a verbis „*τραγικῶν δὲ ποιητῶν*“ — usque ad finem. Eadem ubique dicta, eadem verba reperies. Inter epicos poëtas Hesiodo ultimum tribuit locum. Ceterum Io. Tzetz. fratris dicta in schol. ad Lycophr. expilaverat, a quo ultima desumpsisse Andronicus videtur „*μακρὸν γὰρ ἂν εἴη καὶ ὀχληρόν.*“ Quae de poëtis comicis immiscuit, ea ex parte ap. schol. Bekkeri ad Dionys. Thrac. grammat. p. 749, 7—13 inveniuntur, ita ut quanquam in re tenui, emendationem inde petere possimus, quia post vocem *ἀρχαία* articulus est in Andronici commentatiuncula omissus. Sed unde, quae de Platone protulit, Romanisque comicis poëtis, hauserit, equidem nescio. Conferri praeterea potest anon. de com. p. XXXI, ed. Beck.

tineat, eosque singulatim nominet, qui ad mediam et qui ad antiquam pertinent comoediam; quanquam mihi aggredienti et certa quaedam indicia enucleanti felix eventus defuit. Non refragabor tamen magnopere, si quis aliter sentiat. Certum autem est et indubitatum, duplicem esse criticorum de Platone sententiam, cuius in auctores inquirere utilissimum, sed simul difficillimum esse, expertus scio. Neque aliquis infitiabitur, Ruhnkenii de canone Alexandrinorum sententiam, cuius auctoritas per totam antiquitatem maxima fuerit, corruisse totam; quia ea tantam iudicii diversitatem nullo modo admisisset [59]).

His expositis, ne diutius legentes moremur, atque in res a nostro consilio diversas abeamus, gressum cohibemus aliisque quid de mediae novaeque comoediae praestantissimis poëtis sentiendum sit, iudicandum relinquimus. Ego vero non dubitem contendere, non debere quemquam amplius, nisi maiores in posterum copiae ex antiquitate ad nos perlatae eruantur, in universum disquirere velle, quibus scriptoribus grammaticorum Alexandrinorum consensus primas detulerit? Quid enim litteras adiuvat, si quis in coniecturas abire cogitur, omnibus historicorum monumentis antiquitatisque auctoritate privatus? Ruhnkenius autem imprimis propterea in errores abiisse videtur, quia quanquam certis auctoribus destitutus, tamen iis tamquam certissimis usus est; et ita ad Aristarchum Aristophanemque transtulit, quae ad alios iudices pertinent. Ceterum est nobis prorsus incognitum, quibus in libris duumvirorum de poëtis iudicia lecta fuerint: nisi ad Aristophanis librum πρὸς τοὺς Καλλιμάχου πίνακας confugere, vel potius, Platonium secuti, Aristarchei libri inscriptionem fuisse sumimus, ζητήσεις περὶ ποιητῶν. Neque aliquid certi pronuntiare licet, si quaeritur, utrum de singulis poëtarum in numerum redactorum libris simul iudicaverint, et eorum quos praestantissimos haberent, proposuerint. Non enim est improbabile, talem librorum censum

---

59) Diomedes de poëmatis generibus, in Gaisf. editione Enchiridii longe alios fontes secutus est, qui Susarionem adeo, Mullum et Magnum inter comicos poëtas recenset, mediamque comoediam nullo verbo tetigit. p. 400.

extitisse, eumque aut a priscis illis grammaticis aut a recentioribus confectum. Sed rebus dubiis relictis, ad institutum revertimur.

X.

Iam enim posteaquam quaestione accurate instituta consecuti sumus, ut censurae scriptorum quae ratio et indoles fuerit perspiciamus, ad commentationem anonymi de comoedia scriptam nobis aditus patet. Quodsi vera sunt, quae repperisse nos credimus, statuendum est, scriptorem nostrum in recensendis comicis poëtis praestantissimis non tam secutum esse Aristophanis et Aristarchi iudicia, quam vel aliorum vel suum ipsius sensum mentemque consuluisse. Non attinet, rei argumenta recensere singula. Exclusis, qui in Sicilia Italiaque floruere, poëtis [60]), quum illi in sola Atticorum scena versati, de Epicharmo nullum iudicium proposuissent: anonymus contra primo eum loco posuit summaque laude cumulavit [61]).

---

[60]) Addo praeterea, ne Sophronis quidem mimos ab Alexandrinis esse diiudicatos, quod meam opinionem multo magis confirmat. Equidem certe nullum vestigium repperi.

[61]) Quae de Epicharmo scriptor memoriae prodidit, vario modo sunt a viris doctis male intellecta. Dindorfius enim, Acharnensium fabulae editor, bono consilio grammaticorum quorundam de comoedia commentationes ab Aldo Manutio primum editas suo Acharnensium exemplari praefixit; vitiaque nonnulla correxit et singulas quasdam adnotationes apposuit. Cuius conatus in Epicharmi vita non dici potest, quam infeliciter cesserint. Primum enim, p. IX, 16, quae ab alio scriptore, p. XV, 16, de Aristophane dicta sunt, „ὃς πρῶτος“ cett., conferri iussit; ac deinde adiecit „sed proxima ad Epicharmum pertinent.“ Iam quo tandem modo priora verba ad Aristophanem, posteriora ad Epicharmum trahi possint, nullo transitu ad posteriorem facto: nemo intelliget. Deinde qui fieri potuit, ut unus idemque scriptor, qui paucorum hominum recensione defungitur susceptumque negotium quam brevissime absolvit, bis de eodem homine locutus esse videretur? Cur denique in Magnetis vita „ἀγωνισάμενος Ἀθήνησι“ additum esset, si iam ante Magnetem non de Siciliensi solum, sed etiam de Atheniensi comico sermo institueretur? Apparet praeterea, universe esse de comoedia in Epicharmi vita, sed in vita Aristophanis de Attica singulatim expositum. — Sed his non contentus in utilissima, quam nuperrime instituit, fragmentorum collectione etiam auxit vitium. Etenim quum disputatione de Aristophanis fabularum numero et nominibus statim ab initio libri instituta, de numero quae supersunt testimonia gramma-

Quae quidem res nostrum scriptorem ab Aristophane et Aristarcho sola quodammodo distrahit ac divellit. Apollodori enim sententiam, qui primus Alexandriae in Epicharmi fabulis iudicium et censuram accuratius exercuit, eius verbis expressam legi, unde possim maius et apertius repetere testimonium, quam quod in ea parte, in qua ille a veris falsas et suppositicias fabulas discreverat, fraudisque originem ostenderat, assensionem ei non denegavit [68]). Sed profecto etiam certiora adiicere licet. Etenim primo accedit, quod quum Aristophanes grammaticus inter omnes poëtas post Homerum eximios principatum concessisset Menandro, Aristophanem anonymus inter poëtas comicos, qui Athenis excelluerunt, omnes, Menandro ipso non excepto, in summum dignitatis gradum evexit [69]). Postremo si vere equidem quo consilio ducti Aristophanes et Aristarchus censendi iudicandique munus susceperint exposui, diversum ab his consilium anonymum videtur, ut simili provincia fungeretur, commovisse. Illi enim quoniam veteres scriptores, quos recte cogitandi dicendique magistros iam ea aetas putabat, sollertiae

---

ticorum colligere vellet: accidit ei, ut adeo posteriora vitae verba, quae ad Epicharmum trahenda esse censuerat antea, nunc ipsius sententiae oblitus, ad Aristophanem pertinere crederet. Hac igitur ratione inita, nostrum scriptorem in duos homines, quorum alter ab altero dissentiret, divisit eiusque verba, quia ipsius sententiae adversabantur, ab Epicharmo ad Aristophanem tracta, correxit. Tamen scriptura ex eius opinione in integrum restituta, in fine sua grammaticorum testimonia non ponderat, sed numerat; cf. Dind. de fragm. Aristoph. p. 3 seq. Grysar de Doriens. com. I, p. 267. — Praeter Dindorfium autem Grysarius quoque alio quodam modo a veritate aberrasse mihi videtur. Nisi enim fallor, haec anonymi verba „πρῶτος τὴν κωμῳδίαν διεῤῥιμμένην ἀνεκτήσατο," non recte interpretatus est, l. l. p. 71 seqq. 198 seq., suam de prisca comoediae forma opinionem confirmandi nimis cupidus.

68) Quattuor enim fabulas Epicharmeas suppositicias esse, Apollodorus et anonymus affirmarunt, cf. Athen. XIV, p. 648, E. Grysar de Dor. com. p. 266—271. Vellem Grysarius explicare studuisset, unde quod est inter anonymum et Lyconem discrimen natum fuerit. Ut videtur enim, fabulam a Lycone reiectam et repudiatam recepit iterum in numerumque redegit Apollodorus, si quidem vere anonymus, triginta et sex fabulas qui servatas esse statuit, eum sententiae auctorem habuit.

69) „Ἀριστοφάνης μακρολογώτατος Ἀθηναίων καὶ εὐφυΐᾳ πάντας ὑπεραίρων" p. XXIX, ed. Lips.

posteriorum imitandos propenere vellent: in exemplorum numerum eos recipere non debebant, quorum scripta temporum decursu amissa, legi atque edisci non poterant. Quae quum ita sint, si cum anonymo nostro Magnetis comoedias non esse servatas credidissent, quod non improbabile est; propter suppositicias, quae sub eius nomine circumferebantur, fabulas eum in ordinem redigere sine dubio dedignati essent [64]). Quod qui fecit anonymus, simul demonstravit, sese nulla poëmatum lectionis aut imitationis ratione habita, omnium praestantissimos ac celebratissimos poëtas nominare voluisse. Ac, nisi egregie fallor, repperi caussam, quae eius animum ad scribendam hanc commentationem impulerit. Etenim in usum hominum Aristophanis fabulas legentium, quae de comoediae historia comperta habebat, et ex antiquioribus scriptoribus collegerat, suo complecti libello secum constituerat. Primum enim quod Aristophanis amore tenetur eumque prae ceteris omnibus excelluisse censet, nonne nobis illius consilii signum, quod etsi leve et tenue est, contemni tamen non debet, suppeditat? At, quod maximum est, tota libelli natura et indoles, propter Aristophanem omnia dicta esse, ostendit. Nam praeter Epicharmum quoscunque antiquae comoediae poëtas nominavit, eos omnes

---

64) „*τῶν δραμάτων αὐτοῦ οὐδὲν σώζεται*“ Anon. cf. Meinek. Q. Sc. I, 10. Sed duplicem de Magnetis fabulis re vera extitisse sententiam idque immerito a Meinekio negatum esse arbitror. Fuerunt enim, qui nihil servatum esse contenderent; alii, qui servatas quidem esse novem fabulas, sed post commissionem ab ipso poëta correctas censerent. Si apud nostrum anonymum legimus „*οὐδὲν σώζεται· τὰ δὲ ἐπιφερόμενά ἐστιν ἐννέα*“ Hesychiumque affirmantem audimus „*σώζονται μὲν, ἀλλὰ διεσκευασμέναι εἰσίν*“: nonne sententias hasce sibi invicem contrarias esse patet? Ac si Athenaeus, consentiens ille cum anonymo nostro, quem Eratosthenis iudicium amplexum esse Meinekius suspicatur, „*Μάγνης*“, ait, „*ὁ ποιήσας τὰς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένας κωμῳδίας*“, aperte id ostendit, de diasceuasi eum non cogitasse. Cur enim non dixisset, *ἢ ὁ διασκευάσας* etc.? Controversia, quam inter Callimachum et Eratosthenem Nubium caussa ortam esse scimus, propter Magnetis quoque fabulas alios criticos exercuisse videtur. Qui internis ex caussis, ad tempora, quibus Magnes fabulas commiserit, non posse servatas comoedias referri, dixerat, is ab alio quodam refellebatur, qui eas res correctione illatas putabat. An ut Aeschyli inter tragicos poëtas, ita inter comicos Magnetis correctas fabulas in certamen deferre posterioribus poëtis Athenienses permiserunt? Quinctil. Institt. Or. X, 1, 66. Mihi quidem id vix credibile videtur.

in nostris Aristophanis fabulis commemoratos videmus. Uti argumenti scriptor, quod Equitibus fabulae praemissum legitur, pulcherrime profecto, ut describeret quae comoedorum chorum, oculis ad spectatores conversis, dicentem poëta induxit, eum *περί τε τοῦ ποιητοῦ τινα καὶ τῶν προγόνων* protulisse affirmat [65]), ita noster anonymus eandem quam et ipse poëta iniit viam ingressus, a quibus artem acceperit, accurate enarrat. Propterea igitur Epicharmum, quem comoediae artificiosius excultae inventorem, multis iisque harum rerum peritissimis iudicibus assentientibus, fuisse censebat [66]), primo loco commemoravit. Deinde ad Athenienses progreditur, omissisque *Enete*, Euxenide, Myllo, Chionide, Ecphantide, Tolyno, aliis, ad Magnetem, Cratinum Cratetemque transit, quos Aristophanes, quum primam fabulam ageret ipse, usque ad illud tempus comoediae principes et exempla fuisse, non obscure significavit [67]). Quicunque autem anonymi verba legit et cum Aristophanis versibus comparat, non potest non concedere, ipsius poëtae sententiam totam esse ab eo expressam [68]). His expositis, ad Pherecratem orationem convertit, quem ipsum non sine laude Aristophanes nominavit [69]); et ei adiungit Phrynichum et Eupolin, qui brevi ante Aristophanem comoedias docere inceperant [70]) et cum ipso saepe in certamen descendentes, magno honore non

---

[65]) Cf. primum Equitum argumentum, p. 65, ed. Dind.

[66]) Cf. Grysar de Dor. com. I, p. 3.

[67]) Cf. Aristoph. Equitt. 517—587. Imprimis in Magnetis laude non omnes consentiunt, cf. Mein. Q. Sc. I, p. 11.

[68]) Nam de Magnete locuturus, quum Aristophanem dixisse videret, „ὃς πλεῖστα χορῶν τῶν ἀντιπάλων νίκης ἔστησε τρόπαια“, ipse haec explicare voluit his verbis *νίκας ἔσχεν ια'*, cf. Mein. Q. Sc. I, p. 10. Ceterum quomodo Suidae error, quem Eudocia quoque est amplexa, „*ἐδίδαξε κωμῳδίας θ', νίκας δὲ εἶλε β'*“ dicentis, ortus fuerit, apertum esse videtur. Novem enim comoediae quum superessent, sed victorias deportasse undecim fabulis traditum esset: erat, qui praeterea duabus fabulis vicisse affirmaret, quod Suidas non recte percepit. — De Cratino dicens, non solum mortis genus, sed etiam iudicium de fabularum indole ex Aristophane hausit, cf. Mein. Q. Sc. I, p. 15. 20. — Neque in Cratetis vita Comici laudes aliunde petiit Mein. I, p. 27.

[69]) Cf. Ar. Lysistr. 158.

[70]) „ἐπὶ ἄρχοντος Ἀπολλοδώρου, Ol. LXXXVII, 3.“ Mein. Q. Sc. II, p. 6.

caruerunt [71]). Iam vero Aristophanis et vita breviter enarrata et gloria descripta, mediam novamque, quas dicunt, adit quidem comoediam, sed negotio suscepto ita defungitur, ut aperte videas, historiae causa ea adiecta esse, sed accuratam proponendi rerum historiam consilium scriptorem non habuisse. Quae quum ita sint, eum poëtas antiquae comoediae praetermisisse intelligitur, quorum commemoratio Aristophanis lectores nihil adiuvisset. Ne multa! ab Aristophanis et Aristarchi censura iudicioque anonymum non pendere, tantum non omnia docent [72]).

Etsi vero hac via incedentes, longe minore fructu quam labore anonymi nostri fontes detegere studuisse videbimur: tamen de fide et auctoritate libelli nunc non prorsus incertum iudicium ferre poterimus. Equidem scriptorem legere mihi videor, qui quanquam non priscis illis Zenodotis et Aristarchis adnumerandus, tamen non minus a vilium minutorumque scholiastarum turba segregandus est. Quaecunque enim ab eo dicta videmus, ea omnia sunt ita comparata, ut prudentem hominem prodant. Est enim laude dignum, quod ab Susarione inventam esse comoediam tradidit, neque tamen vocis originem sola ex Doriensium lingua repetiit, a vitiis ineptiisque aliorum alienus [73]). Quae universe de comoediae antiquae indole et natura proposuit, prudenter dicta sunt, ita ut omnes, quos eo nomine comprehendit, complectantur. Ordinem apte instituit, quo singuli poëtae in eius libro sese excipiunt. De singulorum poëtarum vita plurima verissime exposuit. Et ut singula quaedam attingam, quae de Epicharmo protulit, omnia cum iis, quae Grysarius, accuratus harum rerum perscrutator, invenit, optime

---

71) Cf. quae de utroque poëta doctissime enarravit Meinekius. In Aristophanis reprehensione ipsa verae laudis signa interdum reperiuntur.

72) Id ipsum, quod temporum seriem in enumerandis poëtis sequitur, huic sententiae adversari videtur.

73) Nihil legimus de comoediae origine a voce κώμα, vel ab insula Co repetenda, quae Diomedes p. 486 Graecique grammatici somniarunt, Bekk. Anecd. p. 749, 21.

conveniunt [74]). De Magnete, Cratete [75]), Cratino, Pherecrate [76]), Eupolide [77]), et in nova comoedia de Philemone et Menandro [78]) ita disputavit, ut Meinekius, vir vere eruditus reique scenicae veterum Graecorum peritissimus, fere semper cum eo consentire eiusque dictis, quae fide dignissimis aliorum narrationibus confirmantur, optime uti potuerit. At merito immodestiae accusarer, si rem omnibus perspicuam pluribus persequi vellem.

---

74) De tempore, quo vixerit, cf. Grys. I, p. 154 seq. De eius inventis, p. 71, 194 seqq. de fabularum numero, p. 267 seqq. Comoediam autem dispersam, *διεῤῥιμμένην*, Grysarius minus recte p. 71 eam esse credidit, quae ante Epicharmi tempora serie fabellarum constiterit, unum aliquod argumentum exhibentium, sed inter se non arcte coniunctarum. Apte Diadorfius comparavit ea, quae de Aristophane ab alio scriptore dicta sunt „*τὴν κωμῳδίαν ἔτι πλανωμένην τῇ ἀρχαίᾳ ἀγωγῇ*". Similiter de Panyasi Suidas „*σβεσθεῖσαν τὴν ποιητικὴν ἐπανήγαγε*". Ex scriptoris nostri sententia Epicharmus comoediam in integrum restituit, *ἀνεκτήσατο*, multaque ad artem augendam addidit (*πολλὰ προσφιλοτεχνήσας*). Erat igitur ex Susarionis aetate ad Epicharmum non tam ab antiqua indole lapsa, quam neglecta et male tractata, *διεῤῥιμμένη*. Nimis multa igitur Grysarius ex anonymi verbis elicuit. Sed confer, quae mox disputabimus.

75) Animadverte, quam accurate de ebriis in comoedia receptis locutus sit, quum recte Athenaeus reprehenderit, qui *εἰς τὴν σκηνὴν* ebrios alium quam Aeschylum induxisse contenderant. Sermo autem est de comoedia Attica. cf. Mein. Q. Sc. I, p. 27. Grys. de Dor. com. I, p. 300.

76) Quae de Pherecrate scripsit, ex parte scripturae vitiis laborare credunt interpretes, cf. Meineke Q. Sc. II, p. 82. Runkelius Pherecr. et Eupol. fragm. p. 5, qui libri scriptorem negligenter Platonium vocat, quem postea p. 81 recte anonymum nominavit.

77) Tenendum est, Bekkerum Kusteri exemplar expressisse, vitiumque Kusteri, pro „*γέγραπται δὲ αὐτῷ δράματα ιδ´*" scribentis „*δράματα δ´*" repetiisse. Interdum tamen Bekkerus bene mutavit veterem vitiosamque scripturam. Exemplum praebet praeter illud, quod Diadorfius notavit, de fragm. p. 87, quod in Aristophanis vita „*ζηλῶν δὲ Εὐριπίδην*" scripsit p. VII.

78) Meinekius confidenter reiicere debebat nonnullorum exemplarium scripturam „*ἐδίδαξε δὲ πρῶτος ἔφηβος ὢν ἐπὶ Διοκλέους ἄρχοντος*" pro „*ἐδίδαξε δὲ πρῶτον*", quam recte Bekkerus correxit. Eadem enim ratione peccatum est in Aristophanis vita. Praeterea in Eupolidis vita *πρῶτον* excidisse coniicio, ut scribendum sit „*ἐδίδαξε πρῶτον ἐπὶ ἄρχοντος Ἀπολλοδώρου*". Lex illa ex errore nata est grammatici, Nubes Aristophanis interpretantis, cf. Mein. Prolegg. ad Men. p. XXX, Q. Sc. I, p. 36.

Raro a vero aberrasse videtur anonymus. Ita quae de Phrynicho pronuntiavit, sunt sine dubio ex errore nata, quoniam Meinekius comicum Eunomidae, tragicum autem Polyphradmonis filium fuisse demonstravit [79]). Magnas praeterea criticis movit difficultates, quod affirmat, Cratinum ab Aristophane dici mortuum esse, quum archonte Pythodoro Lacedaemonii primam in Atticam terram invasionem suscepissent. Rem non posse veram esse, ex omnibus apparet. Accidit igitur scriptori, quod saepissime hominibus accidisse notum est, ut quae Aristophanes ludendi caussa dixerat, ea pro veris haberet [80]). Alia scieris praeterea, quae scripturae vitia et librariorum incuria admissa esse credo.

Nondum autem ad finem perducta est nostra de hoc scriptore disputatio. Nisi enim fallor, non ipsum eius librum, sed libri excerptum nostra aetate accepimus. Quod cur statuam, non alienum fuerit paucis exponere. Ac primum quidem quam in rebus gravissimis enarrandis cernimus brevitatem per se ipsam excerpentis manum prodere, vel me tacente intelligitur. Quorsum enim tantis libelli angustiis se ipse impedivisset, qui magna doctrinae copia ornatus, multo plura discendi cupidis impertire poterat? Sed in ipsa commentatione sine magno negotio longe certiora eius rei signa reperire licet; quorum unum tantummodo, quod rem conficiat, indicabo. In Pherecratis enim vita quoniam dictum est, poëtam *iterum a conviciis in homines faciendis abstinuisse* [81]), inde colligo, ex scriptoris mente ante Pherecratem extitisse, et qui primus conviciorum iaciendorum consuetudinem in comoediam induxerit, et qui a sua eum morem excluserit removeritque. Ineptissimus autem esset scriptor,

---

[79]) Q. Sc. II, p. 6. Ceterum ex Aristophanearum fabularum interpretatione errorem ortum esse puto, quum saepe de quo poëta dixerit incertum sit.

[80]) Ib. I, p. 15. Mortis caussam esse ab ludente poëta fictam patet. Quod qui non intelligebat, sane non poterat non cogitare, *primam* invasionem ab Aristophane significatam esse.

[81]) „*καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη*“. Ex Iunt. tert. *αὐτοῦ* Beck. p. XXIX. „debet esse *αὐτοῦ τοῦ*“. Meineke I, 26 „*τοῦ*“ *αὖ* voce omissa. Bekkerus recte p. VII *καὶ αὖ τοῦ*. Cur scriptura obscurata et correcta sit, a nemine non perspicitur.

qui quod iterum factum, id antea primo ab aliquo factum esse dicendo praetermitteret. Unde sequitur, verisimillimum esse, aut librariorum negligentia vitium esse admissum aut, quod etiam magis probo, omisisse quaedam dictu necessaria eum, qui librum excerpserat. Neque dubium esse potest, quin id in Cratini Cratetisque vita acciderit, quorum alter propter nimis vehementes vitiosorum hominum reprehensiones ipse reprehensus [82]), alter autem, quod iam ex gravissimo Aristotelis testimonio fragmentorumque indole Meinekius collegit [83]), singulos homines carpendi morem non amplexus est. Quare quia, ubi scriptor antiquae comoediae indolem describit, nihil de conviciandi consuetudine legimus: eum in Cratini vita auctorem eius consuetudinis commemorasse, sine ulla dubitatione affirmaverim. Quae quidem opinio mea nescio an alia quadam re multo magis confirmetur. Extat enim commentatio de comoedia inter eas, quas post Aldum Manutium plerique editores suis praefixerunt exemplaribus [84]); quae quanquam Epicharmum omittit, in omnibus tamen, quae de Attica comoedia dicta sunt, apprime cum anonymo nostro convenit: ita ut si utrumque conferimus, alteram cum altera arcte cohaerere intelligamus possimusque alteram ex altera et explicare melius [85]) et librariorum vitia cor-

---

82) Platon. de Com. p. XXVII. Lips., Mein. Q. Sc. I, p. 19.

83) Meineke Q. Sc. I, p. 26 seq.

84) p. XXXII, ed. Beck. p. VI, ed. Bekk. p. XII, ed. Kust.

85) Monui paullo ante, Grysarium mihi videri in errorem lapsum esse, ubi anonymi nostri de Epicharmo verba explicare voluerit. Iam quae apud hunc scriptorem legimus, possunt fortasse ad illius intelligendam sententiam nonnulla conferre. Describit enim, quid in Attica comoedia Cratinus instituerit, et quo modo ea ante Cratinum comparata fuerit. Iam vero non potest dubium esse, quin comoediae ratio, antequam Cratinus prodierat, Athenis non alia fuerit, quam quae ante Epicharmum in Sicilia floruit. Quare utriusque scriptoris descriptio ad eandem rem pertinet. Loquitur autem ita anonymus „καὶ τὰ πρόσωπα εἰσῆγον ἀτάκτως καὶ μόνος ἦν γέλως τὸ κατασκευαζόμενον“, quorum quod primo loco dictum est, non male, credo, cum alterius scriptoris comoedia dispersa (διεῤῥιμμένη) comparatur. Inde ea existit sententia, Epicharmum Syracusis, Athenis Cratinum comoediam restituisse, et τῷ χαρίεντι τὸ ὠφέλιμον addidisse. Epicharmus enim τὸ γνωμικόν, Cratinus τὸ τοὺς κακῶς πράττοντας διαβάλλειν adiecit. — Neque hoc praetermittam, quod imprimis ex utriusque scriptoris comparatione elucet, quae noster

rigere [86]). Etenim quod maximum est, neutra comoediae Atticae originem a conviciandi consuetudine repetit: sed ad solum redit utraque risum [87]). Praeterea autem utraque totam comoe-

---

de media comoedia protulit, ea recte esse a Meinekio Q. Sc. II, 4. explicata. Confer quae de dialecto posuit.

86) Alteri de comoedia commentationi apertum inest, neque tamen a quoquam animadversum vitium. Quod inter antiquam novamque comoediam extet discrimen, indicandi cupidus, quinque affert res diversas, *χρόνον*, *διάλεκτον*, *ὕλην*, *μέτρον*, *διασκευήν*, easque deinceps recenset. Quibus in rebus accurate quid de tempore, dialecto et apparatu sentiat, exponit. Reliqua perturbata sunt et hoc modo scripta „*ὕλη δὲ καθὸ ἡ μὲν νέα κατὰ τὸ πλεῖστον στρέφεται περὶ τὸ ἰαμβικόν, σπανίως δὲ μέτρον ἕτερον, ἐν δὲ τῇ παλαιᾷ πολυμετρία τὸ σπουδαζόμενον.*“ Nemo semel monitus non videt, *ὕλην* et *μέτρον* esse confusa; et excidisse quae de silva, quam dicit, vel materia scriptor proposuerat. Iam ad alterum scriptorem oculos convertamus, videamusque quid ille de comoediae utriusque discrimine dixerit. „*Οἱ μὲν οὖν τὴν ἀρχαίαν*,“ ait, „*κωμῳδίαν ποιηταὶ οὐχ ὑποθέσεως ἀληθοῦς ἀλλὰ παιδιᾶς εὐτραπέλου γινόμενοι ζηλωταὶ τοὺς ἀγῶνας ἐποίουν.*“ Ac primum quidem Beckii Dindorfiique scribendi rationem *παιδείαν* pro *παιδιᾶς* falsam esse, vix est quod moneam. Quod quoniam scimus, quae sit sententia his verbis dicta, facile intelligemus. Neque obscurum est, ex his quae illi scriptori desunt addi posse hac fere ratione „*ὕλῃ δὲ καθὸ ἡ μὲν νέα ὑπόθεσιν εἶχεν ἀληθῆ, ἡ δὲ παλαιὰ παιδιὰν εὐτράπελον ἐζήλου.*“ Si cui de hac re dubium residet, id evanescet, ubi quae alio loco ab ipso scriptore proferuntur, contemplabitur. In fine enim de Aristophane ita loquitur, „*καὶ γὰρ τὸ τούτου δρᾶμα ὁ Πλοῦτος* ν ε ω τ ε ρ ί ζ ε ι *κατὰ τὸ πλάσμα· τήν τε γὰρ ὑπόθεσιν ὡς ἀληθῆ ἔχει καὶ χορῶν ἐστέρηται, ὅπερ τῆς νέας ὑπῆρχε κωμῳδίας*“, quibus in verbis cum Ald. Iunt. II. et Port. contra omnes recentiores editores, Bekkero non excepto, *ὡς* pro *οὐκ* sine ulla dubitatione recepi. Conferatur denique quod alius scriptor, aliena prorsus sententia ductus, de antiquae comoediae materia proposuit. Loquor de vitae scriptore p. XXXVII. Lips. „*καὶ παντάπασιν ἐκλελοιπυίας τῆς ὕλης τῶν κωμῳδιῶν.*“ — Quae quidem negativam particulam eiiciendi ratio si cui nimis audax videtur: illi aliud etiam audacius fortasse exemplum opponere audeo. Iam supra enim attigi, me in Bekk. Anecd. p. 749, l. 10. pro *οὐ φαίνεται* scribendum esse censere *φαίνεται*. Ac caussa rei nulla alia est, quam quod Andronicus, quem ea verba exscripsisse demonstravimus, additis Platonis fabularum nominibus, ita loquitur „*οὗ τινος τὰ δράματα τάδε λέγονται*“ cett. Anecd. III, pag. 1461. Qui igitur ad Dionysii Thracis grammaticam scholia scripsit, Cratini et Platonis fabulas superstites habuit. Ceterum ut res tota conficiatur, duo eiusdem fortasse scholiastae locos indico, in quibus quid significet *πράττεσθαι*, apertissimum est; II, p. 678, 5. et 11. „*μετὰ πάντα τὰ τεχνικὰ πράττεται*“ i. e. manu teritur.

87) Alter „*μόνον ἦν γέλως τὸ κατασκευαζόμενον*“ dicit; in tota alterius enarratione eadem sententia cernitur.

diam contemplata, ad Aristophanem primas defert. Iam quum noster scriptor protulerit, quae ab illo omissa sunt [88]), quumque ille habeat, quae apud nostrum frustra quaeruntur [89]): utrumque credo unum eundemque librum docti scriptoris excerpsisse. Ac quoniam simul apparuit, eum, qui excerpsit librum, non satis apte aliquid in Cratini Cratetisque vita praetermisisse, quod in Pherecratis vita eius oratio postulat: nemini mirum videbitur, si excerpentis manus alibi quoque deprehenditur ac brevitate nimia vitia inducta cernuntur.

Quibus rebus qua potui diligentia exploratis indagatisque, hanc proponere sententiam audeo, commentatiunculam de comoedia, de qua disputavimus, ad Aristophanem et Aristarchum referri nullo modo posse, sed esse breviter e maiore libro exceptam, cuius auctor veterum scriptorum copia, quorum maxima pars nunc amissa est, adiutus, fide non indignus erat, eoque consilio illam scripserat, ut eos, qui Aristophanem legere cuperent, sua doctrinae copia adiuvaret.

XI.

Quibus rebus enarratis, multa me admonent, ut adiiciam aliquid de didascaliarum, quas dicunt, origine, indole, usu et auctoritate. Nam quoniam, ut vidimus, qui de Aristophanis vita exposuerunt nostramque aetatem tulere scriptores, nobis vix habere possunt auctoritatem locupletium testium; sumus circumspicere coacti, quibus aliis ex scriptoribus aliisque ex monumentis tenuem certe vitae cognitionem hauriamus. Qua in re nunc multa omittimus, quae suis locis notata, singularem non desiderare videntur disputationem; de didascaliis autem loqui instituimus, quibus privati ne hanc quidem brevem vitae delineationem potuissemus conscribere. Est autem haec de di-

---

88) Ita de Epicharmo, de comoediae nomine, de excellentissimis praeter Cratinum et Aristophanem antiquae comoediae poëtis noster anonymus [illegible]us exposuit.

89) Omisit noster anonymus plurima de antiquae comoediae indole ab altero scriptore bene tradita. Tacuit Cratini et Aristophanis merita.

dascaliis quaestio omnium difficillimis adnumeranda. Nam quod diu ante nostram aetatem Casaubonus senserat, nullam vocem esse magis usu tritam, nullam minus saepe recte intellectam [90]); id non diu fuit, quo nostra quoque aetate dici posset. Neque id mirum cuiquam videbitur, quia in hac tanta utilissimorum librorum strage vix pauca vestigia conspiciuntur, e quibus coniectando totam rei rationem assequi liceat. Itaque non inutile esse putavi, si quis post Casaubonum Boeckhiumque susciperet eius rei accuratam disquisitionem; si modo oratione digna afferret. Agam igitur, si minus, ut volo optoque, certe ut possum.

Posteaquam de didascaliarum natura ab iis, qui auditione et fama aliquid accepisse, veraeque doctrinae expertes esse videbantur, multa erant temere et inconsiderate iactata, exortus est vir longe eruditissimus Graecarumque litterarum peritissimus, Casaubonus, qui quid de his statuendum sit, docte et diligenter explicaret [91]). Et profecto nil nisi eximium proficisci poterat e viri tanti scriptione. Incredibile igitur est dictu, quanto studio certatim omnes, qui post Casaubonum quaestionem tetigerunt, in eius doctrinae copia acquiescentes, re non iterum pensitata eius commentationem in partes vocaverint. A Menagio [92]) enim usque ad recentissimos harum rerum perscrutatores [93]) omnes Casauboni nomen repetere consueverunt. At tantum abest, ut rem ille totam confecerit, ut de rebus gravissimis ne

---

90) Ad Athen. VI, p. 235, e. VII, p. 260.

91) l. l. p. 259—262.

92) Menag. ad Diog. Laërt. V. §. 26. p. 196., qui si dicta aliorum repetit, quod saepissime facit; a quo profecerit, aperte semper profitetur.

93) Ut nonnullos commemorem, adi Fabricium Bibl. II, p. 288. Harl. Fr. A. Wolfium Prolegg. ad Hom. p. 103. Boeckhium de princip. p. 288. Boeckh. de Dionys. p. 96. Hermannum de Rhes. Opusc. III, p. 263 seqq. Nullum autem maius huius rei testimonium reperies, quam quod Schweighaeuserus ad Athen. III, p. 368 seqq. postquam Casauboni commentationem repetitam exhibuerat, nihil neque ipse addidit neque ut additum ab aliis commemoravit, sed Wolfium, et „quae is tam erudite ingenioseque quam breviter posuerit“ in partes vocavit, qui quidem nihil novi protulit, sed quod post Casaub. nemo eam rem indagarit questus est.

verbum quidem pronuntiaverit. Quare et Boeckhio, nostrae aetatis Casaubono, multa addere scitu necessaria licebat[94]), nobisque ipsis non exigua materia suppetit dicendi: rem autem ita aggredimur, ut ab ipsis initiis exordiamur.

Extat inter Aristotelis scripta, quorum iacturam dolemus, liber, *Διδασκαλίαι*[95]), sive *περὶ Διδασκαλιῶν*[96]) inscriptus, quem Ionsius temere recentiori cuidam grammatico Aristoteli nominato tribuit[97]). Is quam ob caussam fuerit confectus, qua adornatus ratione, quibus ex fontibus haustus, vix quisquam ex paucis posteriorum indiciis, quibus librum commemorant, non dico enucleare et excutere, sed coniectare potest et suspicari. Ac prima quidem, quae nobis instituenda est, quaestio paucis poterit absolvi. Etenim quum iam antiquitus Aristotelis libros quos edidit omnes, in ordines classesque retulerint; logicosque, physicos et quicunque praeterea in eodem argumento eademque caussa versantur, inter se coniunxerint: cui potissimum ordini classique liber, de quo loquimur, annumerari debeat, erit ostendendum. In Aristotelis enim libris, si quo in alio scriptore, iusta in ordines classesque distributio ut necessaria est, ita propter viri indolem naturamque non difficilis[98]). At praeterea, quod didascaliarum liber amissus non extat, in re exponenda ea de caussa valde impedimur, quia qui duo Aristotelicorum librorum ex Graecis fontibus ad nos perlati sunt indices ita sunt confecti, ut verum Andronici Rhodii ordinem non sequantur[99]). Nullis igitur veterum indiciis adiuti, coactique sola libelli fragmenta adire et perscrutari, operam dare coniecturis cogimur. Neque tamen incertum est, toto caelo errasse Lessingium, qui quo tempore praestantissimas de arte dramatica

[94]) Corp. Inscriptt. I, p. 350.

[95]) Diog. Laërt. V. §. 26. A plerisque citatur *Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς Διδασκαλίαις*, vel *ἐν Διδασκαλίαις*, vel *Διδασκαλίαις*.

[96]) Anon. ap. Menag. p. 202.

[97]) Cf. Script. Hist. philos. I, 11, 2, p. 63. ed. Dorn.

[98]) Cf. Kapp. in Museo Rhenano III, 1, p. 94.

[99]) Cf. Brandis Mus. Rhen. I, 4, 262. 3, 249.

commentationes scribere et edere sibi proposuisset, dubitaretque de libelli inscriptione eligenda, sese credidisse profitetur, Aristotelem in componendo hoc libro id potissimum spectasse, ut de poëtica fabularum virtute dissereret [100]). Ubi enim unum modo aut alterum locum, in quo commemoratur liber, inspexeris, omnia historicam prae se ferre indolem facile animadvertes. Frustra igitur irrisus a Lessingio Casaubonus, summo iure contenderat, Aristotelis diligentia imprimis esse veteres chronologos adiutos. Ratione autem haud dissimili Buhlius quoque mihi videtur in errores abiisse [1]). Is enim, Aristotelis libris in undecim classes distributis, non in nona, qua historicos libros comprehendit, didascalias recepit, sed tertiae aestheticorum, quos dixit, librorum classi adiecit. At quanquam didascaliae arcte cum libris de poëtis poëticaque arte compositis cohaerent [2]): tamen non sunt ab historicis seiungendae; ad quos condendos qui omnium rerum originem caussasque exquirere tentabat, sponte excitabatur. Quodsi igitur poëticae artis rationem habemus, libris adhaerebunt *Περὶ ποιητῶν*, *Πραγματεῖαι τέχνης ποιητικῆς*, *Ποιητικά*, *Περὶ τραγῳδιῶν*, aliterque inscriptis [3]). Sed si, quod maiore iure suscipimus, historici

---

100) Cf. Lessing. Hamburg. Dramat. II, p. 344 seqq. Ipse Lessingius, inter nostrates Aristoteli saepe comparatus, ut critica arte factitanda, ita rebus historicis exponendis maxime excelluit suamque animi sagacitatem ostendit.

1) Buhlius quid senserit, cognosci potest ex libro: Encyclop. der Wissensch. v. Ersch u. Gruber, V, p. 282. Nisi fallor, idem non satis vere totum hoc genus criticorum librorum ad Alexandri Magni institutionem rettulit.

2) In ipsis de arte poëtica libris, quae nostram aetatem tulerunt, multa didascaliarum scriptorem arguunt. Confer imprimis quae capite tertio et quinto de origine et progressu artis dramaticae dicuntur.

3) Omisi titulos incertos. Ita anonymus *Κύκλον περὶ ποιητῶν* commemorat, sive ex Menagii emendatione *Κύκλον ἢ περὶ ποιητῶν*, qua de re nihil in Laërtii indice reperitur. At ut tres libri nominantur, *Τέχνη ποιητική*, *Περὶ ποιητῶν*, *Ποιητικά*, ita citantur libri eius, *Περὶ τῶν Πυθαγορείων*, *Περὶ Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας*, *Πυθαγορικόν*. cf. Ions. Scr. Hist. phil. II, XI, 1. p. 62. eodemque modo, *Πολιτικόν*, *Περὶ πολιτικῆς*, *Πολιτεῖαι* et alii, ut hunc modum semper scriptor tenuisse videatur. Quo magis confirmatur, libris tribus *Περὶ ποιητῶν* amissis, duorum *Τέχνης ποιητικῆς* unum servatum ad

argumenti scripta conferimus, ut *Κτίσις* et *Πολιτείας* omittamus, inter se cohaerent *'Ολυμπιονῖκαι, Πυθιονῖκαι, Διδασκαλίαι*; nec inepte potes, librorum componendorum rationem secutus, collectiones parabolarum et pareemiarum his addere [4]).

Iam vero priusquam in negotio suscepto, de didascaliarum Aristotelis indole disquirendi pergamus: similium librorum naturam cognoscere eorumque ab ipso Casaubono iam instituta comparatione facta latius progredi, perquam et utile et necessarium esse credo; praesertim quum in nuperrimis de Aristotele scriptis libris de toto hoc genere nihil dictum reperiatur.

Si Diogenem Laërtium anonymumque de libris ab Aristotele scriptis disserentes audimus, quorum quum uterque eundem sit scriptorem secutus, anonymus tamen plenius et copiosius omnia recensuit [5]): uno libro athletas, qui in ludis Olympicis vicerant, nominaverat, vel ut Pausaniae verbis, ubi id ipsum a se institutum esse negavit, utar, *κατάλογον ἀθλητῶν, ὁπόσοις γεγόνασιν 'Ολυμπιακαὶ νῖκαι* [6]), composuerat. Neque tamen talis libri primus potest auctor, sed perfector tantummodo appellari: quippe a quo ipse anonymus Menaechmum, cuius de rebus Sicyoniorum et artificibus libros Athenaeus vidit [7]), victum et superatum perhibeat. Iam si vere quod de Lycurgo ex Aristotele Plutarchus protulit, ad hunc referimus librum [8]): Olympicis monumentis nixus [9]) singula quaeque ex-

---

nos pervenisse, quae erat G. I. Vossii verissima sententia, de artis poëticae natura et constitutione cap. V, §. 5, pag. 28 seq. Amstelod. 1647.

4) Propter paroemiarum collectionem a Cephisodoro reprehensus est, quod operae pretium non fecerit, cum eas colligeret, Athen. II, p. 60. addita Schweighaeuseri adnotatione, I, p. 406. *Κτίσεις* et *Πολιτείας* Plutarchus cum Herodoti Hellenicis, Xenophontisque Persicis coniungit, Non posse suaviter vivi sec. Epic. 1093, c.

5) Diog. Laërt. V, §. 26. „*'Ολυμπιονῖκαι α'*“, Anon. l. l. *'Ολυμπιονίκας βίβλους α', ἐν ᾧ Μέναιχμον ἐνίκησεν*“ pro qua scriptura Menagius recte coniicit, *βιβλίον α'*.

6) Pausan. VI, 1.

7) Athen. VI, 272, d. II, 65, a. Voss. de hist. Gr. I, p, 66,

8) Plut. Lyc. 1., assentientibus Menagio ad Diog. Laërt. et Ionsio Scr. Hist. phil. IV, p. 266. reque ipsa docente.

9) „*τεκμήριον προφέρων τὸν 'Ολυμπίασι δίσκον*“ ut recte haec ver-

posuerat. Quae quidem monumenta a Coroebo, omnium victorum maxime celebrato, accurate usque ad recentissima tempora descendisse victoresque omnes celebrasse videntur [10]). Ac praeter illa *γράμματα*, quibus Pausaniam usum esse cognovimus [11]), statuas victoribus positas, variaque *ἀναθήματα*, adhibere et omnia ex iis augere varieque digerere et illustrare potuit. Non potest dubium esse, quin Timaeus Siculus, imprimis Aristotelis libro adiutus, celeberrimam illam annos computandi rationem condiderit, cuius auctor omnium fere consensu nuncupatur [12]). Quanquam, si Plutarchi mentem recte assequor, Timaeus non solis Olympionicis usus est, sed simul ad regum Lacedaemoniorum annos res gestas revocavit et ita demum propius ad veritatem accessit [13]). Neque Eratosthenes, Apollodorus aliique,

---

ba scribenda esse censuit Schaeferus Animadvv. ad Plut. Vol. IV, p. 290. cf. Paus. El. V, c. 20.

10) Paus. El. VIII, 3. „*ἐξ οὗ γὰρ τὸ συνεχὲς ταῖς μνήμαις ἐπὶ ταῖς Ὀλυμπιάσιν ἐστι, δρόμου μὲν ἆθλα ἐτέθη πρῶτον καὶ Ἠλεῖος Κόροιβος*“ cett.

11) Cf., quos laudavit Barthelem. locos, Anachars. III, p. 413. ed. Biester., V, cap. 21.; VI, c. 13. Maxime mihi memoratu dignum videtur esse, quod a Plutarcho Num. 1. dictum repperi „*τοὺς μὲν οὖν χρόνους ἐξακριβῶσαι χαλεπόν ἐστι καὶ μάλιστα τοὺς ἐκ τῶν Ὀλυμπιονικῶν ἀναγομένους· ὧν τὴν ἀναγραφὴν ὀψέ φασιν Ἱππίαν ἐκδοῦναι τὸν Ἠλεῖον, ἀπ᾽ οὐδενὸς ὁρμώμενον ἀναγκαίου πρὸς πίστιν.*“ Frustra Meziriacum *Δήλιον* ex Eliensi homine fecisse, recte Reiskius I, 812. ostendit. Equidem nullam video caussam, quare de celebri Hippia Eleo non cogitem. Idcirco eum credo primum fuisse auctorem *Ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφῆς*, sed a posterioribus saepe correctum et reprehensum.

12) Polyb. XII, 12. „*ὁ τὰς συγκρίσεις ποιούμενος ἀνέκαθεν τῶν ἐφόρων πρὸς τοὺς βασιλεῖς τοὺς ἐν Λακεδαίμονι καὶ τοὺς ἄρχοντας τοὺς Ἀθήνησι καὶ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει παραβάλλων πρὸς τοὺς Ὀλυμπιονίκας*“ cett. Cf. Ideler Chronolog. I, p. 378. Timaeus tamen interdum Aristotelem conviciis insectatus est, Nic. c. 1.

13) Comparo enim inter se, quae de Lycurgi Numaeque temporibus ab Plutarcho dicta sunt. In Numae enim vita exponenda, quam incerta sit temporum supputatio ex Olympionicarum catalogis facta, ut vidimus, annotat. In Lycurgo Aristotelem, qui id ipsum fecisse solosque victores collegisse videtur, primo tangit loco, et post eum Eratosthenis, Apollodori Timaeique mentionem iniicit, ab his verbis exorsus, „*οἱ δὲ ταῖς διαδοχαῖς τῶν ἐν Σπάρτῃ βεβασιλευκότων ἀναλεγόμενοι τὸν χρόνον, ὥσπερ Ἐρατοσθένης καὶ Ἀπολλόδωρος*“, quae equidem laudem continere, ac Polybii cum verbis supra scriptis comparari debere credo. Quod Timaeus incepit, perfecerunt

qui quod Timaeus in se susceperat negotium suis comprobabant suffragiis in eademque via perrexerunt ire, ab usu Aristotelici libri abstinuerunt [14]. Quam ob rem quum postea magnus hominum numerus idem negotium aggressus sit, ac meliore adeo successu, aliis adiumentis additis, perfecerint [15]: Aristotelis librum cum aliis omnibus antiquioribus scriptis temporis decursu hominum manibus ereptum ac tandem prorsus omissum esse, nemo mirabitur. Monendum est tamen, minime Aristotelem cogitari posse, nil nisi nudum simplicemque conficere voluisse victorum catalogum; sed de singulis rebus historicis eum pluribus disputasse videri [16]. Sed satis de Olympionicis.

Alterum librum de Pythionicis ab Aristotele confectum ad sola censeo musica certamina pertinuisse, in quibus primae ac celebratissimae Delphis commissiones fiebant [17]. Sed praeterquam

---

imprimis Eratosthenes et Apollodorus. — Ceterum quum Reiskium videam p. 812. bene animadvertisse, Plutarchum de Numa dicentem ad ea, quae de Lycurgi aetate disputaverat, respicere ipsum: maxime miror, quomodo vir praestantissimus in Lycurgi vita vocem „ἀναλεγόμενοι“ intactam relinquere et in vita Numae „ἀναγραφομένους“ eius loco ponere, infelici coniectura, potuerit. At talia viri festinationi sunt adscribenda.

14) Suida teste, s. v. *Τίμαιος*, iam Timaeus, *Ὀλυμπιονίκας ἢ χρονικὰ* composuerat; in eoque ipso libro Olympiadum aeram fortasse docuerat: qua postea in libro „*κοιναὶ ἱστορίαι*“ inscripto usus est, cf. Ideler Chronol. I, p. 378. Post eum Eratosthenes pluribus libris de eodem argumento ita disputavit (primum enim librum *Ὀλυμπιονικῶν* laudat Athenaeus IV, 154, ω), ut Aristotelis testimonio uteretur. Aperte enim Laërtius Emped. VIII, §. 51. dicit „*μάρτυρι χρώμενος Ἀριστοτέλει*“, quanquam is ita loquitur, tanquam Olympiadum numerum ex eodem Aristotelis libro Eratosthenes hausisset. — Inter posteriores Pausaniam quoque Aristotelis libro usum esse credibile est. Nam ut de aliis taceam, Iphitum et Lycurgum eodem tempore vixisse, Aristotele auctore, Pausanias affirmavit, cf. Ideler Chronol. I, p. 373 seqq., qui quidem antiquitatis testimoniis, quibus Iphitum ad primam Olympiadem referunt, fortasse magis moveri debebat. Etenim praeter Clementem Alexandrinum idem et Pausanias credidit, VIII, 2, 3. et Plutarchus suo testimonio comprobavit, Lyc. 1., si recte quae de Aristotelis, Eratosthenis et Apollodori sententiis dixit, intelligo.

15) Omnes scriptores magna diligentia congessit Ionsius Scr. Hist. philosoph. IV, p. 266.

16) Id ea ipsa docent, quae Plutarchus in Lycurgi vita ex Aristotelis libro tradidit.

17) Diog. Laërt. § 22. „*Πυθιονῖκαι μουσικῆς α΄, Πυθικὸς α΄, Πυ-*

quod singulos victores recensuit, totam ludorum historiam exposuit: quod clarissime pauca indicia demonstrant, quae ex hoc libro a posterioribus commemorantur [18]). Quibus usus fuerit fontibus in hoc libro componendo, si minus scire, suspicari tamen inde possumus, quod *τὰ τῶν Δελφῶν ὑπομνήματα* citantur [19]) et plurima monumenta integre et incolume servata, multisque epigrammatis insignia extabant [20]). Praeterea hunc quoque librum non indicem solum fuisse, sed oratione perpetua explicata continuisse cuncta, apertum est. Multos habuit postea Aristoteles sectatores, inter quos si Pausaniam [21]) nomino, me non in errores incurrere et in reprehensionem virorum doctorum, persuasum habeo [22]).

Quibus quidem duobus libris quum quid efficere voluerit Aristoteles, perspiciamus [23]): inde, credo, multo magis, Les-

---

θιονικῶν ἔλεγχοι α΄." Plut. Sol. c. 11. „*Πυθιονικῶν ἀναγραφή*". Anon. p. 202. hunc librum omisit, sed eius loco commemoravit „*Ἐλέγχων σοφιστικῶν ἢ περὶ ἐριστικῶν νικῶν*", qui a Diogene § 22. „*περὶ ἐριστικῶν*" fortasse citantur. Mihi enim Fr. Patricio credendum non esse videtur, qui Discuss. Peripatt. I, p. 23. quod Laërtio non memorati essent aliisque de caussis Aristoteli hos libros temere abiudicavit, cf. Fabric. Bibl. Gr. III, VI, p. 116. Tamen, comparata inscriptione, qua Plutarchus utitur, totum illum titulum ex errore librariorum natum esse suspicor, ita ut in Laërtii libro legendum sit „*περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων*" pro „*Πυθιονικῶν ἔλεγχοι.*" Distractos enim esse saepe titulos, et male dispositos in utroque indice, nemini non patet, cf. Buhle Gesch. der Philosoph. II, p. 319 seq. Contra quae ab anonymo abest inscriptio, *Πυθιονῖκαι*, nisi ab ipso omissa auctore, librariorum culpa excidere potuit. Quod apud Laërtium *α΄* legitur, ubi *β΄*, vel *α΄*, *β΄* necessarium erat, in tantis scripturae corruptelis neminem offendet.

18) Cf. Plut. Sol. c. 11.

19) A Plut. l. l.

20) Cf., quae Pausanias congessit in Phocicis, l. X.

21) Cf. Paus. X, 7, 2 seqq. qui ipse *ἀθλητὰς καὶ ἀγωνιστὰς μουσικῆς* discernit, IX, 1.

22) Praeterea Diog. Laërtius titulum affert „*Νῖκαι Διονυσιακαί*", quem huc trahere coacti essemus, nisi aliam eius loco inscriptionem anonymus haberet „*Διονυσιακῶν ἀστικῶν καὶ ληναίων προοιμίων*" quae ab hoc conatu nos facile retinet. — Id unum addere lubet, *ἀναγραφὴν Πυθιονικῶν* saepe commemorari, ut nescias, utrum Aristotelis liber, an alius cuiusdam nominetur; cf. Plut. de mus. p. 1132, E. 1134, A.

23) In quem usum hos ipse indices adhibuit Aristoteles, ex Politicis

singitum de didascaliarum indole disserentem a veritate aberrasse, cognoscimus. Ad eum igitur iam librum transimus, quaeque eius natura fuerit, indagamus.

XII.

Ex didascaliarum inscriptione, nisi aliunde non obscura rei indicia accepissemus, vix posset libri ratio ita intelligi, ut certa pronuntiare sine temeritate aliquis audere possit. Excusare igitur, non reprehendere debemus, qui *de doctrinis* Aristotelem scripsisse opinati, in ridiculos delapsi sunt errores. Iam vero omnibus constat, Aristotelem solenni Atticis sensu hoc vocabulum accepisse. Ut enim Latini, Graecos, ut solent, seculi, *docere fabulam*, ita Graeci ipsi *διδάσκειν δρᾶμα* dixerunt, nisi quod Graecorum dicendi ratio latius patet. Scimus enim, in omnibus musicis certaminibus, quicunque a chorago deligebantur, ut in scenam producerentur chorosque efficerent, a magistris esse doctos et eruditos. Propterea igitur *διδάσκειν χορόν*, *διδάσκαλος χοροῦ*, sive *χοροδιδάσκαλος*, *χορῶν διδασκαλίας ἔμπειρος* dicitur magister, *χοροῦ διδασκαλία* eius ars et officium [24]. Quo enim modo in scholis pueri, eodem chori

VIII, 4. intelligitur optime, ubi quoniam duo vel tres tantum inter eos, qui Olympiae vicerunt, memorantur, qui adolescentia simul, ac virili aetate consecuti sint victoriam, inde de puerorum institutione in arte gymnastica verissima quaedam pronuntiavit.

[24]) Quotquot veterum scriptorum evolvimus, undique obvii sunt nobis, qui hanc loquendi rationem confirment loci. Ap. Aristoph. Acharn. 603. „*ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστηκεν τρυγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν*“ chorum ducentem audimus, Xenoph. Apomn. III, 5, § 18. „*εὐτάκτως δ' ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσι πείθονται τοῖς ἐπιστάταις, οὐδενῶν δὲ καταδεέστερον ἐν τοῖς χοροῖς* (scribendum suspicor *χορικοῖς*, cf. III, 4, § 5.) *ὑπηρετοῦσι τοῖς διδασκάλοις*“, (ubi animadvertenda est comparatio cum paedotribis instituta, et cf. § 21.) cf. III, 4, 8. ed. Ern. ad eum locum, cuius verba Schneiderus repetiit. Idem efficiunt quos locos Valesius ad Harpocrat. collegit pag. 86. (II, p. 294. ed. Lips.) „*Τηλεφάνης ὁ αὐλητὴς — αὐτὸς συγκροτεῖν καὶ διδάσκειν ᾤετο δεῖν τὸν χορὸν — ἀλλ' ἀδίδακτος ἂν εἰσῆλθεν ὁ χορός*“ ubi, quod dicitur *συγκροτεῖν* in Bekk. Anecd. de ipso chorago usurpatur, I, 72, 17. His addi potest, quod de se ipso Simonides praedicavit, Anthol. Gr. I, p. 69. (LI, 8.) „*ἱμερόεντα διδαξάμενος χορὸν ἀνδρῶν*“; ib. LII, 6. „*ἀμφὶ διδασκαλίᾳ δὲ Σι-*

varii generis, qui certarent, in loco a chorago delecto instituti sunt [25]). In poëticis igitur certaminibus, ut saltationem cum iis coniunctam docebantur, ita non scripta legebant carmina, sed audita memoriae vi retinere, recitare aut canere ex artis legibus choreutae discebant [26]). Ac plerumque ipse poëta chori magister erat. Hinc factum est, ut *διδάσκειν* et *ποιεῖν* carmina, ut fabularum *διδασκάλους* et *ποιητάς*, promiscue, utut quemque sua trahebat voluntas, omnes dicere possent [27]). De-

---

μωνίδῃ ἕσπετο κῦδος", quorum priore loco significare videtur, non ipsum, sed eius loco alium quendam docuisse. Cf. Wolf. Prolegg. ad Hom. p. CIII seqq. Thiersch Prolegg. ad Pindar. p. 109 seqq.

25) Nomina prorsus eadem usurpantur. Heins. not. ad Hor. 157. *διδασκάλων* nomen inde repetit, quod pueros multa ad vitam utilia docerent. Contra virorum sunt praeceptores poëtae, cf. Aristoph. Ran. 1052. „*τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν ἔστι διδάσκαλος, ὅστις φράζει, τοῖσιν δ' ἡβῶσι ποιηταί.*"

26) Quae schol. ad Dionys. Thr. gramm. ap. Villois. Anecd. II, p. 182. dixit „*τότε γὰρ οὐ γραφῇ παρεδίδοντο, ἀλλὰ μόνῃ διδασκαλίᾳ, ὡς ἂν μνήμονι φυλάττοιντο* κ. τ. λ. ap. Wolf. Prolegg. ad Hom. pag. LXXVIII; ea ad chororum quoque *διδασκαλίαν* trahenda esse videntur. Apud alium grammaticum, Bekk. Anecd. p. 746, 30. „*ἕκαστος οὖν ὁ ποιητὴς τραγικὸς καὶ κωμικὸς εἶχε τούτους προεκμανθάνοντας τὰ ἑαυτοῦ.*" Hac ratione Simo loquitur, Anthol. Gr. I, p. 69. LII, 4. „*ἐχορήγει — ἀνδρῶν καλὰ μαθόντι χορῷ.*" Latine Horatius Carm. II, 19. „Bacchum in remotis rupibus Vidi docentem Nymphasque discentes." Adde Wolfium et Thierschium, quorum dicta supra citavimus.

27) Magna est et veterum scriptorum et grammaticorum, qui horum loquendi usum explicare student, multitudo, quam in partes vocare licet. Harpocrat. *περὶ τῶν λέξεων*, s. v. *διδάσκαλος*: „*ἰδίως διδασκάλους λέγουσι τοὺς ποιητὰς τῶν διθυράμβων ἢ τῶν κωμῳδιῶν ἢ τῶν τραγῳδιῶν, Ἀντιφῶν —. πολὺ δέ ἐστιν κἀν τῇ ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ τοὔνομα ἐπὶ τούτου τοῦ σημαινομένου*", quibus ex verbis oratores veteresque poëtas comicos ita locutos esse discimus. Qua ex re merito colligimus, in communi vita Atticos hunc loquendi modum tenuisse. Apud Aristophanem hunc usum repperi in Ranis, ubi quum 1019. *ποιήσας* dixisset, paullo post 1024. *διδάξας* adhibuit; Plut. 797. „*οὐ γὰρ πρεπῶδές ἐστι τῷ διδασκάλῳ.*" Eccles. 809. „*χοροδιδάσκαλος*", Pac. 795. „*διθυραμβοδιδάσκαλος.*" Ib. 718. „*κωμῳδοποιητής*" mutatum paullo post 721. cum voce „*κωμῳδοδιδάσκαλος.*" Adde Equitt. 505. Ita in Thesmoph. Agatho v. 30. *ὁ τραγῳδοποιός*, v. 88. *ὁ τραγῳδοδιδάσκαλος* dicitur. Denique eodem modo *κωμῳδοδιδασκαλίαν* Equitt. 574. *χαλεπώτατον ἔργον ἁπάντων* poëta appellavit. (Simul apparet, si quae disputavimus vera sunt, *ι* omitti potuisse in his vocibus *τραγῳδοποιός, κωμῳδοποιητής*, quanquam non de comoedis, sed de comoediis sermo est, quod per se non improbabile esse credo.) Possem, si utile esset, locorum magnum cumulum addere.

inde quoniam, antequam publice canerentur aut in scenam producerentur carmina, illa διδασκαλία semper antecederet, ipsa carminum publica recitatio et fabulae commissio eo nomine est significata[28]); χοροδιδάσκαλοι autem, quia fabulae pars primaria et origo fuerat chorus, omnes nominari poterant, qui si singula cuiusque munia indicantur, nuncupantur κυκλιοδιδάσκαλοι, sive διθυραμβοδιδάσκαλοι, κωμῳδοδιδάσκαλοι, τραγῳδοδιδάσκαλοι.

Iam si „διδασκαλία" vocis plurali numero utimur, non possumus quidquam praeter et fabularum commissiones vel actiones designare[29]) et carminum aliorum publicas recitationes; ut libri inscriptio in Latinam linguam hoc fere modo transferenda esse videatur: „de carminum publice factis in certamen commissionibus." Nihil enim obstat, quo minus utramque inscriptionem, ab anonymo et Diogene Laërtio traditam, admittamus[30]).

---

[28]) Huc plura possunt exempla trahi, quae antecedente nota attulimus. Imprimis autem memorabile est, quod Athenaeus ait, I, 20, f. „καὶ τὸν Θάμυριν διδάσκων, αὐτὸς ἐκιθάριζεν· ἄκρως δ' ἐσφαίριζεν ὅτε τὴν Ναυσικάαν ἔθηκε", quia aperte διδάσκειν et τιθέναι committere in certamen eadem notione usurpantur. Neque aliter loquitur argumenti scriptor ad Aristoph. Avv. „Ἐπὶ Χαβρίου τὸ δρᾶμα καθῆκεν εἰς ἄστυ — εἰς δὲ Λήναια τὸν Ἀμφιάραον ἐδίδαξε." Utrumque enim adhiberi solet, et κατατιθέναι, et τιθέναι simpliciter. Quare Casaubonus sine necessitate mutare voluit τιθέναι, ad Athen. p. 32 et 260. Cf. Schol. Plat. p. 330, ed. Bekk. et Dind. de fragm. p. 166, qui Meinekii correctionem profert, sed non probare videtur.

[29]) Ita schol. ad Ran. 1026. „διό τινες διττὰς θέσεις (τουτέστι διδασκαλίας) τῶν Περσῶν φασι καὶ τὴν μίαν μὴ φέρεσθαι." Similiter paullo ante ad v. 1024. „τὸ δὲ εἶτα καὶ τὸ μετὰ τοῦτο οὐ θέλουσιν ἀκούειν πρὸς τὰς διδασκαλίας, ἀλλ'" etc. Extat inter Ἀδέσποτα in Anthol. Iacobs. edita, carmen elegantissimum, IV, p. 282, DCCXLIV, scriptum in pantomimum peritissimum, in quo haec leguntur verba:

κοσμήσας πᾶσαν θυμέλην διδαχαῖς πολυδόξοις,

quae Iacobsius XII, p. 332, quo sensu auctor acceperit, sibi non constare profitetur. „Malim tamen", ait, „de eruditione et arte accipere, quam ille in scena exhibens laudem apud omnes adeptus est." Equidem credo, διδαχὰς esse appellatas, quae alibi διδασκαλίαι appellantur.

[30]) Boeckhius Corp. Inscr. I, p. 350. „Deinde Carystius Pergamenus non διδασκαλίας quidem, sed περὶ διδασκαλιῶν scripsit." Vereor equidem, ne non recte discrimen inter utramque inscriptionem statuatur. Quanquam anonymus solus suam inscriptionis formam tuetur, quum ubique ἐν ταῖς διδασκαλίαις reperiatur. Ac me quidem,

Quae quum ita sint, magna huius inscriptionis brevitas unicuique erit mira, quae neque ad quod carminum genus liber pertineat, neque ad quam urbem auctor oculos mentemque converterit, aperte docet. Quare quo melius de libri ratione iudicare possim, quae ex eo fragmenta supersunt mihique innotuerunt, apponam. Apud scholiastas ad Aristophanis fabulas haec fere repperi: Ad Aves 281: „εἴη ἂν οὖν τὸν ἔποπα ἐσκευοποιηκὼς τῇ Πανδιονίδι τετραλογίᾳ, ἣν καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς Διδασκαλίαις ἀναγράφει." Ib. 1379: „Δίδυμος μὲν κύκλον, ἐπεὶ κυκλίων ποιητής ἐστι — ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς Διδασκαλίαις δύο φησὶ γεγονέναι" (Κινησίας). Quibus adiungendum opinatur Casaubonus [31]), quod ad Ran. 404, libri nomine omisso, legitur „ἐπὶ γοῦν τοῦ Καλλίου τούτου φησὶν Ἀριστοτέλης ὅτι σύνδυο ἔδοξε χορηγοῖν τὰ Διονύσια τοῖς τραγῳδοῖς καὶ κωμῳδοῖς." Ac non sine iusta caussa eam coniecturam proposuisse videtur, ut facile assensionem nostram ferat. Ratione autem alia adhibita, posteriores critici, Aristotelis nomine omisso, eius libri inscriptionem posuerunt solam. Id luce solis clarius ex Argum. ad Pacem fabulam scripto apparet; in quo haec legimus „Ἐρατοσθένης δέ φησι, Καλλίμαχον ἐγκαλεῖν ταῖς διδασκαλίαις, ὅτι φέρουσιν ὕστερον τρίτῳ ἔτει τὸν Μαρικᾶν τῶν Νεφελῶν, σαφῶς ἐνταῦθα εἰρημένον, ὅτι πρότερον καθεῖται. Λανθάνει δ' αὐτόν, φησίν,

---

si vere ad hunc librum Plutarchus respicit loco postea laudando, is maxime movet, qui „οἱ περὶ χορῶν λόγοι καὶ διδασκαλίαι" coniunxit.

31) Casauboni sententiam amplectitur Ionsius l. l. p. 64, sed addit „nisi forte ex libro Aristotelis νικῶν Διονυσιακῶν petita, vel hic liber potius pars διδασκαλιῶν fuit." Nos quid de hoc libro sentiamus, iam supra significavimus. Sed quod partem credit libri ita nominari potuisse, in ea re Casauboni auctoritate deceptus est, qui etiam sub titulo Κωμικῶν idem opus laudatum putabat. In Erotiani Glossario enim in Hippocratem scripto, qui alio loco Aristophanem cum Eupolide mutavit et hac ratione suam in citandis libris probavit negligentiam, cf. Dind. fragm. Arist. p. 6, reperiuntur p. 176 (ed. Franz.) haec verba „ὡς μαρτυρεῖ Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς Κωμικοῖς", pro qua voce Stephanus κυκλικοῖς reponebat. Quum de Herculeo morbo ibi sermo sit, in didascaliis non posse Aristotelem de ea re locutum esse, me tacente intelligitur. Num melius scribitur: Ἀριστοφάνης ἐν τοῖς — ὁ Κωμικός, cf. p. 88. De Herculis ira Aristophanes locutus est Vespp. 1030. Pac. 736.

ὅτι ἐν μὲν ταῖς διδαχθείσαις οὐδὲν τοιοῦτον εἴρηκεν, ἐν δὲ ταῖς ὕστερον διασκευασθείσαις εἰ λέγεται, οὐδὲν ἄτοπον· αἱ διδασκαλίαι δὲ δῆλον ὅτι τὰς διδαχθείσας φέρουσι." Nam neque de vetustis monumentis ipsis, si quae fontium loco Aristoteles ad librum condendum adhibuerat, illi Alexandrini loqui poterant; neque ullum est vestigium, ex quo colligere liceret, ante Callimachum et Eratosthenem quenquam similem librum composuisse. At huius opinionis meae veritas postea dicendis etiam magis elucebit. Quare non ineptum, credo, erit, aliorum quoque huc trahere locos, quibus αἱ διδασκαλίαι simpliciter commemorantur. Schol. ad Aristoph. Ran. 1155: „τετραλογίαν φέρουσι τὴν Ὀρεστείαν αἱ διδασκαλίαι, Ἀγαμέμνονα, Χοηφόρους, Εὐμενίδας, Πρωτέα σατυρικόν". Ib. 1122: „φέρεται ἐν ταῖς διδασκαλίαις καὶ ἑτέραν δεδιδαχὼς Εἰρήνην ὁμοίως ὁ Ἀριστοφάνης. ἄδηλον οὖν φησιν Ἐρατοσθένης, πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν ἢ ἑτέραν καθῆκεν, ἥτις οὐ σώζεται". Ad Vespp. 1080: „δηλοῖ ὅτι αἱ διδασκαλίαι ἴσως φέρουσι τοὺς Ἱππεῖς πρώτους ὑπ' αὐτοῦ καθιεμένους [32]).

Praeter grammaticos, qui ad Aristophanis comoedias explicandas libri mentionem iniecerunt, alii scriptores nonnulla fragmenta servarunt. Schol. Plat. ap. Bekk. p. 330: „ᾧ ἔτει οἱ Πελαργοὶ ἐδιδάσκοντο, καὶ ὁ Μέλητος Οἰδιπόδειαν ἔθηκεν, ὡς Ἀριστοτέλης Διδασκαλίαις." Suid. s. v. Ὄνου σκιά: Ἀριστοτέλης ἐν Διδασκαλίαις καὶ δράματός τινος φέρει ἐπιγραφὴν ὄνου σκιάν." Harpocrat. s. v. διδάσκαλος: „Ὅτι γὰρ ὁ Πενταχλῆς ποιητής, δεδήλωκεν Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς Διδασκαλίαις." Ac si recte antea disputavimus, cum Ionsio huc trahere licet, quod s. v. Σθένελος idem pronuntiavit „καὶ ἐν ταῖς Διδασκαλίαις εὑρίσκεται ὁ Σθένελος τραγῳδίας ποιητής." Postremo eundem Aristotelis librum a Plutarcho subindicatum opinatur Ionsius his verbis dictis „ὡς Ἀριστοτέλην καὶ Θεόφραστον καὶ Ἱερώνυμον καὶ Δικαίαρχον οἱ περὶ

---

32) Adverte vocem ἴσως. Quid? si non potuisset ipse librum inspicere, inde ad coniecturam faciendam coactus? Certe multos videmus in immanes incidere errores, qui libro Aristotelico inspecto facillime evitabantur, cf. Meineke Q. Sc. I, 42, Wex ad Antig. p. 7. Dind. de Aristoph. fragm. p. 69. Quare non male Boeckhius Inscriptt. p. 350. suspicatur, ea quae de superstitibus tragicis et Aristophane didascalica supersunt, magna ex parte Aristophanis Byzantii commentariis deberi.

χορῶν λόγοι καὶ διδασκαλίαι καὶ τὰ δι᾽ αὐλῶν προβλήματα καὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν" [33]). Non posse suaviter vivi sec. Epicur. p. 1096, A.

Ex his didascaliarum fragmentis intelligimus primo non ad solos dramaticos, sed ad melicos etiam poëtas Aristotelicum librum pertinuisse; quod ipsa inscriptio docere poterat, nullus autem recentiorum confessus est. Nam neque de Pentacle [34]), neque de Cinesia [35]) dubitavit quisquam, utrum melicis, an dramaticis poëtis adnumerari debeant. Sed iam veteres videntur, quoniam, ut recte Casaubonus dicit, in Comicorum lectione maximam eruditionis partem ponebant, et ex Comicorum fabulis, quae in Republica gesta erant, singulorumque civium vitam et mores, optime cognosci posse sciebant, didascaliis magis usi esse propter comicorum poëtarum aetatem singularumque fabularum tempora, quam propter tragicos et melicos. Deinde non omnes διδασκάλους omnium gentium temporumque notasse, sed Athenienses tantummodo, inde apparere videtur, quod in fragmentis nulli praeterea poëtae citantur [36]). Quae quidem res quanquam minoris est momenti, ubi de tragicis comicisque sermo instituitur poëtis: profecto scitu est dignissima, quia melicorum poëtarum numerus, qui inter reliquos Graecos floruerunt, maximus fuit. Sicut igitur in Olympionicis et Pythionicis recensendis unum locum, ita in poëtis eorumque carminibus indicandis solas Athenas contemplatus est.

Iam si indolem libri ipsam accuratius persequimur, ex fragmentis perspicitur, servato annorum ordine Aristotelem sin-

---

[33]) Cf. Ions. p. 63. Is ita verba in Latinam linguam transtulit „sermones de choris et poëtarum dramatum historia"; Xylander „disputationes et doctrinae de choris." Fortasse scribendum „οἱ περὶ χορῶν λόγοι καὶ διδασκαλιῶν."

[34]) Cf. Oratt. Gr. XI, p. 767, ed. Reisk. Quod Valesius ad Harpocrationem suspicatur, esse eundem, qui apud Aristophanem Pentacles nominatur, incertum est et improbabile.

[35]) Quaecunque ab Aristophane eiusque scholiastis et interpretibus dicta sunt, id docent; cf. Avv. 1378, Ran. 153, 1433. Eccles. 330.

[36]) Falso igitur Ionsius l. l. locum Procli ap. Phot. de Arione aut incerte saltem ad nostrum librum revocavit, quem equidem ad illum de poëtis librum referre me posse puto.

gula recensuisse, poëtarum ordinis nulla ratione habita [37]). Id quum per se sit perquam probabile, nunc inde colligimus, quod Platonis scholiasta ex Aristotelis didascaliis docet, Aristophanis *Πελαργούς* et Meleti *Οἰδιπόδειαν* uno eodemque anno esse commissas. Quoque igitur anno, qui poëtae diversis diebus festis certassent, quaeque poëmata in certamen commisissent ac, nisi fallor, tragicis, comicis, melicisque poëtis quoque anno coacervatis, scriptum erat in Aristotelis libro [38]). Tum totus liber quum in indicis formam confectus esse videatur, quia verbis *ἀναγράφει*, *φέρει* similibusque utuntur, qui fragmenta servarunt: tamen ex aliis discimus, suo modo philosophum singula quaeque exposuisse, additis aliis quibusdam adnotationibus. Pentaclem enim poëtam fuisse, id Harpocratio ex Aristotelis didascaliis compererat: quis autem et qualis fuerit, unde oriundus, qua arte conspicuus, eius rei illic ne minimum quidem vestigium apparuit. Contra duo esse Cinesias dixerat (*φησί*) duoque choregos fuisse electos tradiderat; eiusque liber a Callimacho reprehendi poterat [39]). Quaeri potest praeterea, utrum choregos simul notaverit. Equidem id factum esse vix crediderim, quum, licet certo sciamus, quid de duobus choregis dixerit, poëtas designatos esse a multis, apud Plutarchum auctor fuerit Panaetius [40]); de choregis idem ad monumenta provocaverit, non ad libros. Histrionum autem notatorum in fragmentis nullum signum conspicitur; quanquam didascalica, quae de Aristophane aliisque poëtis supersunt, id probare videntur [41]).

---

37) Id summo iure Boeckhius contra Odericum probavit, Corp. Inscr. p. 351, quanquam is non de solo Aristotelis libro exposuit.

38) Quod igitur Casaubonus Ionsiusque voluerant, Aristotelis librum ita citari potuisse, ut singulae partes *περὶ κωμικῶν*, vel *περὶ τραγικῶν* commemorarentur, id parum est verisimile.

39) Idem antea docuimus, in athletarum indicibus conficiendis factum esse.

40) Locus is est memoratu dignissimus, in Aristidis vita cap. I., de quo postea plura dicenda erunt.

41) Interdum enim, ut in argum. Pacis, nuper demum reperto, nominatur histrio. Atque id quidem ab Aristotelis consilio non abhorret, quum histrionum ars apud Athenienses maxime celebrata fuerit, at-

Praeterea in singulis poëmatibus enarrandis, quae poëtae in certamen commiserunt, utrum ea edita fuerint, an non edita; utrum ad posteriorem aetatem translata, an iam diu amissa, omnino non curavit. Nam doctas, non editas fabulas nominatas fuisse in didascaliis, ut luculento Eratosthenis testimonio edocti compertum habemus, ita ex ipso libri nomine per se patet. Quodsi igitur grammatici animadvertunt, Rhesum fabulam ut genuinam in didascaliis commemorari: inde nihil sequitur, nisi Rhesum fabulam quandam esse ab Euripide profectam [42]). Quod posteriores fecerunt, ut primos singularum fabularum versus enotarent [43]), id ab Aristotele non susceptum esse, scimus [44]). Eratosthenes enim quum duas ab Aristophane Pacis editiones esse factas ex didascaliis didicisset, utrum eadem iterum commissa, an nova fabula ab Aristophane edita fuerit, dubitavit. Neque id fieri potuisse credo illo tempore, quo primum libri maiore studio collecti bibliothecaeque comparatae sunt [45]). Ac tum demum erat necessarium, quum docti

---

que interdum adeo poëtarum gloriam obscuraverit, Aristot. Rhet. III, 1.

[42]) Si non nefas habetur, in re cuius caussa inter Hermannum et Boeckhium est magna concertatio coorta, sententiam dicere: profecto confitendum est, eam non posse concedi sententiam Boeckhio, minorem Euripidem auctorem fuisse. Refragatur enim vehementer Crates, qui ab Euripide adolescente Rhesum esse in scenam productam asserit, cf. Herm. Opusc. III, p. 266.

[43]) Cf. Athen. VI, 244, A. Ions. Scr. Hist. phil. II, 5, 7. (p. 162, ed. Dorn.) Casaub. ad Athen. VI, cap. VIII, p. 269.

[44]) Recte igitur Hermannus disputavit in Dissertatione de Rheso, p. 264 seqq. didascaliarum testimonio nihil constare, nisi Euripidem tragoediam docuisse, cui nomen esset Rheso; quam hodie habemus tragoediam Rhesum, utrum illa sit, de qua scriptum fuit in didascaliis, nec ne, incertissimum esse.

[45]) De Aristotele Strabo l. XIII, „πρῶτος ὧν ἴσμεν συναγαγὼν βιβλία καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν." Schoellius igitur suo iure adeo bibliopolis quodammodo Aristotelem accensendum esse, perhibet Hist. de letter. Grecq. III, p. 279. Cf. Pollux IX, 1, 47. Intpp. Aristoteles autem libris colligendis quum operam daret, erat incertus, utrum quae ipse nondum reppererat scripta aut a se ipso postea, aut ab alio quondam invenirentur. Utrum igitur superessent an amissa forent, Aristoteles non disquisivit. Boeckhius autem summo iure ex ipsis his verbis „αὗται μόναι σώζονται" conclusit, Oderici monumenta non esse didascalica.

viri, his indicibus adiuti, priscis scriptoribus suos libros adscribere, ac fallere homines librorum colligendorum cupidos incepissent. Eius autem fraudis initia inter Aristotelem et Callimachum ponenda esse, nemo infitiabitur [46]).

Accedimus ad gravissimam, de Aristotelici libri auctoritate suscipiendam quaestionem, quae non potest rite, nisi fontibus perspectis, absolvi. Quae quidem quaestio a Casaubono, Ionsio reliquisque eorum sectatoribus praetermissa, nostra demum aetate primum ab Hermanno [47]) Boeckhioque [48]) tacta et incepta, nuper a Boeckhio, ab ipsis inscriptionibus provocato, fere perfecta [49]), quantum id in hac librorum strage parvaque inscriptionum copia nostrati licebat. Didicimus igitur, Casaubonum, qui nihil certi de fontibus pronuntiavit, si didascaliarum editores sua cura tempora inquisivisse credidit, in errore versari. Didicimus deinde, Hermannum vere testimoniorum fide tempora fabularum adnotata esse ab Aristotele censuisse, sed minus recte ad probabilia argumenta, quibus homines docti confisi fuerint, provocasse. Quid enim ratiocinando opus est, ubi monumenta res omnes declarant accuratissime? Tum Boeckhio auctore constat, marmoream didascaliam in Urbe repertam, quam esse putavit Odericus [50]) inscriptionem ex doctorum libris compositam et a Romano homine confectam, ut imaginibus poëtarum apponeretur. Denique verissime censuit Boeckhius [51]), aliud illud fragmentum, Athenis repertum et ex Fourmonti schedis editum, multo magis vetustaram didascaliarum indiciis

---

46) Coniicio equidem, didascalias Aristotelis similesque libros eo tempore, quo summo studio quisque librorum copiam sibi comparabat eaque laude Ptolemaei Attalique reges imprimis florebant, fabulis veterum scriptorum nomine edendis vulgandisque ansam dedisse. A Callimacho igitur ars incipit, vera a falsis et suppositiciis discernendi. Rhesus fabula, si vere non est Euripidis, sed alius cuiusdam hominis, ut censet Hermannus, hoc tempore esset confecta; cf. Valck. de Aristot. Iud. p. 7.

47) Herm. Opusc. III, p. 266 seqq.

48) Boeckh. de Dionys. p. 86.

49) Corp. Inscriptt. I, p. 349 seqq.

50) Odericus in libello de marmorea didascalia in Urbe reperta ad Caietanum Marinium p. LXVII. Boeckh. . l.

51) Boeckh. l. l. p. 351.

ad nos perlatis convenire. Erat igitur ex Boeckhii maxime probabili sententia liber Aristotelis ex monumentorum collectione, illis ipsis temporibus, quibus poëtae docuerunt, confectorum orta. Ac similiter Olympionicarum et Pythionicarum indices esse ab eodem viro conditos, iamiam intelligimus.

Notum est, ut Fr. Aug. Wolfii oratione utar [52]), Athenienses, quibus nulla unquam gens gratius feliciusque virilem gravitatem cum ludorum iuvenilium hilaritate coniunxit, per omne florentis Reipublicae tempus spectaculis et magnificentiae fuisse deditos. Sed res ex primis aetatibus populi ducta, servata eo constantius et studiosius est, quod partem religionum continere videbatur. Quo quidem in studio Athenienses eo magis excellebant, quo maior omnem eorum agendi rationem honoris gloriaeque cupido regebat [53]). Hinc igitur factum est, ut ad onerosa choregorum munera multi parati essent, opesque profunderent suas, ut honore et gloria nomen suum ornarent [54]); hinc ut poëtarum maximus esset proventus, qui undique advolantes festis diebus victorias deportare studebant [55]); hinc denique multimodis quisque suum nomen posteris tradere celebrandum cupiebat [56]). Quamobrem monumentorum copiam, quibus singulae et poetarum et choregorum, et histrionum victoriae decorabantur, magnam ortam esse, nemo mirabitur. Ea qualia fuerint, paucis exponere lubet.

In omnibus musicis certaminibus quum choregi maximis sumptibus, quae choris instruendis necessaria erant, coacti essent afferre, summo studio victoriam deporatre voluerunt. Victores autem tripodes accipiebant praemio eosque inscriptionibus ornatos aediculaeque impositos dedicare solebant, et in

---

52) Wolf. Prolegg. ad Leptin. p. LXXXIX.

53) Cf. Xenoph. Apomn. III, 3, 13. „Ἀλλὰ μὴν οὔτε εὐφωνίᾳ τοσοῦτον διαφέρουσιν Ἀθηναῖοι τῶν ἄλλων, οὔτε σωμάτων μεγέθει καὶ ῥώμῃ ὅσον φιλοτιμίᾳ, ἥπερ μάλιστα παροξύνει πρὸς τὰ καλὰ καὶ ἔντιμα.“ Adde III, 5, 3. Aristot. Ethic. Nicom. IV, 5.

54) Wolf. ad Dem. Leptin. Prolegg. p. CXIX, Boeckh. Staatshaush. I, 487 seqq.

55) Aristoph. Ran. 92 seqq.

56) Plutarch. Them. c. V.

Dionysi templo collocare [57]); cui rei rursus magna pecuniae summa impendi debebat [58]). Credi potest, sensim monumentorum tantam processisse copiam, ut unum illud templum ea non comprehenderet omnia [59]). Ac profecto videntur a Persicis certe bellis continuo ordine si minus omnium, plurimorum certe victorum nomina posteritatis prodidisse memoriae [60]). Neque choregi solum nomen iis erat inscriptum, sed simul tribus, pro qua in certamen ille descenderat, et poëtae, quo usus fuerat, et archontis nomen, quo regnante chorus prodierat, aliaque similia addita reperiebantur [61]). Eademque sine dubio horum monumentorum erat ratio in certaminibus melicis, tragicis et comicis. Quanquam in his dubitatio superest, utrum ad comicos quoque poëtas antiquissima aetate — de posteriore enim constat tempore — choregici tripodes pertinuerint, nec ne. Equidem credo, quamdiu comoediarum commissio nulla civitatis auctoritate adiuta fuerit, non potuisse neque de tripodibus, neque de aliis cogitari monumentis [62]). Hinc explicamus igitur, Aristotele auctore,

---

57) Boeckh. Corp. Inscriptt. I, p. 342 seqq.

58) Boeckh. ib. — Ita Harpocr. s. v. Ὀνήτωρ „Αἰσχραῖος ἀνέθηκε τὸν — τρίποδα καταργυρώσας.“ Ita in Lysia, ἀπολογ. δωροδοκ. haec leguntur „καὶ ἀνήλωσα σὺν τῇ τοῦ τρίποδος ἀναθέσει“ cett.

59) Boeckh. Inscriptt. l. l.

60) Id ex Plut. Aristid. c. 1. intelligo, qui Panaetii haec verba affert „ἀπὸ γὰρ τῶν Περσικῶν εἰς τὴν τελευτὴν τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου δύο μόνους Ἀριστείδας ἀναγράφεσθαι νικῶντας.“

61) Boeckhius tamen p. 342, n. 211. inscriptionem protulit, sine archontis nomine, eamque formam recte esse dixit interdum adhibitam. Quod si additum fuisset archontis nomen, Demetrius non potuisset in errorem incidere.

62) Quae enim Aristoteles Poët. V, 3. tradidit „ἡ δὲ κωμῳδία διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς ἔλαθε. καὶ γὰρ χορὸν κωμῳδῶν ὀψέ ποτε ὁ ἄρχων ἔδωκεν, ἀλλ' ἐθελονταὶ ἦσαν“, comparanda sunt cum Plutarchi verbis Themist. c. 5. „ἐνίκησε δὲ καὶ χορηγῶν τραγῳδοῖς, μεγάλην ἤδη τότε σπουδὴν καὶ φιλοτιμίαν τοῦ ἀγῶνος ἔχοντος· καὶ πίνακα τῆς νίκης ἀνέθηκε.“ Quo tempore chorum dederit archon primum, non potest accurate indicari. At falso mihi videtur Meinekius huc traxisse Aristot. Polit. VIII, 6., ubi Thrasippi tabula commemoratur, Ἐκφαντίδη χορηγήσαντος. Ibi enim non de comico, sed de melico poëta dictum esse, quicunque ipsius scriptoris verba legit, mecum obtinebit. Ecphantidem autem melicum fuisse poëtam, ac falso Naekium fabulam Διόνυσος inscriptam elicuisse, ipsum credo Meinekium nunc non fugiet. cfr. Q. sc. I, 12. 13.

incertam omnium de priscis comicis narrationum indolem. De qua re melius iudicare liceret, si Heliodori liber de tripodibus Atheniensibus non esset amissus [63]), ex quo Harpocratio, qui Aristotelis didascalias possidebat, sola choregorum nomina cognoverat. Iam si ad Aristotelem redimus, is sane potuit tripodibus choregicis uti, usumque se esse interdum, aliis in libris ostendit ipse [64]); sed neque omnia, quae ibi tradita erant, in suum librum recepit, neque quae recipere volebat, ibi omnia invenit. Nam primum choregos eum non enumerasse singulos, iam supra vidimus. Dein fabularum a poëtis doctarum nomina ex tripodibus haurire frustra studuisset. Quare ex his quoque intelligimus, quanta fuerit antiquorum utilitas epigrammatum [65]).

Veluti inter impensas et ministeria, quibus divites Attici cives onerabantur, trierarchia in totius civitatis commodum erat instituta; ita ad tribuum honorem potissimum spectabat choregiae onus. Quare factum est interdum, ut, si quis choregus insignis fuerat in choris adornandis et instruendis, magnumque tribulibus suis, victoriam imprimis claram consecutus, compararat honorem, illi tribus monumentis positis honoribusque aliis tributis se gratam praeberet. Cuius rei apertum signum repertum est nostra aetate antiquissimum monumentum, quod Boeckhius singulari diligentia sua nuper et in integram formam restituit et explicavit [66]). Iis igitur ex monumentis Aristoteles vix poterat, quae sibi utilia essent, haurire.

Pergamus ad illud monumentorum genus, quod Boeckhius non temporarium et extraordinarium fuisse censuit, sed ab auctoribus didascaliarum adhibitum [67]). Ac profecto quidem, si primum de solo Aristotele loquimur, quae ex illius libro enotantur a posterioribus, ea omnia possunt ex monumentis hoc modo conditis petita esse. Archon enim additus reperitur; festi

---

63) cfr. Harpocr. s. v. *Ονήτωρ*. Boeckh. Corp. Inscr. Praef. p. VIII, et ad. n. 211.

64) cfr. Arist. Polit. VIII, 6.

65) van Goens de Simonide p. 5 sq.

66) Corp. Inscriptt. I, p. 343 seqq. n. 213.

67) Ib. p. 352 seqq.

dies suprascripti fuerunt, quae Boeckhii est coniectura maxime probabilis, fabulae singulorum poëtarum sunt nominatae. Sed si ea omnia, quae Boeckhius tanquam ex didascaliis petita collegit, contemplamur: ita quis primam adeptus sit laudem, discimus quidem, sed qui secundum tertiumque praemium acceperit, incertum manet. Nam in fine unus modo victor nuncupatur. Memorabilis mihi visa est huius monumenti cum Pluti fabulae didascalia consensio. In Pluti enim argumento haec verba legimus: „Ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀντικάτρου, ἀνταγωνιζομένου αὐτῷ Νικοχάρους μὲν Λάκωσιν, Ἀριστομένους δὲ Ἀδμήτῳ, Νικοφῶντος δὲ Ἀδώνιδι, Ἀλκαίου δὲ Πασιφάῃ, quibus in verbis quinque simul poëtas nominatos videmus, sed praemia eorum non indicata reperimus. In tanta omnium certarum narrationum inopia non nefas, ut credo, habebitur, si ad coniecturas confugio. Quid igitur, si quibus temporibus media, quam dicunt, comoedia Athenis visa est, in comoediis publice edendis mutatione facta unus tantum praemium accipere potuisset? Illa aetate, qua Agyrrius poëtarum praemia diminuere studuit [68]), fortasse alii quidam, qui hac via incedentes invisis poëtis nocere studebant, extiterunt.

XIII.

Egregium sane toti antiquitatis studio accessisse adiumentum, ex quo tempore primum inscriptiones per totam Graeciam aliasque terras dispersas viri egregii colligere et digerere coeperunt; nemo est, qui ignoret. Saepenumero autem tam mutilata ad nostram aetatem pervenerunt, quibus inscriptae leguntur, monumenta, ut multa, quae certa sint et extra omnem dubitationem posita, sobrius et accuratus interpres ex iis elicere nequeat [69]). Quod hoc magis dolendum est, quo saepius, si tota monumenti forma servata neque inscriptionis pars maxima deleta haberetur, haud incertam rerum gravissimarum cognitionem acceptam referremus iis, qui lapides reppererunt, volve-

---

68) Boeckh. Staatshaush. I, p. 258, n. 392.
69) Boeckh. Corp. Inscriptt. I, Praef. p. XXVI.

runt, descripserunt et quae inscripta erant, ediderunt. Quo plures vero sensim in lucem protrahentur inscriptiones; — at fore ut earum in dies augeatur multitudo, quum studium summum et omnibus in terris recens excitatum, tum restituta Graeciae libertas [70]) sperare nos iubent — eo maior alteram ex altera explicandi, quae via optima cunctis videtur esse, nobis patebit facultas. Nunc autem et copia inscriptionum lapidibus incisarum et librorum chartis mandatarum ope adiuti haud raro id efficere possumus, ut ancipiti coniecturae insistamus non necesse sit. Neque dici potest, quam felici diligentia ingeniique sagacitate praecipua Boeckhius in edendo inscriptionum corpore versatus sit; qui ut in re feliciter incepta feliciter pergat, quicunque antiquitatis studia diligunt, vehementer optant.

Haec mihi in mentem redeunt, quotiescunque ad inscriptionem ex schedis Fourmonti a Boeckhio editam, de qua superioris capitis in fine locutus sum, reversus, quae ibi a Boeckhio adnotata sunt relego. Quod enim ille sibi repperisse visus est, in uno monumento duas conspici columnas, quae ad eadem sollemnia idque ad urbana Liberalia pertineant; prioremque Comicos et posteriorem Tragicos complecti: id veri quidem persimile esse puto, sed quo minus pro certo et indubitato sumam, multis impedior. Atque ego neminem fore arbitror, quin re diligenter cognita mecum consentiat. Paucis defungar [71]). Quae in altera columna de tragicis poëtis, in alterius initio de comicis supersunt; tam manca esse et truncata credo,

---

70) Boeckh. Corp. Inscrr. I. Praef. p. XIV.

71) Non est, quod commemorem, quibus in singulis rebus a summi viri sententia recedendum esse credam. Ita in tragica columna quum per se appareat, histrionis mentionem vs. 2, 6, 12, 15. factam esse: vs. 3. et 10. minus vere coniecisse Boeckhium, haud dubie sine mora concedetur. Universe autem, quoniam quae scriptis ex antiquitate ad nos perlata sunt, rerum traditarum copia a monumentis lapideis fere semper superantur, monumenta lapidea e libris cautissime esse supplenda arbitror. Removissem igitur non ex notis, sed ex textu, quem vocant, tertio versu Antiphanis nomen. In tanta enim comicarum fabularum copia, quanta Athenis docta est, praeter Diphilum, Eubulum, Antiphanem alii fabulas Ἀνασωζόμενοι inscriptas docere potuerunt. Multa, puto, fabularum poëtarumque nomina, quae in libris nostris nusquam apparent, monumentis repertis nobis restituentur. Eam igitur legem fragmentorum editori et interpreti esse scribendam opinor.

ut coniecturae, quibus restituere et reficere monumentum studeat, vel sagacissimum editorem destituant. Nonnulla tamen legi et intelligi possunt. Sed in iis prorsus nullum conspicitur signum, ex quo colligere liceat, in utraque columna uno in monumento coniuncta poëtas esse recensitos, qui iisdem annis docuerint. Columnam priorem, quantum servata est, duo complecti annos quum sit apertum: in posteriore contra versu quarto et septimo archontes designatos eosque ab illis diversos esse sumpsit editor: ut non videas, quomodo talis comicorum et tragicorum poëtarum coniunctio fieri potuisset evitarique summa rerum confusio. Cogitandum est enim, Comicos unam comoediam, tetralogias autem Tragicos docere solitos fuisse singulos. Quamobrem si comici poëtae eiusque et fabulae et histrionis commemoratio duo versus efficiebat; contra earundem rerum descriptio apud Tragicos tres certe versus desiderabat [72]). Aut igitur parum probabilis videbitur editoris coniectura, Archiam archontem (Ol. 108, 3) commemorari eo versu, quo altera in columna Comici recensentur, qui Diodoro archonte suas docuerunt fabulas: aut tota monumenti ratio aliter explicanda est. Neque infitior, mihi perquam mirum visum esse, quod solos poëtas et eorum fabulas histrionesque nominatos video, neque tribum, neque patriam poëtae indicatas reperio: quorum prius, quia alia aderant monumenta, ferri potest, posterius autem vix admittebatur, praesertim quia poëtae interdum peregrini erant [73]), et quem hic memorari videmus, Diodorus [74]) Sinopensis. Qua igitur nostra aetas in reperiendis eruendisque antiquis monumentis insignis fuit felicitate, ea nos commovet, ut speremus, fore ut alii mox certiora de monumentis didascalicis sciant et doceant [75]).

---

72) Ita (vs. 13—15.) tribus versibus et poëtae et fabularum et histrionis nomina comprehendi videntur.

73) Boeckh. Corp. Inscriptt. I, n. 211. Nunc Boeckhii testimonio utimur; postea rem pluribus explicabimus.

74) Ib. p. 354.

75) Etiamsi duo reliqua didascalica monumenta, quo nomine Oderico auctore appellata sunt, huc non pertinent; tamen ea quoque paucis attingam. Ostendunt enim praeclare, quam exigui fructus summae dili-

Revertor ad Aristotelem. Is igitur in aliis monumentis choregos, victores et tribus[76]), in aliis poëtas fabulasque doctas et publice in certamen commissa poëmata repperit: in utrisque archontes designatos vidit monumentisque inter se comparatis, quaecunque scire cupiebat, enucleare potuit. Summa diligentia eum id suscepisse negotium et sustinuisse, docet viri, quam ubique praestitit et probavit, eximia indoles. Sed fortasse praeter eos fontes, qui lapidibus incisi reperiebantur, alii aderant chartis mandati, iique potissimum sunt ab Aristotele adhibiti. Qua de re quanquam certum non afferre possum testimonium veteris scriptoris, tamen eam ipsam per se satis

---

gentiae et sagacitati insignium virorum propositi sint, si inscriptionum fragmenta perquam male habita explicanda sumunt. Quae Odericus protulit, ea sunt tam vana et irrita, ut eius errores Boeckhius plerosque omittendos putaverit (p. 352.); Boeckhius autem, post Odericum easdem inscriptiones aggressus, profecto summam laudem merito adeptus est. Tamen non raro ab eius opinione dissentimus. Tam truncata sunt omnia, ut saepe nihil fere videas, nisi, si plena esset tabula, optimam inde hauriri posse rerum gravissimarum notitiam. Imprimis turbant numeri $\overline{\Gamma}$, $\overline{\Delta}$, $\overline{E}$ adscripti. Quos si Odericus de victoriis ex fabula reportatis falso intelligebat, non meliore credo ratione ad ordinem commissionis Boeckhius rettulit. Neque enim, si vere imaginibus poëtarum erant supposita signa, quare tabulae auctor commissionis caussam notaret, ullam probabilem caussam videbis; neque intelliges, si ex doctorum libris ea hausta dicuntur, unde talia hauserit, quae vix quisquam doctorum notatu digna iudicavit. Re licet diu pensitata, equidem tamen incertus haereo. Cogitabam, poëtae fabularum numerum referri, ut legendum sit κωμῳδίαι $\overline{\Delta}$, comoediae quattuor, $\overline{\Gamma}$ ἐν ἄστει, tres in urbe; at $\overline{E}$ quomodo explicari possit, equidem non perspiciebam. Rem igitur reieceram, novam viam ingressus. Credebam signa esse eos numeros, e quibus colligi debeat, alius poëtae recenseri dramata. Confirmari videbatur, quia inter $\overline{\Delta}$ et $\overline{E}$ archontum nomina continuantur, ita ut descendatur a priore ad posteriorem, dein post $\overline{E}$ iterum ad priores redeatur. Sed quae sequuntur, omnem coniecturam eludunt. Quare equidem his me expedire nequeo, et certiora desidero. — Pro ΙΠΠΟΤ scripsit editor n. 230. Ξιππου, idque nomen esse hominis, primarum actoris coniecit. Quae coniectura quanquam non prorsus improbabilis est, tamen in hac tabula, quum nihil simile reperiatur, mihi videtur ambigua. Credo genitivum ad fabulam pertinuisse, ut supra Διονύσου γοναὶ scriptum erat: ac mihi redit in memoriam Alexidis fabula, Ἀγωνὶς ἢ Ἱππίσκος inscripta atque ἐν Ἵππῳ interdum laudata, cfr. Schweigh. Ind. Auct. in Athen. XIII, p. 18 et 20. — Neque negari potest, accuratiorem saepissime desiderari lapidum descriptionem.

76) cfr. Ottfr. Müller in Encyclop. VI, 234.

probabilem esse, et Atheniensium consuetudine et librorum in Olympicis Pythicisque ludis adhibitorum exemplo confirmari credo [77]).

Venio nunc ad aliam quaestionem, utrum Aristoteles illa monumenta descripserit, an ex monumentis, quae colligere cupiebat, excerpserit, ac suo more singula explicuerit. Qua quidem de re quid Boeckhius sentiat, nobis inde certo videmur intelligere, quod ubi de Graecarum inscriptionum collectionibus disputat [78]), primum rei operam dedisse Philochorum Atheniensem affirmat. Etenim si princeps fuit Philochorus, qui floruisse Olymp. 118—129 dicitur [79]): idem negotium non potest ante eum Aristoteles, qui Olymp. 99—114 vixit, suscepisse. Quanquam idem vir eidem opinioni adversari videtur, non solum ubi didascalias etiam ex inscriptionibus potissimum collectas esse censuit [80]), sed etiam ubi ipsa monumenta didascalias appellatas a posterioribus in partes vocari potuisse credidit [81]). Ego ipse autem, si quae de Olympionicarum et Pythionicarum indicibus dixi contemplor, totamque rei rationem cogito; non possum quin in eam sententiam redeam, ut putem, ipsa monumenta non esse ab Aristotele descripta, sed excerpta duntaxat et in usum eius conversa. Incertum est adeo, neque ullo veteris scriptoris testimonio probatum, didascaliarum nomen ante Aristotelem ad indices didascaliarum et monumenta, quibus qui docuerint inscripti legebantur, pertinuisse.

His expositis superest alia quaestio, perquam digna quae diiudicetur. Etenim iam supra vidimus, paucas modo earum, quas nobis ex antiquitate traditas legimus res didascalicas, ad Aristotelem referri auctorem; saepe ad didascalias provocatur, auctoris nomine non addito; saepe vero etiam res didascalicae traduntur simpliciter, ne libro quidem nominato, unde eae peti

---

77) Confer, quae Boeckhius Staatsh. d. Ath. de scribis (I, 198, 257 seqq.) et rerum sacrarum curatoribus congessit (ib. I, 281).

78) Boeckh. Corp. Inscriptt. I, Praef. p. VIII.

79) Ex verissima Lenzii sententia, de Philochori vita et scriptis p. 2.

80) Corp. Inscr. I, p. VIII.

81) Ib. p. 350.

possint. Boeckhius quo loco aliquot composuit didascalicarum notarum specimina [82]): omnia miscuit, neque immerito fortasse id fecit. Quaeritur igitur, quibus potissimum in libris res didascalicae traditae fuerint, quibusque auctoribus eas debeamus. Utrum autem ante Aristotelem aliquid simile fuerit compositum, nec ne, equidem nescio; id autem scio, si quis de eadem re ante eum scripserit, eum ita esse victum et superatum, ut pro nullo scriptore habendus sit. Praeterea, si Aristoteles res historicas colligendi negotium in se suscipit, vix cogitari potest, inter posteros quemquam accuratius rem perficere potuisse: quanquam ille ad suam usque aetatem collectionem deduxit, posteriora non tetigit, ut bene egissent, qui ubi ille scribere desierat, incepissent et reliqua addidissent. Sed quo tempore Panaetius Rhodius philosophus Stoicus vivebat (a. u. c. 569 — 642), catalogos poëtarum, qui Medicis et Peloponnesiacis temporibus floruerant, multi (*συχνοί*) confecerant [83]). Videamus igitur, quo modo res sese habeat.

Nota est Peripateticorum philosophorum consuetudo, summi praeceptoris vestigiis insistendi resque ab eo tractatas explicatius tradendi, non tractatas suscipiendi, atque uti ipse vivus fecisset, ita scribendi. Propterea saepissime libros ediderunt discipuli Aristotelis [84]), quales ab ipso praeceptore editos esse compertum habemus: ita ut multae inde difficultates variaeque opiniones ex hac re natae sint. Inter Aristotelis autem discipulos diligentia sua in rebus historicis exponendis et colligendis adhibita maxime insignis est Dicaearchus, quem summo

---

82) Corp. Inscrr. I, p. 350.

83) Plut. Aristid. cap. 1.

84) Duobus locis Plutarchus commemoravit, quae merita Aristotele duce Peripatetici in res musicas contulerint, de Musica 1131, E. „*καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ περιπάτου φιλοσόφων οἱ ἄριστοι περί τε τῆς ἀρχαίας μουσικῆς συντάξαι ἐσπούδασαν*“ et Non posse suaviter vivi sec. Epicur. 1069, A. De posteriore loco iam supra locuti sumus, quia ad didascalias Ionsius eum traxerat. Videndum est tamen, an pro Aristotelis nomine Aristoclis reponendum sit, cuius nomen cum nomine Aristotelis aliquoties esse mutatum, I. G. Vossius animadvertit de hist. Graecis II, 1, p. 166. „Nempe librariis quia illud Aristotelis notius foret, huius nomen reposuerunt.“ Aristoclis enim libri *περὶ μουσικῆς* et *περὶ χορῶν* apud Athenaeum commemorantur. cfr. Schweigh. Ind. Auct. p. 51.

amore et admiratione persecutus est Cicero, testis locupletissimus [85]). Ad hanc res didascalicae interdum referuntur. Ranas Aristophanis bis esse, non in certamen commissas, sed publice editas; Sophoclemque, cum Oedipum regem doceret, a Philocle victum; ex Dicaearchi libris grammatici nos docuerunt [86]). Sed librum *διδασκαλίαι* inscriptum eum non edidisse constat: quod verissime Casaubonus [87]) ex his grammatici verbis collegit *„Δικαίαρχος δὲ Αἴαντος θάνατον ἐπιγράφει· ἐν δὲ ταῖς διδασκαλίαις Αἴας ἀναγέγραπται“*, quibus Dicaearchus didascaliis et, quod simul inde patet, Aristoteli, didascaliarum auctori opponitur. Alios tamen similes libros composuit, quorum tituli commemorantur, *ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων, περὶ μουσικῆς, περὶ μουσικῶν ἀγώνων, περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων, Ὀλυμπικόν, Παναθηναϊκόν, Τριπολιτικόν, περὶ βίων* [88]). In his, occasione oblata, ex Aristotelis didascaliis nonnulla notavisse, praeceptorisque testimonio usus esse videtur; ut qui illius librum non possidebant, res didascalicas ex huius scriptis cognoscerent. Ita de Arione, a quo primo cyclicum chorum Aristoteles editum esse dixerat, praeceptori assensus est [89]).

Posteaquam Aristoteles bibliothecae constructione ostensa [90]), grammaticisque et criticis studiis inceptis [91]), viam munierat; non eius discipuli solum ea progressi sunt, sed mox Alexandriam et Pergamum eadem studia sunt translata, et a

---

[85]) Groddeck Init. Hist. Gr. literar. I, p. 189, 218.

[86]) cfr. Argum. script. ad Ran. Aristoph. et Sophocl. Oedip. Reg.

[87]) Animadvv. ad Athen. VI, p. 260.

[88]) cfr. Vossius de hist. Gr. I, IX, p. 46. Ions. Script. hist. philos. I, 16, p. 99 seqq. Plut. de Mus. p. 1134, A. *„τοῦτο δὲ δηλοῖ ἡ τῶν Παναθηναίων γραφὴ ἡ περὶ τοῦ μουσικοῦ ἀγῶνος“*, quae utrum ad publicum scriptum de festo Panathenaico apud Athenienses trahenda sint, an ad Dicaearchi librum, *Παναθηναϊκόν* inscriptum, incertus haereo.

[89]) cfr. Procl. Chrestom. ap. Phot. Ecl. CCXXXIX. et schol. ad Avv. Aristoph. 1411. Ions. de scr. H. ph. I, XI, 4. p. 63. et loc. supr. laud.

[90]) *„πρῶτος ὧν ἴσμεν συναγαγὼν βιβλία καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν“* Strabo XIII, p. 418. ed. Casaub.

[91]) F. A. Wolf. Prolegg. ad Hom. p. CLXXI.

permultis eximiisque viris aucta et amplificata. Ac primum quidem Alexandrinos, dein Pergamenos criticos adeamus.

Alexandriae autem primus in sese oculos convertit Callimachus, qui artem poëticam cum grammatica ita coniunxit, ut in utraque summam laudem adeptus esse perhibeatur. Cuius duo potissimum libri huc referendi sunt, quorum inscriptiones a Suida ita notatas accepimus „*Πίνακες τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν, ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ'*“ et „*Πίναξ καὶ ἀναγραφὴ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκάλων.*“ At memorabile est, quod has librorum inscriptiones apud nullum alium scriptorem legimus. Nimirum universe appellabantur plerumque *Πίνακες*, tabulae, omissis ipsis rebus, quas tabulis scriptor comprehenderat. Docet hoc Etymologus his verbis [92]) „*ὁ δὲ Χοιροβοσκὸς εἰς τὸ ἀνεκφώνητον λέγει πίνακας, ἐν οἷς αἱ ἀναγραφαὶ ἦσαν τῶν δραμάτων· ὁ οὖν Καλλίμαχος ὁ γραμματικὸς ἐποίει πίνακας, ἐν οἷς ἦσαν αἱ ἀναγραφαὶ παρὰ τῶν ἀρχαίων· οἷς ἐντυχὼν ὁ γραμματικὸς ἐποιήσατο τὰς ὑποθέσεις τῶν δραμάτων*“; docet Aristophanis Byzantii liber [93]) „*Πρὸς τοὺς Καλλιμάχου Πίνακας.*“ Interdum autem titulos reperimus alios. Apud Athenaeum *ἐν τῷ τῶν παντοδαπῶν Πίνακι* [94]) et *ἐν τῷ τῶν παντοδαπῶν ξυγγραμμάτων Πίνακι* [95]); ac praeterea *τῶν ῥητόρων ἀναγραφή* [96]). Ut meam de his omnibus sententiam statim ab initio profitear, Suidae primus liber videtur mihi veram iustamque continere inscriptionem,

---

92) Etym. Magn. s. v. *πίναξ*, p. 672, 29. ed. Sylb.

93) Athen. IX, p. 408. Incertum est operis inscriptionem contemplanti, utrum liber contra Callimachum scriptus fuerit, an additamenta ad illius *Πίνακας* comprehenderit. Illud Fabricius credidit, III, XIX. p. 488, a Beckero propterea vituperatus, Demosth. Philipp. Red. p. 506; hoc Casaubonus ad Athenaeum multique post eum alii. Ceterum eodem modo simpliciter *ἐν τοῖς Πίναξι* citat librum Diog. Laërtius VIII, 86. ed. Menag.

94) E Bentleii coniectura, in Callim. Fragm. p. 471, quam recte probat Schweigh. Animadvv. in Athen. III, 440. Aliter Bentleius, addita voce *συγγραμμάτων* Epist. ad Mill. p. 509, Lips.

95) Athen. XIV, p. 643, e.

96) Athen. XV, p. 669. Scriptum in Athenaei libris *τῶν ῥητορικῶν*, quod corrigendum est ex Dionys. Halic. VI, p. 725, ed. Reisk. „*πίνακες τῶν ῥητόρων.*“

atque ea omnia complexus esse, quae singulatim interdum recensentur. Id ostendit ipse ille titulus, qui omnes scriptores simul complecti librum aperte indicat; id ostendit numerus partium libri indicatus. A Callimacho, breviloquentiae amatore osoreque prolixorum librorum [97]), in plurimas partes pro argumentorum diversitate liber erat divisus, quarum unaquaeque propriam habebat inscriptionem. Huc pertinet *τῶν ῥητόρων ἀναγραφή*; huc *τῶν παντοδαπῶν ξυγγραμμάτων πίναξ*. Namque quum multae res essent, de quibus librorum multitudo extare non potest, singuli tamen homines scripta composuerant, ea omnia uno libro ita inscripto comprehendit. Eius libri de ratione nulla prorsus oboriri potest dubitatio, quoniam fragmenta luculenta in Athenaei Deipnosophista supersunt [98]). Huc denique *πίναξ καὶ ἀναγραφὴ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκάλων*, qui imprimis crebro a grammaticis adhibitus est, quia res continebat, ab iis saepissime tractatas; quamobrem Choeroboscus apud Etymologum de eo singulatim verba fecit. Quae si vera sunt, ut credo verissima esse, et falso est Fabricius a Groddeckio reprehensus [99]), et *διδασκάλων* optima est scriptura, ita ut coniectura *διδασκαλιῶν* non admitti possit [100]). Nam quomodo factum esset, ut in magno *πινάκων* libro poëtae omitterentur; et si non omissi erant, non de scriptis solum, sed

97) Athen. I, 3. Spanh. ad Callimach. p. 118.

98) „*Δεῖπνα ὅσοι ἔγραψαν, Χαιρεφῶν* etc.“ Athen. l. l.

99) Groddeck Initia II, p. 13.

100) Casaubonus quum reciperet hanc inscriptionem „*διδασκαλιῶν*“, quia Suidas solus eam refert, imprimis in errorem coniectus esse videtur falso intellecto scholiastae Aristoph. ad Aves 1242 loco. Eum enim videmus ex Avium Aristoph. enarratore haec notasse verba: „*ὁ Καλλίμαχος ταύτης τῆς διδασκαλίας οὐ μέμνηται,*“ ex quibus colligas, didascalias virum scripsisse. At si ipsi verba adspicimus, statim diffugerunt omnia. Legitur enim ad v. 1242 „*ὁ μὲν Καλλίμαχος γράφων οὕτως, Λικυμνίαις βολαῖς, φησί, ταύτης τῆς διδασκαλίας οὐ μέμνηται.*“ Quae igitur Casaubonus ad Callimachum traxit, sunt potius ad Aristophanem trahenda, quod patebit omnibus, qui totam scholiastae adnotationem accurate legunt. Quaeritur enim, utrum verba tangant Euripidis fabulam, an proverbialem contineant locutionem, qua in re ut saepe, cf. Suidas s. v. *Καλλίμαχος*, adversantes sibi invicem Apollonium et Callimachum cernimus. Stoeckerus de fragm. p. 4. vitium non sensit. At Ionsius quoque non evitavit l. l. p. 167.

de scriptoribus maxime sermo est a Callimacho institutus. Separandos autem ab hoc libro censeo *πίνακας τῶν νόμων* [1]), ab Athenaeo citatos, et *πίνακα τῶν Δημοκρίτου γλωσσῶν καὶ συνταγμάτων* [2]), quos alii interdum ei adiunxerunt [3]).

Iam quum Callimachus totam Alexandrinam bibliothecam exhaurire omnesque omnium generum scriptores complecti studuisset: nemini mirum videbitur, si eum non raro a veritate aberrasse posteriores docuisse audit. Ipsosque illos reprehensores de viro eximio iniquius iudicasse dixerim, qui quum ex tota scriptorum mole unum sibi genus separarent, mox meliora scirent et docere possent, quam Callimachus. Quare iniuste, credo, Dionysius Halicarnasseus, iniuste Photius aliique eum tractarunt [4]). Quomodo autem liber comparatus fuerit, nemo melius inter recentiores exposuit, quam Ionsius [5]), historiae philosophiae scriptorum enarrator. Is igitur ita eruditorum historiam ab eo illustratam esse demonstravit, ut eos nominaret, eorumque vitam describeret, libros enumeraret et initia notaret, versuumque numeros indicaret. Qua ex re apparet, talem librum non componi potuisse, nisi ab homine, qui magnae bibliothecae usum haberet, ipsaque Callimachi comparatio cum Pergamenis tabulis ostendit, Callimachum et Pergamenos grammaticos in bibliothecarum suarum usus ad tale opus condendum sese contulisse [6]).

In ea autem parte libri, qua *διδασκάλων* historiam exposuit, haud dubie Aristotelis didascaliis usus est, ita ut iis adiutus tempora poëtarum eorumque carminum reperire studeret. Ac, nisi fallor, Callimachus primus Aristotelis didascaliarum librum cum superstitibus carminibus comparavit, et quae re-

---

1) Athen. XIII, 585. b.

2) Suidas s. v. *Καλλίμαχος*.

3) Verbi caussa Fabricius Bibl. Gr. l. l.

4) Dion. Halic. de Dinarcho V, p. 630, 661; Isae. V, 594. de admir. vi in Demosth. VI, 994. Krüger ad Dionys. Prolegg. p. VII. Becker Demosth. Philipp. Red. p. 509. Photius p. 491, b. 31, ed. Bekk.

5) Ions. Scr. hist. philos. II, 5, 1—10, p. 159—165, ed. Dorn.

6) Componuntur ab Athenaeo VIII, 336. d. et a Dionysio Halicarnassensi, de Dinarcho V, 630, 661.

stent adhuc et amissa sint, quaesivit. Aristoteles, nulla carminum amissorum aut servatorum ratione habita, omnes poëtas, quos potuit, in uno libro collegit, et quae carmina ediderint notavit; Callimachus inspectis libris servatis, eorum indicem fecit, poëtarumque vitas ex Aristotelis libro cognovit. Hoc igitur in negotio est interdum ita, ut se expedire non posset, fabularum διασκευαῖς impeditus, quas non accurate cognoverat. Narrant enim grammatici, hac difficultate eum adductum fuisse, ut didascalias reprehenderet, quia quo tempore fabulae doctae fuerint, non recte tradidissent; sed eam ipsam ob caussam ab Eratosthene ad διασκευάς esse provocatum [7]). Eodem traho, quod apud Athenaeum lego de Eunucho fabula Diphili nominata [8]), quam quum primo ederet poëta, Αἱρησιτείχης appellaverat. Eam enim quum simpliciter Eunuchum inscripsisset Callimachus, posteriores demum critici atque ipse fortasse Eratosthenes Eunuchum, sive Militem, Αἱρησιτείχους esse διασκευὴν docuerunt. At quum talia nesciret Callimachus, vix credi potest, ante eum quenquam eidem negotio operam navasse. Simul autem perspicitur, Callimachum non potuisse didascalias reprehendere, si illa ipsa monumenta eodem tempore lapidibus incisa, quo fabulae actae erant, eas continere credidisset. Vituperavit sine dubio monumentorum collectorem Aristotelem eumque negligenter susceptas partes tenuisse censuit. Neque poterit proinde affirmare quisquam, Callimachum didascalias scripsisse ipsum.

A Callimacho ad eius praestantissimos transeo discipulos, Eratosthenem Cyrenaeum, et Aristophanem Byzantium [9]). Posteaquam enim Callimachus summa diligentia omnes scriptores eorumque opera collegerat, singuli ut dixi poterant singulas eius libri partes singulatim pertractare atque hac progressi

---

7) Schol. ad Nubb. Aristoph. 544.

8) Athen. XI, 496, e. f.

9) Suid. s. vv. Καλλίμαχος, Ἐρατοσθένης, Ἀριστοφάνης Βυζάντιος. Quae autem de Aristophanis Byzantii vita, quae in Suidae lexico legitur, disputavi, iis addendum erat, falso Meinekium Q. Sc. II, 41. Vitruvium intellexisse Praef. lib. VII, qui de morte Zoili locutus, tacuit de Aristophanis vitae exitu. Ad Zoilum eam narrationem omnes traxere, cfr. Lilium Gyraldum Poëtar. histor. II, p. 95 seq. ed. Ienail.

via, in multis veriora facile reperire. Idque primum fecisse Eratosthenem, ex fragmentis recte colligitur. Etenim scripsit ille librum, cui titulus erat *περὶ ἀρχαίας κωμῳδίας*[10]), quem alii citant *περὶ κωμῳδίας*[11]), alii *περὶ κωμῳδιῶν*[12]); quo quae de comicis poëtis praeceptor dixerat, a discipulo aucta sunt et correcta. Hoc igitur libro docuit discrimen, quod interest inter editas et doctas poëtarum fabulas; hoc comparavit servatas cum amissarum nominibus[13]); hoc Aristotelis testimonio se usum esse ipse confitetur[14]). Ut igitur Olympionicarum in indice, ita in libro de comoedia scripto libros Aristotelis adhibuit, eorumque fidem et auctoritatem sua auctoritate tuitus est et servavit. Neque contemnenda est viri auctoritas, quem scimus Athenis Alexandriam arcessitum[15]), ac saepe illuc reversum[16]) ipsa monumenta consulere potuisse. Eratosthenis igitur de didascaliis locus; librum *διδασκαλιῶν* non composuit.

De Aristophane Byzantio paucis defungi possumus. Is enim ubi ab Athenaeo iis adnumeratur, apud quos fabularum nomina reperire licet[17]), vix dubitari potest, quin provocaverit ille ad librum *πρὸς τοὺς Καλλιμάχου πίνακας* scriptum. Commentariis suis multos ille scriptores ornavit; tragicarum comicarumque fabularum argumenta scripsit; atque in iis de rebus didascalicis fortasse exposuit, didascalias autem minime composuit; ipse quoque Aristotelis testimonio confisus.

Praeterea Aristarchum fuerunt qui Casauboni verbis non satis perspectis didascaliarum scriptoribus adnumerarent, quem ille nihil dicit nisi fabulas veterum poëtarum interpretatum[18]),

---

10) Harpocratio s. v. *Μεταλλεῖς*.
11) Pollux Onom. X, 14. Athen. XI, 501. d.
12) Schol. ad Ran. Aristoph. 1026.
13) cfr. Argum. in Pac. Aristoph. scriptum.
14) Ibid.
15) cfr. Suid. s. v. *Ἐρατοσθένης*.
16) Commemoratur Polemonis liber, *περὶ τῶν Ἀθήνησιν Ἐρατοσθένους ἐπιδημιῶν*, schol. ad Arist. Avv. 11, ad Soph. Oed. Col. 481.
17) Athen. VIII, 336. d. Si mea opinio vera est, inde affirmatur, additamenta ad Callimachi librum scripsisse Aristophanem, quod per se probabilius est.
18) Casaub. ad Athen. p. 261, 20.

et ita in hoc negotio occupatum fuisse. Immani errore Stoeckerus nostrum grammaticum cum homine commutavit, quem Pausanias nominat τὸν τῶν Ὀλυμπίασιν ἐξηγητήν [19]).

At non Alexandriae solum Ptolemaeos, sed Pergami quoque Attalos reges librorum colligendorum amor et cupido invasit tantopere, ut ibi celeriter amplissima librorumque eximiorum copia affluentissima nasceretur bibliotheca. Ut igitur Alexandriae, ita Pergami quoque, regum tutela gavisi, critici et grammatici effloruere, qui Alexandrinorum merita superare maioremque sibi laudem conciliare studebant. Quare eadem ex illo tempore Graecarum litterarum facies, eadem doctrina et eruditio, eadem veteres scriptores interpretandi et emendandi lex, eadem librorum multitudo in utraque urbe prodiit. Alexandrini tamen victoriam deportavere; Pergami bibliotheca Alexandriam delata est: nos ab Alexandrinorum lucubrationibus multo magis, quam ab Pergamenorum studiis pendemus.

Inter libros Pergami natos primo loco huc referendi videntur οἱ Περγαμηνοὶ πίνακες, in quibus oratorum poëtarumque nomina et opera relata fuisse scimus [20]). Ii uti comparantur cum Callimachi libro, de quo supra diximus: ita credibile est, eodem eos modo fuisse scriptos eademque de caussa scribi coeptos. Indices esse videntur librorum Pergami servatorum. Censeo autem, Callimachi librum prius esse scriptum, quia eodem titulo utuntur, quem teste Choerobosco Callimachus invenit. Quare non inepte profecto Wolfius ad Cratetis scholae auctoritatem eos rettulit [21]). Quam diversi autem hi indices ab indole libri Aristotelici fuerint, dicere nihil attinet.

At inter Pergamenos grammaticos numerandus est Carystius, cuius librum περὶ διδασκαλιῶν disertis verbis Athenaeus commemoravit [22]). Neque ad posteriora solum eum spectasse

---

19) Stoecker. de fragm. p. 7.

20) De Oratoribus vide Dionys. de Din. V, 631, aliisque locis, quos supra laudavimus; de poëtis Athenaeum VIII, 336. Dionysius citat τοὺς ἐκ Περγάμου γραμματικούς; Athenaeus τοὺς τὰς ἐν Περγάμῳ ποιήσαντας ἀναγραφάς.

21) Wolf. Prolegg. ad Hom. p. CCLXXVI.

22) Athen. VI, 235. e.

tempora, maxime colligi debet inde, quod de Sophoclis victoriis dixit [23]). Quamobrem quaeritur, utrum ipse repetierit Aristotelis librum, addideritque fabulas post Aristotelem doctas; an commentarium duntaxat ad Aristotelem scribere voluerit. Quae quidem quaestio, quoniam bis tantum liber commemoratur, explicatu est difficillima. At quomodocumque res sese habet, vix erit quisquam, qui cogitet de nova illorum monumentorum collectione [24]).

Non diu Alexandria et Pergamus floruerant, quum a *Romanis* eorum regibus debellatis, Romae urbi parere inciperent. Sed iam antea Graecae litterae Romam delatae non *solum* efficiebant, ut poësis ibi effloresceret et ars oratoria et philosophia; sed etiam artem criticam et grammaticam *simul illuc* transferebant. Qua ex re tota litterarum Romanarum facies, quam hodieque admiramur, nata est [25]). Ac profecto cum tragoedia ipsa didascaliarum quoque condendarum consuetudo Romam transiit. Inter poëtas enim, qui Romae fabulas docuerunt, L. Attii nomen est celeberrimum [26]). Is autem cum poësi historiam sibi ornandam sumpsit, non solum annalibus versu compositis, sed etiam scriptis pedestri oratione didascaliis, quae interdum a veteribus scriptoribus in partes vocantur. Atque is non solum Romanorum poëtarum nomina fabularumque doctarum tempora descripsit, sed ex Graecis fontibus, ut puto, Graeca in suum librum transtulit [27]). Quos autem fontes se-

---

[23]) Casaubonus verissime primus coniecit, ad hunc librum pertinere, quae scriptor vitae Sophocleae dixit, „*νίκας ἔλαβεν εἴκοσιν, ὥς φησι Καρύστιος.*"

[24]) De Crat. Mallote tacui, de quo idem valet, quod de Aristarcho antea dictum est. Contra Aristarchum pugnavit fere semper. (Wolf. Prolegg. p. CCLXXVII.) Ita diversum de Rheso Euripidis iudicium tulit. cfr. Argum. illius fabulae. Omisi praeterea Hugonis librum *περὶ διδασκαλιῶν*, a Ionsio notatum Hist. Philos. script. IV, n. 28, p. 257.

[25]) Cfr. Manso, Vermischte Schriften.

[26]) Cfr. Ad. G. Langii, Prof. Portens., praeceptoris mei doctissimi, Vindicc. Trag. Rom. p. 7., quem secutus neque Osanni coniecturam, librorum didascalicon auctorem non esse L. Attium poëtam sed Atteium Philologum, admisi, cfr. p. 3., neque plures cum Köpkio Attii nomine poëtas fuisse scripsi, cfr. p. 7.

[27]) Gell. III, cap. XI, Nonius s. v. Temerius.

cutus sit, quum ex paucis, quae afferuntur, fragmentis minus cognosci possit, ex supra disputatis colligi posse videtur. Vix enim dubium esse potest, quin Aristotelis librum imprimis sibi ante oculos posuerit. Quibus fontibus usus sit Attius, et quo modo rem perfecerit, non satis apertum est. Reprehenditur tamen a Cicerone, ita ut negligentiorem eum fuisse credere possimus [28]); pluribusque locis antiqui commentarii commemorantur, quos Cicero adhibuit [29]). Ceterum Romanos res didascalicas scripsisse, apparet ipsis ex praefationibus Donati ad Terentii fabulas, quibus quo anno quaeque fabula docta sit, et a quibus edita, accurate docetur.

Quae quum ita sint, vere credo perhibere possum, quascumque res didascalicas ex antiquitate traditas accepimus, ad Aristotelem solum merito referri; cuius libri iacturam iure summo dolore persequimur. Sunt tamen a posterioribus criticis grammaticisque omnia propagata latius, accuratius explicata, aucta et amplificata; ita ut scholiastae posteriorum aetatum saepe ea non ex Aristotelis libro, sed ex horum scriptis hauserint.

His ad exitum perductis, certum potest de didascalicarum notarum fide et auctoritate iudicium ferri. Quae enim integre et incorrupte ad nos pervenerunt, eas omnes dicere licet Boeckhii verbis omnium monumentorum generum fidem superare [30]). Est tamen non obliviscendum, eas ipsas plurium hominum manibus tactas et tritas corrumpi potuisse. Quae Aristotelis nomine addito ex ipso illius libro excerpta sunt, maxima digna sunt auctoritate; dein secundo loco ponenda, in quibus didascaliae testes laudantur, Aristotelis nomen omittitur, quia ea quoque ex ipso libro petita sunt; tertio, in quibus didascaliae non nominantur, quae plerumque a voce ἐδιδάχθη incipiunt, et ex eorum commentariis sumpta credimus [31]), qui singula tragico-

---

28) Cic. Brut. c. 18.

29) Ib. et cap. 17. et 64. Langius Vindicc. p. 3. „Erant autem Varronis libri de poëtis ad imitationem Graecarum didascaliarum scripti," quae nunc credo non tuebitur amplius Vir summe Reverendus.

30) Boeckh. Corp. Inscript. p. 350.

31) Cum Casaubono et Boeckhio ll. ll. Idem enim Casaubonum voluisse apparet, cum diceret, quoties sine nomine laudarentur didascaliae, Aristarchum

rum comicorumque fabulas explicare studuerunt. Adde, quod interdum ea, quae didascaliarum nomine laudato notata invenimus, apprime cum iis conveniunt, quae nomine omisso traduntur [32]). Summo iure igitur ab antiquissimis temporibus ad nostram usque aetatem omnes, quaecunque ad Aristotelis didascalias pertinent, maximi habuere. Nec vero habeo quenquam antiquiorem testem, cuius quidem iudicium gravissimum putem, quam Eratosthenem Cyrenaeum, neque recentiorem, quam *Boeckhium*: quibus quicunque harum rerum periti sunt, assensionem semper praebebunt.

Superest, ut ad anonymum de comoedia paullisper revertar, ut videamus, utrum ille ex Aristotelis didascaliis nonnulla excerpserit, necne. Scimus quidem ab isto initio tractas esse omnes de Tragicis Comicisque disquisitiones; latius autem progredi non debemus. Ac iam primum apparet, anonymum de poëtis novae comoediae disputantem res tradidisse ab Aristotele alienas. Neque tamen, ad quae usque tempora Philosophus descenderit, et quis post eum ea conditione didascalias colligendi negotium, ut quas ab Aristotele omissas sciret, adderet, susceperit, accurate definire audemus. At in iis quoque, de quibus Aristoteles locutus est, nihil nos ad credendum cogit, didascaliarum librum eum manibus tenuisse. Argumentum gravissimum in numeris, quibus indicatur, quoties poëta quisque vicerit, positum esse censeo. Unum exemplum sufficiet. Eupolidem, ait, quattuordecim fabulas scripsisse: quot in certamen commiserit, non indicat. Adde, quod Suidas septendecim nominavit; nos autem, si *Νουμηνίας* ex solis didascaliis notas addimus, octodecim numeramus [33]). Quamobrem est censendum, fontem eum esse sequutum, qualis Callimachi erat liber, qui

---

Cratetemque intelligi. Illos enim criticos hanc semper consuetudinem tenuisse videmus, ut de didascaliis, Aristotelis omisso nomine loquerentur. Quare non satis recte de Casauboni sententia Hermannus exposuit, de Rheso tragoedia, Opusc. III, p. 264.

[32]) Schol. Aristoph. Ran. 1155. „*τετραλογίαν φέρουσι τὴν Ὀρεστίαν αἱ διδασκαλίαι Ἀγαμέμνονα, Χοηφόρους, Εὐμενίδας, Πρωτέα σατυρικόν.*“ Argum. Aeschyl. Agam. „*Ἐδιδάχθη — δευτέρῳ· πρῶτος Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι, Χοηφόροις, Εὐμενίσι, Πρωτεῖ σατυρικῷ.*“

[33]) Cfr. Meineke Quaest. Sc. I, 29.

de servatis fabulis, non de doctis sermonem instituit; ac simili ratione vitas poëtarum enarravit.

Quae quum ita sint, facile patebit, quomodo quaestio de numeris, qui interdum apud grammaticos reperiuntur, solvenda sit, quibus quota quaeque poëtae fabula in toto numero lecta esset, indicatum reperiebatur [34]). Nam si in argumento Antigonae Aristophanes dicit „λέλεκται δὲ τὸ δρᾶμα τριακοστὸν δεύτερον, ipsa vox λέλεκται satis ostendit, non esse de doctis, sed de servatis lectisque fabulis dictum. Idcirco C. Wexius, qui Heiglium recte reprehendit [35]), facilius argumentum profligare poterat, quod proferri posthac aliquando credebat [36]): quoniam si vera Aristophanes pronuntiavit, centum et triginta fabulas esse a Sophocle confectas, et septendecim spurias indicavit, non ita numeremus necesse est, ut quattuor et triginta annorum spatio paene centum fabulas fecisset. Ipsa Aeschylearum, Sophoclearum, Euripidearum et Aristophanearum fabularum in nostris libris manuscriptis series, quae sine dubio a priscis est grammaticis profecta, ostendit, temporum ordinem eos non esse accurate sequutos.

XIV.

Profecto de Aristophanis vitae fontibus disputaturum tanta premit difficillimarum quaestionum copia, ut si absterreretur vix primis fundamentis iactis, non possis eum reprehendere aut magnis criminationibus onerare. Is autem prae ceteris cunctanter hunc in se laborem suscipiet, qui praeter rei difficultatem summam sua ipsius tenuitate ingenii, quo minus certi quid statuat et ad veritatem propius accedat, impeditur. Quae quidem cogitatio quum nunquam non anxium et sollicitum me haec scribentem reddiderit: tamen ut novi nihil quidquam proferre potuerim, minime me poenitet studii in his rebus positi,

---

[34]) Leguntur in Argum. Avium Aristoph.; Antig. Sophocl. De Aristophanis fabula, Γῆρας inscripta, cfr. Sūvern. p. 24., Dindorf. de fragm. p. 104.

[35]) Wex. praef. ad Antig. p. 35.

[36]) Ib. p. 6 seq.

quod ad Aristophanis vitam enarrandam perquam necessarium fuisse, negotio demum ad exitum qualemcunque perducto vere intelligere coepi. Iam enim vidi cognovique antiquis quidem criticis grammaticisque fuisse adiumenta, quibus freti hominum insignium aetates et tempora definire, eorumque vitas et discere et docere aliquatenus potuerint; nobis autem nostra aetate eorum adiumentorum fere nullam esse copiam factam. Quos enim legimus manibusque nostris tenemus scriptores fide dignissimos, ii omnes de Aristophanis vita prorsus tacent. Eorum autem commentatiunculas accepimus, qui aut ipsi scientiae expertes non potuerunt, aut aliud consilium sequuti, non voluerunt vitae cognitionem nobis impertire. Ac magnum inde natum est in me desiderium eos libros possidendi, qui non ab infimae aetatis grammaticis et scholiastis, sed a viris reconditioris doctrinae laude affluentibus profecti, iam dudum in deperditis numerantur. Quanquam vero plures in vitis poëtarum scribendis operam collocaverant, quorum alios occasione oblata commemoravi, alios omittendos esse duco: cavere tamen debemus, ne plura, quam quae vere in eorum libris perscripta fuerunt, desideremus et pro amissis habeamus. Quantum enim video, praeter monumenta nonnulla Athenis servata, maxime erant ipsius Comici fabulae aliorumque aequalium scripta plurimo vitae scriptoribus usui. Labor igitur illis quoque multi sudoris erat, scriptores singulos perscrutari et quaecunque ad vitam scribendam pertinerent, colligere, pluribusque locis inter se coniunctis et comparatis, quid verum esse possit statuere. Iam vero nobis, qui omnes Comicos illius aetatis multosque alios scriptores amisimus, ad Aristophanis vitam nullus aditus patet, nisi eius fabulas legentibus et intelligentibus.

Quoniam vero Aristophanis fabulae vix intelligi possent, nisi veterum scriptorum commentarios, ad eas explicandas scriptos, possideremus: non alienus erit hic locus, quo ea quae de scholiis Graecis censeam, paucis verbis exponam et explicem. Est enim in confessis, antiqua scholia praecipue in hoc scriptore tanti esse momenti, ut nihil possit supra addi. Qua de caussa non possum, quin vehementer querar de plerorumque editorum socordia, qui non tantam,

quanta necessaria erat, iis navarunt diligentiam. Hemsterhusium quidem viros reprehendentem, qui eum in modum scholia in partes vocarent, quasi omnia forent unius auctoris eiusdemque pretii [37]), nostrates audiverunt. Tamen a plerisque nondum credo tam accurate esse rem pensitatam, ut non errores interdum admittant admodum graves. Ac profecto ipse Hemsterhusius, vir summus, mihi quidem videtur non semper certa progressus esse via.

Aristophanes poëta quum iam ab aequalibus magni factus esset: a posteris non minus est dilectus. Quam ob caussam quum ars critica et grammatica nata et satis diu in Homeri carminibus emendandis et explicandis versata esset [38]), celeriter ad comicos poëtas, et in horum numero imprimis ad Aristophanem transiit. Accedit, quod nascebatur vehemens amor, civitatum historiam et inter eas Atheniensis reipublicae cognoscendi, a viris eruditissimis excitatus et nutritus: quo qui commoti erant, ipsi ad comicos poëtas deferebantur. Neque doctrinae ostentationem, quam, qui Comicos explicabant, quam maxime probare poterant, in caussis praeterire licet. Non dici potest, quanta librorum copia inde orta fuerit. Alii commentarios exegeticos scripsere; singulares libros de rebus ad poëtam spectantibus composuerunt alii. Sed omnes illa aetate scriptos libros iniuria temporum amisimus. Scholiastae supersunt, qui antiquiorum opibus utuntur interdum, interdum abutuntur, ac servati sunt cum ipsis Aristophanis comoediis, ita ut aut in marginibus eorum adnotationes scriptae aut inter ipsas lineas interiectae invenirentur.

Iam quum primus M. Musurus, vir celeberrimus, primam Aristophanis editionem curandam suscepisset; simul ille adnotata in exemplis suis reperta enotavit, collegit, et correxit [39]). Vix

---

37) Hemsterh. ad Plut. praef. p. XII, ed. Schaef.

38) Non moror Stoeckerum, qui ubi de scholiorum origine et fatis disputat, scholia quaedam comoediis Aristophanis iam tum adscripta fuisse opinatur, quo poëta vivebat tempore. Nam praeter *ἐπιγραφὰς* et *παρεπιγραφὰς* nihil additum fuisse per se patet.

39) „*οὐ γὰρ μόνον τὰς ἐξηγήσεις συνείρειν ἠργολαβήσαμεν πεφυρμένας τέως, ὡς ἴστε που καὶ αὐτοί, ἀλλὰ καὶ τυπωθείσας ἤδη ἐπετετράμμεθα διορθοῦν.*“ Beck. Comment. I, praef. p. LXXVII.

credo, eum aliquam maiorem eorum, quae repperérat, scholiorum mutationem admisisse, aut de suis aliquid addidisse [40]. Tamen non omnem effugere potuit doctorum reprehensionem. Etenim iure summo Hemsterhusius, moribus illius aetatis non bene eum obsecutum esse censet, ex quo quas adhibuerint membranas, et universe quibus adiumentis usi fuerint, non commemorabant [41]. Ut ipsius poëtae, ita scholiorum in textu, quem dicunt, constituendo, si accurate is omnia indicasset, multo melius procedere criticis liceret. Nunc autem id ipsum incertum est, utrum enarratores omnes in uno codice invenerit, an in pluribus. Dein si in pluribus eos repperit, quod est maxime probabile, scire ex eo et audire volumus, ex quo quosque sumpserit [42]. Nam equidem censeo, si fieri potest, necessario scholiastam quemque a reliquis separandum, et certo nomine constanter designandum esse, ut in cuiusvis auctoritatem fidemque inquirere possimus. Hac demum via ingressi vitium ab Hemsterhusio reprehensum evitabimus. Laudandi igitur sunt recentiores editores, qui novis scholiis additis semper notarunt, unde ea hausta fuerint; laudandus Hemsterhusius, quod codicem Dorvillianum ea lege adhibuit; laudandus, ut ad ultimum statim veniam, Imm. Bekkerus, quod semper notavit, quo in codice nova scholia invenerit.

Qui post M. Musurum ad edenda scholia sese accinxerunt, peccatum ab eo commissum non removere, sed adeo augere voluerunt. Musurum enim excepit Antonius Fracinus Varchiensis, qui Aldina scholia edidit iterum et ita auxit, ut scholiastas recentioris aetatis eosque saepe ineptissimos homines adderet; quos

---

[40]) In codice Elbingensi tamen, Beckio teste Comment. I. praef. p. XXV, scholia eadem prorsus, quae Musurus collegit, iisdem fere verbis, nonnunquam tamen non ita prolixis reddita sunt. Quare vereor, ne non recte suspicatus sit Iacobs Anthol. Gr. VI, Prolegg. p. CXXIV. „Largam scholiorum collectionem possidebat, *cuius fortasse ipse auctor fuit*, M. Musurus“ cett.

[41]) Hemst. ad Plut. praef. p. XVII.

[42]) Ostendunt non tam verba ipsius Musuri antea exscripta, quam haec „*ἃ δὴ σποράδην ἐν ἀντιγράφοις κείμενα διαφόροις καὶ πεφυρμένως, συνείλεκταί τε καὶ ὡς οἷόν τ᾽ ἦν, ἐπιμελέστατα διώρθωται παρὰ Μάρκου Μουσούρου τοῦ Κρητός.*“ Hemsterhusius dubitanter loquitur.

unde receperit, non modo non dixit, sed etiam incertos sivit esse lectores, utrum ipse confecerit, an aliunde descripserit scholia. Ex Dorvilliano tamen codice sine difficultate intellexit Hemsterhusius, ea omnia esse ex Aristophanis exemplis petita [43]). Non est, quod recentiores scholiastas, doctum Bisetum, Bourdinum ineptum commemorem. Quae recentissimi editores praestiterint, cognitum est. Imm. Bekkerus nuperrime scholia eo ordine edidit, quo fabularum sese excipiunt tempora, ut ab Acharnensibus initium faceret, Ecclesiazusas ultimo poneret loco. Quod quidem institutum quum maxime sit in fabulis probandum, minus aptum tamen esse videtur in scholiorum editione, quia scholiastae alium sine dubio in scribendo ordinem tenuerunt. Ita Thomas Magister ad Plutum, Nubes, Ranas annotationes scripsit, et crebro in posterioribus fabulis ad ea, quae antea dicta sint, provocavit [44]).

Utilissimum igitur ac necessarium esse censeo, ante omnia Thomae Magistro sua reddi et reliquis scholiastis, quorum nomina inveniri possunt. Codicem Elbingensem scimus ab Aristophanis vita a Thoma Magistro scripta incipere eiusque scholia continere [45]). Excerpta scholiorum in Aristophanem ex cod. msto Vaticano MCCXCIV ferunt, Kustero teste, nomen Thomae Magistri, excerpta ex cod. Urbinate CXLI in eadem bibliotheca Ioannis Tzetzae [46]). Alia sciens omitto.

At licet etiam longius progredi. Thomam enim Magistrum et Ioannem Tzetzam illis annumerare cogimur grammaticis, quorum fides et auctoritas non magna est. Neque quae tradunt aliunde

---

43) Cfr. Hemst. ad Plut. praef. p. XVII. p. 88 ad v. 69 et alibi.

44) Hoc modo explicanda sunt scholiastae verba ad Plut. 210. „ἐν Δαναΐσι — ἐροῦμεν δ' ἐκεῖ τὰ περὶ αὐτοῦ", ex quibus verbis Hemsterhusius p. 366 verissime colligit, in scholiastae exemplo Danaïdes a Pluto esse exceptam. Quanquam equidem rem totam miram mihi esse confiteor, ut paene mendacium grammatici superbi his contineri suspicer.- Idem praeterea est de nota ad v. 1012 scripta sentiendum, quam idem Hemsterhusius longe aliter explicuit. Hinc enim liquido, ait, conficitur, commentarios ad primum Plutum elucubrasse Symmachum. Quodsi sumimus Symmachum eundem ordinem fabularum esse secutum: res erit plane alia. Sed mox de hac re plura erunt dicenda.

45) Beck Comment. ad Arist. praef. p. XXV.

46) Kust. praef. fol. 8.

acceperunt, nisi ab antiquioribus illis enarratoribus, quos excerpebant, suisque augebant. Saepe autem non difficile est, quae ad antiquos, et ad recentiores referenda sint grammaticos, discernere. Adsunt enim lexicographi, qui aut ante illos aut cum iis viventes iisdemque libris usi, ex parte magna integra et incorrupta omnia ex adnotationibus ad Aristophanem ab antiquis grammaticis compositis in sua lexica transtulerunt. Imprimis inter eos Suidas est adeundus et cum nostris scholiis comparandus. Non est huius loci antiquum certamen, quod de aetate Suidae gestum est, et vita, renovare [47]). At exemplis docebo luculentis, quomodo scholiastae in veterum commentariis in suam rem vertendis versati sint.

Hemsterhusius animadvertisse sibi visus est, quae ad *Plutum* extent scholia locupletiora esse, quam quae Suidas habuerit [48]). Apparebit posthac, quam libenter hanc rationem sequar. At si Hemsterhusii mentem recte assequor, is in errorem incidit. Nam ita colligere videtur, ut dicat, quoniam in Suidae lexico pauciora reperiamus, quam in Pluti scholiasta, Suidam non tam locupletibus, quam nos, usum esse scholiis. Equidem contra, consulto interdum lexicographum omisisse, quae in lexicon recipere nollet, aliorum commentationes, pro comperto habendum arbitror. Imprimis me mirum habuit viri magni ad v. 947 annotatum, in quo Suidam, quia nihil ex scholiis excerpserit, multo brevioribus, quam nunc publicentur, ad postrema Pluti scholiis usum esse affirmat. Nam quum Suidae verba doceant, eadem de re eum aliunde exscripsisse scholium, quod versus appositus ostendit: ipsa caussa adeo, quare hanc simillimam notam omiserit, cogitari potest. Sed his levioribus rebus missis, rem nobis ostendendam aggrediamur.

Duo sunt imprimis, quibus ut suam sententiam probet utitur Hemsterhusius, loca, quae opinionem meam egregie fulciunt. Comparanti enim Suidae verba s. v. *καταχύσματα* dicta

---

47) Alii enim negarunt omnino, Suidam fuisse lexici auctorem, Fl. Christ. in Aristoph. Pac. 427. Vossius de hist. Gr. II, 16. Alii eum decimo, alii undecimo et duodecimo saeculo admovent.

48) cfr. Hemsterh. ad Plut. p. 16, 197, 258, 328, 386, 418, alibi.

cum scripto ad v. 768 scholio, primo adspectu apparebit, scholiastam antiquam veteris scriptoris animadversionem suo modo exposuisse, alia abiecisse, aliaque addidisse: ut quid veteris sit, quid recentioris, accurate iudicare possimus. Nisi egregie fallor, sunt omnia ex dialogo excerpta nescio cuius scriptoris. Posteaquam unus eorum, qui colloquebantur, ea dixerat, quae a verbis ἔθος ἦν Ἀθηναίοις usque ad τῆς κόρης leguntur; alter respondet „εὖ πάνυ λέγεις" et sequentia addit „σύγκειται δὲ" cett. Noster enarrator, quem Thomam fuisse Magistrum arbitror, pauca mutavit; scripsit ab initio „πρὸς τὸ ἔθος τὸ παρ' αὐτοῖς" et quae sequuntur; ac pro „εὖ πάνυ λέγεις" haec habet „ἐπεὶ οὖν καὶ ὁ Πλοῦτος ἐν πρώτοις εἰσέρχεται, τοῦτό φησι"; deinde iterum ad veteris scriptoris verba redit; denique sua adiicit, quae vilioris esse pretii Hemsterhusius ipse est professus. Non negari potest, quae praeter Suidae verba Thomas habet, ea nihil suppeditare, quod non nostrae quoque aetatis doctrina aut eodem aut meliore modo expediri possit. Alterum non minus praeclarum eiusdem rei testimonium praebet nobis scholium, quod ad v. 1111 legitur. Suidas simplicia antiqui enarratoris verba notavit „τουτέστιν ἡ γλῶττα τῶν θυομένων τῷ Ἑρμῇ δίδοται· Καλλίστρατος δέ φησι, τῶν θυομένων τὰς γλώττας κήρυξιν ἀπονέμεσθαι", quae cum ipsis poëtae verbis collata tam perspicua sint, ut ne minimae quidem tenebrae oboriri possent. Thomas autem Magister vel quicunque est nostri scholii auctor, primum addidit ante Callistrati commemorationem „ἐπειδὴ θυομένων δεσπότης ἐστὶν, ἢ καταρωμένων ἀπ' αὐτοῦ ἡ ἀρχή", et in fine meras ineptias adiecit, quas omnes Hemsterhusius summa cura et diligentia, et paene dixerim reverentia contemplatus, corrigit et emendat. Potuit sane corruptela nostri enarratoris sententiam obscurare, sed tanta magistelli nostri levitas videtur, ut nullum peccatum committamus, si eum ipsum non studuisse sumimus, ut veterum enarratorum sententiam assequeretur [49]).

---

[49]) Similiter ea, quae enarrator ad v. 594 dixit, inter ipsum et antiquum grammaticum sunt dividenda. Posterior pars ad antiquum, prior ad recentiorem enarratorem pertinet. Non est negandum enim,

Tertium praeterea addo exemplum. Scholiasta ad Plutum, v. 1012, Symmachi et Didymi scholia, ipsis utriusque enarratoris verbis servatis notavit. In Suidae autem lexico s. v. *νιττάριον* eadem reperiuntur, Didymi nomine omisso, Symmachique et Didymi verbis ipsis in partes vocatis. Iam si ea, quae ex Symmachi libris allata sunt a lexicographo et scholiasta, inter se comparamus, praeter minora scripturae vitia scholiastam videmus Symmachi verba paucis additamentis auxisse. Dum enim Suidas ita loquitur „*Σύμμαχος δέ φησι, νίτταρος πολὺς ἐπὶ μαλακίᾳ ὀνειδιζόμενος καὶ βάττιος. καὶ τὰς μικρὰς καὶ θηλείας βαττύλας ἐκάλουν, καὶ Θεοπόμπου δρᾶμά ἐστι βαττύλη*“ cett. (*βαττύλας* enim scripsi ex Basileensi editione a. 1544, et ex H. Stephani coniectura in Thes. L. G. Ind.), legimus apud scholiastam „*ἐν τοῖς ἑξῆς δράμασι*“ post vocem *ὀνειδιζόμενος* additum. — Nota est praeclara Bentleii, viri vere divini, versus Aristophanis emendatio: illi simillima, qua in Horatii Epistolis idem nitedulam pro vulpecula posuit, quam nollem nuper a Iacobsio impugnatam, a Th. Schmidtio e textu eiectam. Summo igitur iure post Hemsterhusium ceterosque editores B. Thierschius meus (p. 207) eius emendationem recepit, et praeterea praeclare vitii originem detexit. Sed Bentleius coniecturae suae veritate incitatus nimis acriter, ut in Didymum, ita in Symmachum invehitur, quos ea scripsisse perhibet, ne nihil dicendo ignorantiam suam faterentur. Si vere sentio, Thomas Magister vel quicunque est ille enarrator, quem nos legimus, additamento suo magis omnes editores, ipso Bentleio et Hemsterhusio non exceptis, in errores traxit.

Accedit, quod recentior grammaticus ea verba non intelligebat, atque ita interpretari videbatur „*Νίταρος καὶ Βάτος ἐν-*

---

ultima verba „*ἀπὸ τῶν ἱερῶν γὰρ οἱ πτωχοὶ ζῶσιν*“ a Suida videri aut abiecta iudicio, aut fortuito excidisse; quanquam possunt eadem a recentiore addita esse. — Eodem modo ad v. 886 quae adiecta sunt a posteriore, a superioribus discerni possunt. Quamobrem non credo cum Hemsterhusio *δὲ* post *εἰρεσιώνη* abigendum esse, sed coniungentis duo scholia prodere manum; eiusdem, cui debentur postea haec verba „*ἔστι δὲ μέτρον, ὃ νῦν καλοῦμεν*“. Neque aliter ad v. 17 Thomae manus agnoscitur in his verbis „*τὰ λεπτὰ σκεύη*“, *παρὰ τοῖς παλαιοῖς* et al.

δρες ἦσαν θηλυπρεπεῖς καὶ ὡραῖοι“ Hemst. p. 361. Nisi egregie fallor tantum abest, ut Symmachus de homine quodam cogitaverit, ut Bentleii sententiae faveat multo magis, quam adversetur. *Νιττάριον* per iotacismum e *νηττάριον* ortum primo loco ponit et ita explicat „*πολὺ* vel *πολλάκις ἐπὶ μαλακίᾳ ὀνειδιζόμενος*“, quod de anate, avi molliore, dictum est; dein ad alterum transit vocabulum „*βάττιον* (pro *φάττιον* ex dialecti diversitate Hdt. 7, 73. Koen. Greg. Cor. p. 285) additque „*καὶ μικρὰς καὶ θηλείας βατύλας ἐκάλουν*“, quod non est mutandum et de parvis columbis intelligendum. Iam ex didascaliis solis cognovit Theopompi *βατύλην*, cuius nulla extant fragmenta, cfr. Meinek. Quaest. Sc. II, 42. — His expositis simul concidit Hemsterhusii coniectura, p. 336, Symmachum ad primum Plutum elucubrasse commentarios. Temerarium enim Thomae additamentum legimus, non ipsa Symmachi verba. Hanc ob caussam antea suspicatus sum similem ad v. 210 temeritatem; quam si mecum agnoscit G. Dindorfius, scholia ad Danaides scripta esse non coniiciet postea, de fragm. p. 126.

Haec quum ita sint, comparatione scholiorum cum lexicographis accurate instituta, si novum aperiri campum suspicor, qui futuro criticae historiae fabularum Aristophaniarum enarratori multa susceptae rei adiumenta ostendat, me non temere augurari puto; si modo constat inter eruditos, veteres illos grammaticos melius potuisse quam nos ipsos de rebus ad Graecam antiquitatem spectantibus iudicare. Hucusque profecto legere omnia potuimus, sed additamentis seriorum ex parte obscurata, ex parte corrupta et maculata. At nondum omnia, quae dicenda esse credimus, absolvimus.

Etenim non raro ipsorum antiquorum criticorum verba nobis servata esse censeo: idque imprimis in illis fabulis, quae rarius manus scholiastarum et grammaticorum expertae sunt. Caussam meam tenebo uno exemplo sunt allato. Edita sunt nuper ex cod. Ravennate scholia ad Thesmophoriazusas, iam pridem excerpta [50]), sed nunc demum plene descripta ab Imm. Bekkero. Ea ex mea sententia interdum quidem sunt a seriore gramma-

---

50) In Dobrei Appendice ad Ric. Pors. not. in Aristoph. p. 95.

tico mutata, sed multo saepius veteris enarratoris manum ipsam ostendunt. Adesse enim quaedam, quae sint a posteriorum quodam immutata, docet comparatio scholii ad v. 94 cum Suida s. v. *πυραμοῦς*; docent praeterea loci, in quibus eadem res prolixius et brevius simul exponitur, ut aperta sit excerpentis manus, ut ad v. 1 et 21 aliosque locos complures. Sed maximam partem scholiorum veterem enarratorem prodere, id docet tota eorum indoles. Legas modo ab initio usque ad finem omnia; concedes haud dubitanter, ea omnia eodem modo scripta, eidemque homini deberi. Accedent externa testimonia, quae rem conficiunt. Si recte coniicio, omnia quae legimus, sunt ex maiore quodam libro excerpta, aut sine mutatione aut paucis aliter dictis ex antiquo commentario hausta. Hinc factum esse videtur, ut excerptor, quae brevius ante ex illo sumpserat, postea, quum brevitatis eum poeniteret, prolixam scriptoris disputationem adderet, ut ad v. 21. Ante omnia nobis inter se conferenda sunt, quae noster enarrator ad v. 393 posuit, ac Suidas s. v. *οἰνοπίπας* notavit. Quod verba „*ἐγὼ δὲ οὐχ ὁρῶ*" apud utrumque occurrant, inde colligo, enarratoris antiqui verba esse exscripta; dein quod Suidas ab initio plura habet, „*φησὶ τὰς τοὺς οἴνους περισκοπούσας, ὡς Ὅμηρος παρθενοπίπας*"· eum qui haec scholia addidit Ravennati codici, non omnia exscripsisse patet. Inserviunt enim sane supplendo scholiastae, quanquam nihil novi adiiciunt, et quare qui in usum suum praestantissimi libri in marginibus ea posuit, ab initio praetermiserit, nos docent perspicue. Addo aliud quiddam. Qui auctores sunt scholiorum nostrorum, eos codicibus nostris esse antiquiores solere, nemini est incognitum. Rem igitur pervulgatam docebo, si Ravennatem codicem ad enarratoris tempora non adscendere, ostendero. Nam in v. 393, de quo hucusque disputavimus, scriptura reperitur *οἰνοπότιδας*, non aliter ac manuscriptis in aliis libris omnibus [51]). At quae apposita legitur adnotatio longe aliam explicat scripturam *οἰνοπίπας*, unde sequitur diversis esse temporibus codicem scriptum, factamque

---

[51]) Id ex Bekkeri exemplo coniiciendum est, qui *οἰνοπότιδας* recepit, et in notis nihil de Ravennatis scriptura dixit, cfr. ei. praefat. p. VI.

eius enarrationem [52]). Non satis certa est Ravennatis codicis nobilissimi aetas, quem, ut in eius fronte scriptum legitur, Cyrillus Martinius ad saeculum decimum traxit; Invernizius uno duobusve saeculis antiquiorem existimavit; Bekkerus denique, iudex harum rerum peritissimus, cur antiquior putetur saeculo undecimo, nihil esse caussae ait [53]). Quomodocunque statuis, eum qui haec scripserit, non ad novissimos pertinere, eumque qui scholia composuerit vel antiquiorem esse concedes. Ceterum ego quoque, licet nec Bekkerus, nec alius editorum quisquam scholiastae scripturam receperit, quanquam iam ex Suida cognitam, ut cum Kustero eam probem et veram putem in textumque ipsum admittam, facile adducor [54]).

Quae si vere disputata sunt, ut verissima mihi quidem videntur esse, de hoc quidem scholiasta, quantum non est scripturae vitiis corruptus [55]), et de eius dignitate et fide iudicium ferre, non erit difficile. Ubi enim suam ipsius profert sententiam, semper docte loquitur atque recte antiquiorum opiniones aut firmat sua assensione aut dissensione sua refellit. Monendum tamen est, me non loqui tam de verborum et dicendi rationis Aristophaniae interpretatione, quam de rerum et historiae enarratione. Quanquam is ipse locus, quem hactenus tractavimus, interpretationis indolem hominis comprobat, quia vere contra Symmachum disputavit, vocisque *οἰνοπίκας* originem non a voce *πικίζειν* repetiit, sed eam cum *παιδοπίκας*, *παρθενοπίκας* similibus com-

---

[52]) Adnotationi enarratoris Bekkerus ex eodem codice aliam adiecit. „*Ἄλλως. τὰ πλεῖστα οἰνοπίκους ἔχει ἀντὶ τοῦ τὰς μεθύσους ἀπὸ τοῦ πικίζειν, ὅπερ ἐστὶν ἐκμύζειν*“, quibus alia inest et diversa eiusdem vocis interpretatio, quae aliunde addita videtur. Quod autem lectionem *οἰνοπότιδας* novit enarrator, inde non poteris meam coniecturam refellere.

[53]) cfr. Inverniz. praefation. et Bekkeri p. VI.

[54]) *Οἰνοπίκας* enim cum Aristophanis indole optime convenit. *Οἰνοπότιδας* autem propter sequentem vocem *τὰς προδότιδας* oriri facile poterat.

[55]) „Scholiastae Ravennatis verba ad Thesmophoriazuson v. 32 sic fuisse antiquitus scripta contendo: *ἐπειδὴ οὐ πάλαι ἤρξατο διδάσκειν, ἀλλὰ ἓξ πρὸ τούτου ἔτεσιν.* In libro Ms. est *τρισίν.*“ Haec verba in sententiis controversis, Halae nuper propositis, protulit Fr. Ritschl, vir doctissimus. De quibus postea disputabimus.

paravit [56]). Pugnantem eum deinde videmus cum Aristarcho et Didymo ad v. 81 propter Agathonem, quia illi Agathonem *μέλαν* et *καρτερὸν* esse crediderunt, ipse autem eandem ob caussam, quia neque *μέλας*, neque *καρτερὸς* esset, irrideri putabat [57]). Qua in re verum vidisse nostrum, aberrasse autem et in errores incidisse Aristarchum et Didymum, mecum omnes confitebuntur. Deinde eundem Didymum ad v. 162 praeclare refutat, Aristophanemque grammaticum, contra quem ille scripserat, defendit. Quaeritur enim, utrum *Ἀλκαῖος*, an *Ἀχαιὸς* illo versu ponendus sit. Aristophanes igitur veterem scripturam reiecit, quia de Achaeo, recentiore homine, sermo non esse posset, aliamque illam induxit primus. Didymus contra Alcaei mentionem ferri quidem posse contenderat, sed non celebris Lyrici illius, quia propter dialectum Alcaei carmina non legere potuerit Comicus [58]). Quam quidem opinionem, bis repetitam, tanquam maxime perversam reiicit et repudiat. Sed quo consilio rem per se claram multis explicemus, non video. Equidem profiteor, quaecunque accuratius inspexerim, ea omnia me aut pro veris habere, aut certe docte esse explicata credere [59]).

Scholiastae auctoritatem auget librorum, quos possidebat, copia, ex quibus aliorum quae opinio fuerit videre, et ipse deinde melius indicare poterat. Quanquam bene scio, multa ab eo laudata ad antiquiores etiam interpretes referri debere. Sed id ipsum, quod possidebat veteres enarratores [60]), Era-

---

56) cfr. schol. ad Equitt. 405. Etym. M. s. v. *καρθενοκίκης*, addita Peyronis adnotatione.

57) cfr. quod idem enarrator notavit ad v. 98. „*τοιοῦτον δὲ τὸν Ἀγάθωνα καὶ οἱ ἄλλοι κωμῳδοῦσιν*“, ex quibus verbis enarratoris sobrium iudicium ac simul eundem esse, qui maioris minorisque molis interpretationes scripserit, cognoscimus.

58) „*οὐ γὰρ ἐπεπόλαζε, φησί, τὰ Ἀλκαίου διὰ τὴν διάλεκτον*“, quae adnotatio maxime mihi et mira et memorabilis videtur.

59) Tempus, quo vixerit enarrator, indicatur praeterea inde, quod *ζητούμενα* saepe et *λύσεις* commemorat, eaque omnia multis verbis exponit. Tales res enim credo non ad recentiora tempora Tzetzarum, Eustathiorumque pertinere. Lege, accuratissime exposita quae reperiuntur v. 80 et alibi. — Dein id ipsum, quod suos nominat auctores, neque semper *τινές*, *οἱ δὲ*, *ἄλλοι* dicit, ostendit aliquid.

60) cfr. ad v. 516, 567, 162, 81, 917, 889 et ad alios versus.

tosthenem, Lycophronem, Aristophanem, Aristarchum, Didymum, Callistratum, Diodorum, Seleucum [61]), Symmachum [62]), quorum apud alios scholiastas raro iniicitur mentio, nonne maximi nobis esse videtur momenti? Ac licet ex iis hausisset veterum scriptorum locos, nonne tamen libenter eos commemoratos esse videbimus? Sed Aristophanis fabulas deperditas citavit Thesmophoriazusas secundas et Heroas [63]), Sophoclis Pelea et Aiacem Locrensem [64]), Euripidis Helenam, Stheneboeam, Te-

---

61) De Seleuco hoc ex scholiasta didicimus, quae antea prorsus incognita erant. Duobus commemoratur potissimum locis; ad v. 1175 *ἐν τῷ πρὸς Ζήνωνα προτατικῷ*, ad v. 840 *ἐν τῷ πρὸς Πολύβιον προτατικῷ*. Scribendum enim mecum nemo non videt pro *Ὁμηρικῶς*, quod Bekkerus dedit, *Ὁμηρικός*. Et nisi fallor prima verba *πολλάκις εἶπεν* a sequentibus separanda sunt, ut ad Aristophanem trahantur. Similiter ad v. 98. „*Κυρήνην, τὴν ἑταίραν, περὶ ἧς πολλάκις φησί*“, quanquam in nostris fabulis semel duntaxat, Ran. 1324 commemoratur; quare nemini mirum videbitur, quod quae ille saepe occurrere dicit, nullo praeter nostrum versum in loco leguntur. Iam pergit „*Ὅτι προβάλλει Ὁμηρικός*“ et quae sequuntur; ut ab *ὅτι* particula aliae quoque adnotationes incipiunt, v. 231, 274, 258, 585 alibi. Eius aetatem non male Menagius ad Diog. Laërt. III, 109. p. 166. (cfr. ad IX, 12) definit, qui ad Tiberii imperium eum refert. Ab Apollonio Dyscolo citatur ap. Bekk. Anecd. II, p. 608; praeterea ibidem I, 224. Confer de diversis Seleucis nostroque Homerico Suidam s. v., Ions. Hist. Ph. Scr. III, 3, p. 13. Vossium de Hist. Gr. p. 412.

62) Vellem, ut de Symmacho certiora dicere possem. Pluries eius mentio iniicitur, ut inter Aristophanis interpretes non minimum censeri debeat nomen; raro alibi occurrit; semel in Bekk. Anecdotis I, 224, 13. ubi Symmachus *ἄμεινον ὡς Σέλευκος* vocem *βατὴρ* explicuisse dicitur; semel in Etymol. Magno 200, 46. ed. Sylb. s. v. *βλιμάζειν*, ubi coniungitur cum Phaino. Suidas de eius vita tradidit nihil, nomen autem eius cum scholiastis Aristophanis non raro excerpsit. Quoties in nostris scholiis reperiatur, Stoeckerus de schol. p. 11 collegit. Addendum est, quod ex Ms. Leidensi in fine Avium fabulae servatum legitur „*παραγέγραπται ἐκ τῶν Συμμάχου καὶ ἄλλων σχολίων*“ cfr. v. IX, p. 439 ed. Lips. quibus ex verbis intelligimus, cur tam saepe in scholiis commemoretur. Ac praetermisit ille, quod in fine scholiorum ad Pacem scriptorum legitur „*κεκώλισται πρὸς τὸ Ἡλιοδώρου· παραγέγραπται ἐκ Φαείνου καὶ Συμμάχου.*“ In Pacis scholiis tamen semel tantum viri nomen reperitur; qua ex re videmus, nomine saepe omisso exscripta esse eius scholia. Symmachum esse commentatorem Aristophanis celeberrimum, inde videmus; sed quando vixerit, manet obscurum. Scholiastam ad Thesmophoriazusas esse ab Symmacho diversum ac postea vixisse, ostendit v. 393.

63) cfr. ad v. 274.

64) cfr. ad v. 21, 370.

lephum, Polyid.[65]); Cratini Idaea et Cleobulinas[66]), Aristomenis Goetas[67]), Eupolidis *Χρυσοῦν γένος*, Teleclidis *Ἡσιόδους*, Menandri, Eubuli aliorumque fabulas[68]). Praeterea, quod mihi quidem memoratu dignissimum esse videtur, Aristotelis didascalias manibus tenuisse videtur; quanquam non nego, fieri posse, ut dicta sua aliunde acceperit[69]).

His expositis, nisi fallor, viam ostendi, qua qui progrediuntur, indigestam scholiorum molem digerere et in ordinem redigere poterunt. Neque si quid video, ulla est dubitatio, quin tum demum, quum quis codicibus scholiorum inter se comparatis, additisque lexicographis, quorum in Aristophane explicando sine ullo dubio Suidas principem locum tenet, rem aggreditur, possit de verborum singulorum emendatione cogitari in eaque re magni aliquid et perfecti exspectari. Quod autem Suidae exemplo allato docui, augendum et amplificandum erit reliquis lexicographis, Hesychio, Etymologico Magno et Gudiano, illis qui a Villoisonio, Bekkero, Bachmanno aliisque editi circumferuntur, accuratissime comparandis. Nam quo accuratius et diligentius hanc collationem instituimus, eo certior potest de prima forma scholiorum sententia dici, quam ab eo acceperant, qui illa scripsit. In dies autem opes augentur nostraque de his rebus dicendi crescit facultas. Confiteor sane, laborem magnum esse, qui in tractatione veterum grammaticorum et lexicographorum suscipiendus, sed eum perquam utilem et ei necessarium, qui non obiter de gravissimis rebus iudicare scriptorumque praestantissimorum in modum scribarum augere velit exempla. Neque ne putidae diligentiae crimen nobis talia suscipientibus moveatur, timemus, qui hominum ingenio et doctrina affluentium exemplo, quale est Friderici Augusti Wolfii, at! quanti viri! incitamur. „Talem igitur incusationem nos quidem non perhorrescimus mirifice et cane peius et angue vitandam putamus.“

---

65) cfr. 855, 870, 404, 519.
66) cfr. ad v. 215 et 389.
67) cfr. ad v. 258.
68) cfr. ad v. 162, 168, 423.
69) cfr. ad v. 32, 84, 135, 162, 190, 1012.

Revertimur tandem ad ea, a quibus exorsi in hanc totam disputationem sumus ingressi. Vidimus antea, ad vitam Aristophanis enarrandam nihil superesse nobis, quod intactum a recentioribus et integrum ab omni parte ad nos perlatum, ab antiquo fideque digno scriptore profectum sit. Nihil, ne didascaliis quidem exceptis, ita aetatem nostram tulit, ut affirmare posses, nullam inesse corruptelam. Sumus igitur coacti ad ipsas Aristophanis fabulas reverti, eas cum vitis servatis comparare, et ita, quid verum sit, eruere. Quo in negotio scholiis adiuvamur quidem, sed quo minus semper certi progrediamur, forma eorum, quam nacta sunt, non raro impedimur. Undique igitur novae oriuntur difficultates, ut summa semper modestia et cautione agere, et quam possimus accuratissime omnia colligere et digerere debeamus. Hanc enim legem nobis statim ab initio scribimus ipsi, nihil quidquam admittendum esse, nisi quod testimoniis rationibusque certissimis confirmetur. Qua lege scripta, non raro eveniet, ut de quibus antea nulla orta erat dubitatio, ea maxime incerta esse ostendatur; et quae, qui ante nos eandem rem susceperant, scire sibi videbantur, ea iam me nescire appareat [70]).

Quae quum ita sint, turbidis recentiorum grammaticorum rivulis in partes quidem, sed ea lege vocatis, ut quae ex antiquitate acceperunt, quantum id fieri potest ab additamentis liberata praestemus: ipsum adimus semper Aristophanem, et quae is de se praedicat et coram Atheniensibus in theatro proposuit, pro verissimis accipimus. Ea enim est antiquae illius comoediae indoles, ut de se ipsi poëtae loquantur, adversarios accusent, sese defendant, ipsum populum spectatorem aut laudent aut reprehendant. Nemo tamen ignorat exspectari ita non posse veram, qualem cupimus, vitae enarrationem. Non poterimus igitur eos delectare, qui ex simplici rerum descriptione virum cognoscere eiusque fata legere cupiunt, continua oratione scripta. In abstrusiores contra mittimur disquisitiones, in vetera illa προβλήματα, et ἀπορήματα, quorum λύσεις quaerimus.

---

70) Quibus in rebus me consolantur maxime, quae Hermannus saepe verissime docuit, cfr. Opusc. I, p. 129 et alibi.

Universe igitur non enarrare vitam, sed de vita Aristophanis commentari volumus.

Hactenus autem ea tantum attigimus, quae ad hominis ipsius fata et res gestas pertinent. At non ea tantum quaerunt, neque ea potissimum audire cupiunt, qui Aristophanem diligunt eiusque comoediarum indolem laude sua celebrant. Quomodo enim factum esset, ut veteres illi scriptores tam pauca de vita Aristophanis monerent, et contra tam saepe de poëtae virtutibus enarrarent, nisi poëtae vitam in carminibus eius conspici credidissent. Qua tandem ratione recentiores omnes, qui Aristophanis carmina summo studio legerunt, et didicerunt, de vita viri tacuissent: qui ceteris in rebus sese non socordes praebuerunt, in vita describenda indiligentes fuissent: nisi veterum iudicia secuti, ipsi quoque maiorem curam ipsis fabulis esse impendendam censuissent. Age igitur, nos quoque, si operose quae de vita commentati sumus, collegimus, artem poëtae cognoscere et quantum licet, describere studeamus.

XV.

Aristophanes patre natus est Philippo. Id tanta omnes, qui patris nomen chartis mandarunt, tradidere consensione [71]), ut eos antiqui nescio cuius scriptoris testimonio usos esse verisimillimum videatur. Indoctam enim Porphyrionis temeritatem si mitto et praetereo, qua ille Bionem Aristophanis patrem putavit, vel ut verius dicam, ignorantia sua deceptus comicique poëtae gloria obcaecatus Bionem hominem facetum facetissimi Aristophanis patrem fuisse suspicatus est: eam igitur si contemno et despicio, nulla mihi opus erit venia [72]). Neque tamen Philippi nomen omni controversia caret. Albertus enim Fabricius et post eum alii, dubitantes ipsi aliisque moventes dubitationem, sive Philippi sive Philippidae filium fuisse poëtam litteris consignarunt [73]). Dubitandi autem materiam satis uberem illis praebere videbatur Aristophanis effigies, quam Fulvius Orsinius primus in villa Medicea visam edidit et Achilles Statius, Bellorio et Iacobo Gronovio assentientibus, nostri poëtae esse censuit. Quae quidem effigies inscriptione, aperte haec nomina ferente „Ἀριστοφάνης Φιλιππίδου“, insignis est. Sed quod iam Fabricius pronuntiare non dubitaverat, effigiem commenticiam esse et veteri trunco aliunde superimpositam: id ex quo tempore Winckelmannius suo iudicio firmavit et fulsit, ratum est omnibus [74]). Iam quoniam aliunde petitum est caput hominis, truncusque, cui nomen inscriptum legitur, qua de caussa cum capite coniunctus sit, prorsus incertum manet; et plures vixisse

---

71) cfr. Anon. de vita, et de comoedia; Anon. Plat. scholiastam et Thom. Magistr. ll. ll.

72) cfr. p. LIV, n. 12. Adde Lil. Gyraldum de poët. histor. dial. VII, p. 381, qui rem primus notavit.

73) Fabric. Bibl. Gr. l. II, c. XXI, p. 669, coll. XXII, p. 742 s. v. Philippus. Mohnike Gesch. d. Literat. I, p. 459.

74) Gronov. Thesaur. antiquit. graec. Tom. II, tab. 68. Winckelmann, alte Denkmäler der Kunst II, p. 114 ex ed. Brunn.

Athenis Aristophanes [75]), constat: vix erit, qui de nostri poëtae patre ex eo monumento solo certa colligere audeat. Sed accedere videtur, quod longiori nominis formae quodammodo favet, aliud testimonium.

Est enim in more positum institutoque maiorum apud Athenienses, ut filiis primigenitis avorum imponant nomina [76]). Cui quae obsequebantur familiae consuetudini, efficiebant, ut longa interdum serie eadem semper mutuo nomina recurrerent [77]). Historiarum perscrutatores magno opere nunc adiuvantur hoc more, nunc impediuntur; impediuntur, quia nesciunt saepenumero, utrum de avo, an de nepote veteres scriptores loquantur; adiuvantur autem, quia ex nepotis nomine non raro avi nomen eruere possunt. Inter Aristophanis autem filiorum nomina, quae memoriae posteritatis tradita inveniuntur, apud omnes scriptores, qui patrem commemorarunt, nomen extat Philippi, non Philippidae; ut huic cognominem avum fuisse credere cogamur. Sed Athenaeus ubi Eubuli fabulam quandam (*ἐν Ναννίῳ*) excitat, ex optima atque a Schweighaeusero recte probata Corayi coniectura, haec verba dixit „*εἰ Εὐβούλου τὸ δρᾶμα καὶ μὴ Φιλιππίδου*" [78]) movitque Meinekium, V. C., ut nominum similium commutationem, quam saepe notaverat, a librariis admissam esse hoc ipso in loco suspicaretur, et pro *Φιλιππίδου* reponere iuberet *Φιλίππου* [79]). Quam ob caussam adduci possimus non difficile, ut de Aristophanis filio sermonem esse rati longiorem formam veriorem credamus, scribendique rationem in monumento illo repertam, simul cum ipsa nominis scriptura, quae in Athenaei libris conspicitur, non improbemus. Sed videndum est, quam mutationis caussam Meinekius protulerit. De Aristophanis filiis inter veteres nemo gramma-

---

75) Eos enumeravit Fabric. l. l. p. 670 seq.

76) cfr. quae congesserunt de hoc more Harlesius 1768, et Sturzius 1802, de Graecorum nominibus.

77) Ita Callias novimus et Hipponicos, quos ridet Aristophanes in Avv. 283 „*Ἱππόνικος Καλλίου κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας*". cfr. schol. ad Nubb. v. 64.

78) Athen. p. 568 f. Schweigh. Animadvv. VII, p. 71.

79) Meineke in praef. ad Menandr. et Philem. fragmenta p. XI.

tico accuratius exposuit, qui Platonis Socratis defensionem explicare tentavit. Is autem rettulit, Philippum Eubuli Comici fabulas in certamen commisisse. Quum de Ararote paullo post loquatur, eumque non patris solum fabulis sed suis ipsius certasse liquido testetur: videmur recte ac iure nostro affirmare, Philippum ex grammatici sententia nullas ipsum condidisse comoedias [80]. In Suidae tamen lexico commemoratur Philippus, comicus poëta, his verbis adiectis: *„τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι κωδωνιασταί, ὡς Ἀθήναιος ἐν δειπνοσοφισταῖς“*; quae unde hauserit lexicographus nescimus, quia nihil unquam est ab Athenaeo de fabula *κωδωνιασταί* inscripta dictum, quantum nobis ex ea parte libri, quam plenam tenemus, iudicare licet. Accedit, quod comici poëtae, Philippi nominati, nusquam in Deipnosophistis mentio iniicitur, nisi loco uno, quo pro Ephippo Philippus perperam in libris nostris positus extat [81]. Casaubonus igitur Suidam ex falsa codicis sui scriptura *κωδωνιαστάς* suam repetiisse ratus, adeo locum, ex quo error natus fuerit, ex coniectura indicavit: sed quia ibi nihil de *κωδωνιασταῖς* dictum est, versus autem de Corona compositi afferuntur, Suidam non *κωδωνιαστάς* sed *κωρωνιστάς* vel *κωρωνιαστάς* scribere voluisse censuit: eaque coniectura sua sine difficultate Schweighaeuseri assensionem tulit [82]. Equidem non possum, quin profitear, talem emendandi et coniiciendi rationem, omni quae caret firmamento, mihi vehementer displicere ineptamque videri; quippe quae ne speciem quidem veritatis habeat. Primo enim statim adspectu inscriptio *κωρωνισταί*, alii *κωδωνιασταί* praelata, neminem non offendet, quia prior vix apte explicari potest; posterior, a voce *κώδων*, *κωδωνίζω* deducta, et notione cum *κωδωνοφόρος* collata, aptissimum nobis ostendit comicae fabulae argumentum [83]. At non raro factum est, ut a Suida

---

[80]) *„τρεῖς δ᾽ ἔσχεν υἱούς, Φίλιππον τὸν τοῖς Εὐβούλου δράμασιν ἀγωνισάμενον, καὶ Ἀραρότα ἰδίοις τε καὶ τοῦ πατρὸς δράμασι διηγωνισμένον“* cett. Plat. schol. p. 331.

[81]) cfr. Athen. VIII, 359 f.

[82]) cfr. Animadvv. Casaub. ad Athen. VIII, c. XV, ap. Schweigh. IV, p. 648.

[83]) *κώδων, κωδωνίζειν, κωδωνοφορεῖν κωδωνοφαλαρόπωλος*, et alia

ex Athenaei Deipnosophistis aliquid proferatur, quod in nostris exemplaribus non legitur [84]); idque nos miros non habebit, qui cogitamus, partem illius libri nobis ereptam interiisse, quam habuisse illum probabile est. Nunc tamen certum extat Anonymi illius fide non indigui testimonium, a Philippo scriptas non esse fabulas. Re igitur ipsa eo adducimur, ut aut errorem a Suida admissum suspicemur; — neque prorsus absonum esset credere, ex fabula Eubuli a Philippo in certamen commissa fecisse illum Philippi fabulam — aut alium eodem tempore extitisse comicum, qui idem nomen ferebat, sumamus. Quomodocumque id se habet, Meinekius anonymi scriptoris testimonio solo confisus, Suida neglecto, Philippidae nomen abiicere, eiusque loco Philippi, Aristophanis filii, ponere voluit. Equidem aliter iudicandum esse censeo. Etsi Philippus Eubuli dramata in certamen commiserat, tamen non poterat a posterioribus, qui id bene sciebant, auctor eorum vocari. Quare si de Philippo, Aristophanis filio, sermo fuisset, Athenaeus sine dubio non esset dubitanter locutus. Praeterea constat, Philippidem fuisse novae comoediae poëtam, Philoclis filium, saepe ab Athenaeo et Suida commemoratum et satis celebrem. Is non est commutandus cum alio Philippide, qui unus ex iis dicitur, qui rempublicam administrassent, et gracilis admodum homo fuisse et ab Hyperide oratione accusatus esse et in proverbium abiisse fertur [85]). Quid est, quod nos impediat, quominus eum credamus a quibusdam *Ναυνίου* fabulae auctorem esse nuncupatum? Eodem enim modo de fabula *Καμπυλίων* inscripta dubitatum est, utrum ad Eubulum, an ad Ararotem, secundum Aristophanis filium, per-

---

huius vocis composita frequenter in Aristophanis fabulis occurrunt, cfr. Pac. 1079. Ran. 79, 723, 963; Av. 842, 1160. ubi conferend. scholiastae. Ac fortasse hoc vocabulum indubitanter nostri lexicographi libris suis inserere possent. Nam quanquam fabularum tituli nova interdum vocabula continent, possunt tamen interdum ex ore hominum de plebe hausta esse vel vulgari sermoni deberi.

[84]) Cfr. Meinek. Q. Sc. II, 14, n.

[85]) Schweighaeuserus miscuit utrumque, v. Ind. Auct. p. 167, 524, lapsus ille, ubi Suidas Athenaeo rectius usus erat, bene qui utrumque discernit. cfr. Athen. XII, 552, d. e. Lilius Gyraldus dial. VI, 349 nihil de gracili poëta Philippide compertum habebat.

tineat auctorem [86]). Hoc autem si sumimus cui nihil adversatur, ut de filii, ita de patris Aristophanis nomine omnis concidit dubitatio.

Quoniam semel hac in quaestione ad Philippum filium devenit oratio nostra, praeterea monemus, antiquam fuisse quaestionem, utrum idem sit, an alius homo, a quo mimos scriptos esse memorat Themistius ad Aristotelem [87]), et quem eodem loco κωμῳδοδιδάσκαλον nominatum reperimus [88]). Extat autem Philippi scurrae commemoratio apud Xenophontem in Convivio, quem eundem duobus locis Athenaeus nominat, ac primo quidem inter mimos, secundo loco inter scurras rettulit [89]). Scurrae Philippi meminit quoque Maximus Tyrius [90]). Matro apud Athenaeum, ubi de parodis et loquacibus nonnullis hominibus loquitur, ait, „*Εὔβοιός τε καὶ Ἑρμογένης καὶ δῖοι Φίλιπποι*"; quare coniicit Schweighaeuserus, nomen Xenophontis scurrae eum in animo habuisse [91]). Iam si haec omnia componimus, et cogitamus imprimis inter mimos ab Athenaeo Xenophontis scurram Philippum in eo memorari libro, cuius epitomen tantum possidemus: primum ad eam fertur animus coniecturam, ut locum indicare possimus, ex quo Suidas comicum suum poëtam Philippum hauserit; dein ut putemus, Themistium de eodem loqui viro, Comico simul et scurra. Illa igitur, quam supra memoravi, quaestio ita ad nos redit, utrum Philippus apud Suidam ex Athenaeo sumptus Comici nostri sit filius, necne. Neque dubito ego affirmare, viros esse diversos; et aliis rebus commotus, et eo, quod Suidas, qui Ararotem et Nicostratum Aristophanis filios appellat, in Philippi vita de hac re prorsus tacet.

Aristophanis ipsa adeuntes carmina nihil de eius patre au-

---

86) Cfr. Athen. VII, 295 e. XIII, 571 f. XI, 471 e. XIII, 562 c.

87) Them. ad Aristot. de anima I, c. 8.

88) Lil. Gyrald. de poët. hist. dial. VII, p. 403 seq.

89) Athen. I, 20 b. XIV, 614 c. d. In edd. libris hoc in loco pro Philippo Philippidem appellari, nihil nos movet, quoniam in scriptis libris, ut apud ipsum Xenophontem, recte Philippus extat.

90) p. 49. cfr. Fabric. bibl. gr. II, XXII, p. 742 in Comicorum deperditorum indice s. v. Philippus.

91) Athen. XV, 697 f. Schweigh. Ind. Rer. p. 530 s. v. Philippus.

dimus, qui Philippos risit adeo pluribus fabulis [92]); atque a Dionyso se nutritum esse gloriatur [93]). Extat autem in Aristophanis vita ab anonymo scriptore profecta narratio quaedam, quae iam vivo poëta de patre malitiose dubitatum esse ostendit. Is igitur ita loquitur, „ὡς ξένον δὲ αὐτὸν ἔλεγε (Κλέων) — ἀπολυθῆναι δ' αὐτὸν εἰπόντα ἀστείως ἐκ τῶν Ὁμήρου ταῦτα·

μήτηρ μέν τέ μέ φησι τοῦ ἔμμεναι· αὐτὰρ ἔγωγε
οὐκ οἶδ'· οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω

δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγε." Unicuique haec legenti primo apparebit adspectu, ita sese defendere non potuisse Comicum, nisi tali a Cleone lite intenta, eum qui eius pater nominetur, non esse patrem; sed consuevisse matrem cum alio quodam homine, eoque peregrino nec in Atheniensem civitatem recepto. Tota res ut est neque ab Atheniensium more aliena, neque Cleonis indoli ac naturae non accommodata; ita pluribus argumentis confirmari videtur. Ac primum quidem scriptor, qui rem refert, eam ab aliis doctioribus ideo accepisse videtur, quia non intellexit: quippe qui propterea ius civitatis poëtae esse impugnatum credat, quia Philippus Aegineta fuerit; et tum hanc narrationem proferat, qua a Cleone nihil dubitationis de Philippi iure motum est, sed de iure Aristophanis. Dein cohaeret sine dubio, quod Suidas tradidit „τινὲς δὲ αὐτὸν καὶ ἀπόδουλον ἱστορήκασι." Denique ab ipso Aristophane confirmatur, qui ex hac lite poëtae a Cleone illata nihil nisi iocos et facetias exspectasse homines, in Vespis fabula his versibus rettulit,

ὅτ' ἀπεδειρόμην,
ἐκτὸς ἐγέλων μέγα κεκραγότα θεώμενοι
οὐδὲν ἄρ' ἐμοῦ μέλον, ὅσον δὲ μόνον εἰδέναι
σκωμμάτιον εἴ ποτέ τι θλιβόμενος ἐκβαλῶ.

His caussis adductus, rem esse per se non improbandam credo; quanquam bene scio, in talibus rebus excogitandis et fingendis Graecos maxime fuisse ingeniosos, a quibus nullum nullius ge-

---

92) Arist. Avv. v. 1701 et Γεωργοῖς, ut schol. ad hunc versum docet.
93) Id. Nubb. 519 „νὴ τὸν Διόνυσον, τὸν ἐκθρέψαντά με."

neris abest mendacium. Philippum igitur hac defensionis via patrem suum esse evicit poëta suisque iudicibus persuasit. De tota autem lite Aristophani illata postmodum pluribus disputabimus. Est inter recentiores, qui narrationem huius scriptoris in fabulis numerat, eamque ingeniose et facete excogitatam, rerum autem veritati non accommodatam esse censuit. Loquor de G. Dindorfio, qui hanc de Aristophanis patre quaestionem in commentatione de Babyloniis attigit [94]. Equidem non tam ineptam esse, quam illi visum, narrationem arbitrer.

De matris nomine nihil nobis traditum est. Quid de vitae scriptoris coniectura statuendum sit, poëtam in fabula quadam coniugis meminisse, quoniam neque fabulae titulus, qua id fecisse dicitur, cognitus est, neque quo modo ipsi versus, quos conservavit solus, interpretandi sint, scimus: hodie non diiudicabitur. Verba ipsa sunt haec:

τὴν γυναῖκα δὲ
αἰσχύνομαι τώ τ' οὐ φρονοῦντε παιδίω,

a vitae scriptore propter filiorum numerum potissimum allata, et ut supra indicavi, ab antiquiore homine accepta [95]).

Restat ut de loco, quem parentes Athenis tenuerunt, ceterisque rebus dicam nonnulla. Quod quidem argumentum aggressurus, frustra unde, quae scire cupio, accipiam, circumspicio. Certis testimoniis privatus nihil neque dicere neque negare possum. At si in his coniecturae est locus, quum filium hominem vere eximium Atheniensibus educaverint, qui ubi primum in urbe patria eius nomen innotuit, summa se gloria ornaverat ipse, ingenii non minus praestantia conspicuus, quam studiorum insignis nobilitate: parentes equidem non infimo loco natos neque ignobiles homines fuisse crediderim. Neque si primum eius in theatrum ingressum, aut totam eius vitam, quan-

---

[94]) Dindorf. fragm. Aristoph. p. 54 seqq. Similiter de sese ipso loquitur Lutherus „Ego natus sum in Eisleben baptizatusque in S. Petrum ibidem. Haec non memini, sed parentibus et patriae hominibus credo" Luth. Werke Th. I, epp. 227.

[95]) Dindorfius hos versus in fragmentorum collectionem recepit, fr. 487, p. 203.

tum id licet, contemplor, pauperes eos fuisse et ad illiberalia negotia coactos, mihi persuadere queo. Omne enim a nostro poëta abest commodi sui studium. Accedit, quod comicorum poëtarum facetiae in nostrum poëtam fusae, quas nobis tradidit antiquitas, omnes ita sunt comparatae, ut nihil contineant, quod in parentum irrisionem spectet. Ex ipso autem Aristophane notum est omnibus, quoties illa aetate Comici a parentum infamia filios notabant; qui ipse Euripidis matrem aliorumque parentes non raro perstrinxit [96]).

XVI.

Venio nunc ad aliam quaestionem, quae est de aetate Aristophanis. Eam qui diiudicare studet, si quas inter Olympiadas contineatur universe poëtae vita, scire cupit, sine magna difficultate negotio suo satisfaciet; sic autem quo anno natus et mortuus sit, reperire tentat, licet diligentissime rem pertractaverit tamen fortasse spe irrita facta abibit. Etenim ipsi veteres scriptores nihil de huius viri aetate compertum habuisse videntur, qui neque quot annos natus primam comoediam docuerit, neque quo vitae anno mortuus sit, neque quidquam aliud, ex quo colligere certa nobis liceat, memoriae tradiderunt. Quare nos quoque nihil nisi ambitum vitae, quam accuratissime fieri potest, indicare nobis proposuimus.

Vixit Aristophanes ab Olymp. octogesima quarta ad centesimam usque Olympiadem.

Quando Ar. primam ediderit Athenis comoediam, pluribus testibus constat, qui rem facile ex Aristotelis didascaliis cognoscere poterant. Cum anonymo enim de comoedia, qui Daetalenses primam fabulam ad Diotimum archontem (hoc est ad Ol. 88, 1) refert, et Cyrillus consentit, qui libro contra Iulianum scripto, Olympiade octogesima octava Eupolin, Platonem

96) Cfr. quae Lessingius de Sophoclis parentibus in vita huius Tragici disputavit, n. C. p. 23 seqq. Iam scholiasta ibi allatus ita conieccerat „ἀλλ' οὐδ' ἂν ὑπὸ τῶν κωμῳδῶν ἄδηκτος ἀφείθη, τῶν οὔτε Θεμιστοκλέους ἀποσχομένων."

et Aristophanem prodiisse tradit [97]): et G. Syncellus [98]), qui eidem Olympiadi eum adscribit. Sed quot annos eo tempore natus fuerit, mihi esse incompertum fateor. In Nubibus fabula obiurgat poëta in pulcherrima parabasi, quam dicunt, spectatores, quia quos elegantes et sapientes comoediarum iudices putasset antea, nuper quum ea primum doceretur fabula immerito victoriam de ineptis hominibus deportandam eripuissent. Simul monet eos, quam bene et sapienter antea Daetalenses audiverint et satis honorificum tulerint de iis iudicium. Praeterea quare illo tempore illam fabulam non docuerit ipse, sed alii cuidam edendam tradiderit, his versibus exponit 530—532:

κἀγώ, παρθένος γὰρ ἔτ' ἦν, κοὐκ ἐξῆν πώ μοι τεκεῖν,
ἐξέθηκα, παῖς δ' ἑτέρα τις λαβοῦσ' ἀνείλετο,
ὑμεῖς ἐξεθρέψατε γενναίως κἀπαιδεύσατε.

Virginem igitur se fuisse ait, cui parere illicitum fuit, aliamque puellam eius foetum abstulisse, spectatoresque eum liberaliter educasse. Haud dissimili modo in Vespis, v. 1018, locutus est et aliis in locis, de quibus omnibus quum accurate postea dicendum sit, nunc tacemus. Quodsi quis eos quos apposuimus versus ex Nubium fabula petitos solos contemplatur, et quibus alibi utitur verbis Aristophanes, ea negligit; profecto non mirandum est, si ut virgini propter immaturam aetatem parere non licet, ita eadem de caussa poëtam fabulas componere non potuisse opinatur. Quanquam maturis virginibus ipsis partus edere non licet: mirum tamen foret, si nullus grammaticus, qui omnia vitiorum genera, vel maxime inepta et stulta, admiserunt, in hunc quoque errorem incidisset. Verumtamen lege modo, quae homo egregius ad illos versus adnotavit, „*οὔπω ἐπέτρεπον ἐμαυτῷ τὸ λέγειν δημοσίᾳ διὰ τὸ νέον τῆς ἡλικίας· οὐ γὰρ πρῶτον δι' ἑαυτοῦ καθίει τὰ δράματα ὁ ποιητὴς εὐλαβούμενος,*

---

97) Cyrill. contra Iulian. lib. I, c. 13 B. Meineke Q. Sc. I, p. 36.

98) Syncell. chronogr. Aristophanis bis meminit, primum p. 254 ab in. (p. 482, 13 ed. Guil. Dind.) quo in loco eum cum Empedocle, Democrito, Hippocrate, Lysia, Euripide, Sophocle aliisque multis coniungit; et p. 257 C, (p. 489, 10 ed. Dind.) ubi ex Africano *'Ολυμπιάδι Πή* eum adscripsit his verbis, „*Εὔπολις, καὶ Ἀριστοφάνης, κωμικοί, Σοφοκλῆς τε ὁ τραγῳδοποιὸς ἐγνωρίζετο.*"

ἀπὸ δὲ τῶν Ἱππέων ἤρξατο εἰσιέναι· νόμος δὲ ἦν μὴ εἰσελθεῖν τινα εἰπεῖν μήπω τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότα, ὡς δέ τινες, τριάκοντα.“ Neque aliter indicatum est alio loco, ubi universe de parabasi disputatur [99]): „νόμος ἦν Ἀθηναίοις μήπω τινὰ ἐτῶν λ' γεγονότα μήτε δρᾶμα ἀναγινώσκειν ἐν Θεάτρῳ μήτε δημηγορεῖν. Τούτῳ τῷ νόμῳ καὶ ὁ κωμικὸς οὗτος εἰργόμενος πρότερον διὰ τὸ μὴ τριακονταέτης ἔτι ὑπάρχειν ποιῶν δράματα διὰ Φιλωνίδου καὶ Καλλιστράτου ἀνεγίνωσκεν εἰς τὸ θέατρον, ὧν ἓν ἦν τὸ τῶν Δαιταλέων λεγόμενον· — ἐπιβὰς δὲ ἤδη τοῦ λ' ἔτους καὶ τοῦτο δὴ τὸ τῶν Νεφελῶν ποιήσας δι' ἑαυτοῦ διδάσκει· καὶ αἰτεῖ“ cett. His tertium adiungo testimonium Thomae Magistri, qui legem quidem hanc non tetigit, sed aetatem poëtae similiter definit, his verbis „ἐπὶ τοιοῦτον ἐν νέᾳ κομιδῇ τῇ ἡλικίᾳ ηὐδοκίμησεν ἐν κωμῳδίαις, ὡς“ cett. Quibus rationibus si obsequimur, poëtae aetatem sine difficultate enucleavimus. Nam quum Equites primum ipse docuerit archonte Stratocle, Lenaeis, hoc est Ol. 88, 4, si hoc tempore trigesimum superaverat annum, natus erat circa Ol. 81, 2.

Iam primum ut quid verum sit detegamus, in testium auctoritatem inquiramus necesse est. Nam diu est, quod legem universam Fr. A. Wolfius in suspicionem adduxit; quem Rötscherus, Meinekius, Meierus aliique secuti sunt [100]). Ac Thomae quidem Magistri quae sit auctoritas, constat. De reliquis testibus anonymis iudicium ferre haud difficilius est; quorum quem primo posui loco suam ipse evertit fidem, quoniam incertus haeret, utrum quadraginta, an tringinta annos natus esse debeat comicus poëta. Nimis enim apertum est, eum explicandi Aristophanis versus caussa legem coniecisse magis, quam ex veteribus scriptoribus comperisse. Neque maior habenda est alterius fides, quia quae dicit, ut postea patebit, poëtae ipsius dictis vehementer repugnant. Quare iure, credo, veterum numero grammaticorum hos viros eximere, et Tzetzae Thomaeque Magistri nos legere scripta cogitare possumus.

At num veteres fortasse scriptores testes habuerunt eosque

---

99) Schol. ad Nubb. v. 502.

100) Cfr. Rötscher. Aristoph. p. 72, Meinek. Q. Sc. I, p. 36. Meier in Allgem. Literat. Halle, May 1827, n. 123, p. 137.

pro suae aetatis consuetudine non nominerunt? Non credo. Nisi fallor enim, mera sunt coniectura ducti. Nam constat inter omnes, comicos poëtas in civitate Atheniensi hoc munus tenuisse, ut suam de rebus publicis sententiam, suum consilium publice proponerent. Quod quidem munus non ipsi solum sibi arrogarunt, sed posteriores quoque omnes ea re praestantissimos eorum maxime excelluisse confitentur. „*Κωμῳδία ἐστὶν*“ ait grammaticus anonymus „*ἡ ἐν μέσῳ λαοῦ κατηγορία ἤγουν δημοσίευσις*“ [1]). Iam vero cognitum est, quicunque ut ad populum Atheniensem dicerent, suggestum conscendebant, provectioris fuisse aetatis [2]). Dein Demosthenem scimus, quum Leptineam orationem haberet, annum egisse trigesimum [3]). Hinc qui Aristophani quoque illicitum fuisse credebant, publice ad cives loqui: coniectura ad trigesimum annum confugere facile poterant. Ac quadragesimus quoque annus fortasse non temere est excogitatus; quia lex erat Athenis, choregos a populo electos quadraginta annos natos esse debere. At nonne indoctum hominem ita iusto maiore honore afficio, dum ita colligentem et singula momenta expendentem propono?

His expositis, scriptoribus illis fidem denegare cogimur. Quacunque enim via progressi ad illud credendum adducti sunt, quum apud nullum alium scriptorem similia legamus, iis assensionem praebere non licet. Accedunt autem duo diversa testimonia, quae contrarium evincunt; siquidem Eupolin decimo septimo aetatis anno et Menandrum, cum nondum ex ephebis excessisset, primas docuisse fabulas accepimus [4]). Idcirco, haec omnia cogitantes, vitam Aristophanis ultra primum annum Olympiadis octogesimae quartae pónere non audemus; eo autem tempore vixisse iam Aristophanem pro certo affirmamus.

---

1) Bekk. Anecd. II, 747, 10.

2) „*Δημηγόρου ἡλικίαν ἔχων*“ Pollux II, II, 12.

3) Wólf. Prolegg. ad Demosth. Leptin. p. LXIII, quem secutus est Beckerus, Demosth. als Staatsmann, p. 27.

4) cfr. Meinek. Prolegg. ad Men. p. XXX, Q. Sc. I, 36. Non minus certo ostendi potest, tragicis poëtis nullam legem annum, quo docere possent, certis limitibus circumscripsisse. Sophocles octo et viginti annos natus tragoedia vicit Ol. 77, 2. cfr. Car. Wex Prolegg. ad Antig. p. 28.

Non recedere possum ab hac quaestione, quando natus fuerit Aristophanes, nisi antea exemplo allato docui, quantos frustra exhauserim labores, certa inveniendi cupidissimus. Non raro enim evenit, ut spes alatur et cupidini satisfieri credas; si autem in varias vel remotiores disquisitiones abire coactus, singula quaeque eruere satis diu studuisti multumque temporis absumpsisti, ut spem cecidisse sentias. Quae omnia cum lectoribus communicare absurdum esset: unum autem exemplum afferre, non erit inutile.

Est a Ranarum enarratore ad v. 502 haec adnotatio scripta „πῶς δὲ καὶ παλαιότερον εἶναι Ἀριστοφάνους τὸ ἄγαλμα, εἰ ἀκμάζοντος τοῦ λοιμοῦ ἱδρύθη; σχεδὸν γὰρ μειρακίσκος ἤδη ἤρχετο τῶν ἀγώνων“, quae primo adspectu eam spem mihi movebat, fore ut de vitae initio Aristophaneae certiora expedirem. Xanthias servus, leonina pelle circumdatus clavaque Herculea exornatus, quum se Herculeoxanthiam appellasset seque non timidum futurum animumque Dionyso similem ostensurum, esset gloriatus: Dionysus respondet apud Aristophanem: „non eris mei similis, sed re vera ille Melitensis verbero“. Quae quidem verba omnes non recentiores solum editores Aristophanis, sed veteres etiam enarratores valde impediverunt et cruciarunt. Ac primum quidem fuerunt qui crederent, μαστιγίαν dici Herculem: quos satis antiquos fuisse, ea testantur, quae apud Hesychium et Suidam legimus [5]). Neque dubitari potest, extitisse in Melita Herculis templum Averrunci (Ἀλεξικάκου) et dei columnam ab Agelada Argivo elaboratam; imprimis quum pars orationis ad Philochorum redeat auctorem [6]). Sed si ipsa Aristophanis verba propius adspicimus, magis magisque animus ab hac interpretatione recedit; quoniam cur cum Xanthia simul Herculem Dionysus rideat, ne minima quidem caussa cogitari potest. Quare perquam apte Apollonius hominem illa aetate viventem intelligi coniecit. Scholiasta autem, qui Apollonii sententiam nobis tradidit, laudem sibi partam alienis pessimae notae

---

5) Hesych. s. v. ἐκ Μελίτης μαστιγίας, Suid. s. v. Μαστιγίας.

6) Hesych. s. v. Μήλων. Tzetz. Chil. VIII, CXCII. Harpocrat. s. v. Μελίτη.

additamentis factis obscuravit, ita ut caute in negotio nostro progredi debeamus. Sine haesitatione enim grammatico recentiori haec dicta „ἴσως δὲ ὅτι ἦρχε, διὰ τοῦτο οὐκ ὠνομάσθη, ἢ ὀλίγον πρότερον εἰρῆσθαι“ reddimus: iisque eiectis reliqua, quae prudenter excogitata sunt, ad Apollonium referimus. Nisi me omnia fallunt, ante Apollonium qui Aristophanis Ranas interpretati erant omnes ad Herculem ea traxerunt: atque eorum fortasse Aristarchi interpretationi is primus sese opposuit. Ultima autem verba Apollonii iterum sunt ab enarratore nostro corrupta. Nam contra antiquam interpretandi rationem apte id quoque dixerat, nullam Aristophani caussam fuisse, quare Melitensem potissimum Herculem nominaret. Deinde illam statuam Aristophane antiquiorem esse, ut ea non potuerit propter novitatem rideri, eum adiecisse coniicio, ut ita quoque alios interpretes refutaret. Quod quum legisset noster enarrator, alia nescio unde accepta narratione, Herculis statuam esse eo, quo pestilentia Athenis grassaretur, tempore exstructam, contra Apollonium adhibita, non enarravit simpliciter Apollonii sententiam, sed statim refutavit: cuius temeritatis reos nostros scholiastas saepenumero deprehendimus. Fortasse Apollonius tempus bene cognoverat, quo Herculis statua posita fuerat; fortasse autem antiquiorem esse Aristophane propter Ageladam auspicatus est. Utut est, quum pestilentia Athenienses urgeret, non sunt ab Hercule, sed ab Apolline liberati; neque Herculi Averrunco, sed Averrunco Apollini posuerunt statuam. Perspicue enim tradit Pausanias [7]) „πρὸ δὲ τοῦ ναοῦ τὸν μὲν Λεωχάρης· ὃν δὲ καλοῦσιν Ἀλεξίκακον Κάλαμις ἐποίησε· τὸ δὲ ὄνομα τῷ θεῷ γενέσθαι λέγουσιν, ὅτι τὸν λοιμώδη σφίσι νόσον ὁμοῦ τῷ Πελοποννησίῳ πολέμῳ πιέζουσαν κατὰ μάντευμα ἔπαυσε Δελφῶν.“ Haec igitur nescio quis, quum Melitensem Herculem Averruncum dictum legisset, ad eum falso retulit et nostrum scholiastam in errorem duxit. Ceterum qui ante Apollonium haec Aristophanis verba de Hercule intellexerant, eos nihil de pestilentia pronuntiasse, inde evincitur, quod qui praeter scholiastam nostrum ex antiquis commentatoribus de Melitensi Hercule

---

7) Pausan. I, 3, § 3.

disputarunt, Hesychius et Suidas, ne unum quidem verbum de ea habeant. Quum igitur Apollonius summo iure negaverit, de Hercule in hoc versu sermonem esse ab Aristophane institutum, quaeritur quem hominem irriserit. Ex Apollonii sententia, saepe irrisum notavit Calliam Melitensem; quae profecto non inepta videtur; sed non tam certa, ut non alia admitti possit. Quid si Eucratem poëta perstrinxerit, hominem Melitensem et invisum Aristophani? [8]).

Quae si vere disputata sunt, si modo cognitum esset, quo tempore Herculis simulacrum posuerint Athenienses: possemus fortasse inde aetatem Aristophanis enucleare. At Fr. Thierschius, V. C., duo quum coniecisset vixisse Ageladas, quorum alter Argivus, alter Sicyonius fuerit, a Sillígio et Müllero impugnatus nuper suam opinionem libro summa doctrina ingeniique sollertia conspicuo, sed non sine ira et studio scripto, defendit [9]). Nos si verum fateri volumus, Ageladam Sicyonium nimis audaci coniectura esse ab Amisaeo excogitatum censemus, et frustra ab Thierschio receptum. Nititur enim Vir praestantissimus testimoniis quam maxime infirmis. De nostro scholiasta iam dictum est. Sin autem Plinius Ageladam ad Ol. 87 refert, agit ille pro consuetudine sua. Amisaei deinde auctoritas quanquam merito maxima habetur, nunc toto Pausaniae libro impugnatur, quem de Sicyonio Agelada nihil compertum habuisse omnes loci, quibus de Argivo homine loquitur, liquide demonstrant. Quae accedit denique Pausaniae de Iove Messeniorum narratio, ut ipsum Pausaniam nos quoque coget, Ageladam sequiori quoque huic aetati adscribere. At si quis alterum Ageladam intelligi credit, is certe Sicyonium eum fuisse non affirmare poterit. Id unum addo. Ageladam Sicyonium vixisse quis Thierschio credet, quem quicunque nominassent vel intellexissent, cum altero commutasse Argivo concedit? Nihil igitur superest

---

[8]) cfr. Hesych. s. v. *Μελιτεὺς κάπρος· τῶν γὰρ δήμων Μελιτεύς ἐστι;* Photius p. 256, 7. Dind. de fragm. p. 107, Süvern vom Alter p. 12. Aristoph. Equitt. 254, Lysistr. 103.

[9]) Ueber die Epochen der bildenden Kunst unter den Griechen. München 1829, p. 160.

nisi ut cum Sillgio et Müllero ad antiquum illum redeamus, et quem iam Winckelmannius[10]) in duo homines in Eladam et Ageladam, scripturae vitio seductus, diviserat, eundem ab Thierschio in Argivum et Sicyonium separatum, unum modo fuisse hominem contendamus. Quod si facimus, patet re vera simulacrum Herculis ad priora tempora pertinere, quibus Ageladas vixit. Sed hoc tam late patet, ut Aristophanis aëtatem melius definire non possimus, quam uti antea ex eo anno, quo primam fabulam docuit, collegimus[11]).

Institutum igitur ordinem persequamur videamusque quo sit tempore mortuus. Cui quaestioni ut plura respondere possimus, Suidas effecit, qui quo anno Araros Aristophanis filius primam fabulam docuerit, nescio quibus auctoribus usus, memoriae tradidit: „*Διδάξας τὸ πρῶτον Ὀλυμπιάδι ρά.*" Fateor tamen, imprimis propter vitiorum in numeris indicandis commissorum copiam me eius testimonio cunctanter uti. Araros autem filius Aristophanis ab ipso patre erat in scenam inductus, qui suas fabulas Cocalum et Aeolosiconem filio tradidit[12]). Id non propterea fecisse putandus est, quod filiorum natu maximus fuisset — hoc enim honore nemo Philippum *τὸν ὁμώνυμον τῷ πάππῳ* privabit — sed quia eum virtute poëtica futurum esse insignem, augurari poterat. Philippus contra, ut supra vidimus, arte mimica et histrionica excelluit. Aristophanes ultimam comoediam suo nomine edidit Plutum fabulam, quae docta est, ut didascaliae docent, archonte Antipatro Ol. 97, 4. Post Plutum duas praeterea scripsit, Cocalum et Aeolosiconem, iisque a filio doctis et in certamen commissis mortuus perhibe-

---

10) Alte Denkmäler der Kunst I, p. 40.

11) Memorabiles sunt Persii versus, Sat. I, 124, quibus, ut plerique interpretes opinantur, tres componit comicos poëtas, Cratinum, Eupolin et Aristophanem. Ultimum autem non nominat, sed significat tantum „Iratum Eupolidem *praegrandi cum sene*". Cur Cratinum *audacem* vocaverit, facile perspicitur; cur Eupolin *iratum*, multo minus intelligitur, cfr. Meinek. Q. Sc. I, p. 20 et 39; cur Aristophanem, inter eos natu minimum, praegrandem senem, mirantur omnes. Vide interpretes.

12) Argum. in Plut. II, p. 358.

tur. „Ἐν τούτῳ δὲ τῷ δράματι“ ait vitae scriptor „συνέστησε τῷ πλήθει τὸν υἱὸν Ἀραρότα καὶ οὕτω μετήλλαξε τοῦ βίου.“ Iam vehementer dolendum est, neminem veterum indicasse, quibus archontibus Aeolosicon et Cocalus doctae sint. Sed si utramque fabulam filius pro patre docuit, earum quae prima fuerit fabularum Ol. 101 in certamen commissam esse, Suida auctore credi posset. Ab hac autem ego sententia vehementer abhorreo. Per tres enim Olympiadas Aristophanes omnino nullas confecisset fabulas. Alia igitur ratio ineunda est. Callistratus suo nomine quanquam primas Aristophanis fabulas ediderat: tamen quoniam ex editione fabularum, cuius eae essent apparebat, anonymus ipsum Aristophanem per Callistratum edidisse primum drama Diotimo archonte pronuntiat. Cocalum autem et Aeolosiconem esse a filio doctas, a patre confectas posteriores ita compertum habebant, ut unus tantum Ararotem auctorem unius fabulae nominaret. Quare aliter cogitari nequit, nisi a veteribus ita esse dictum „ἐδίδαξε δὲ τὰ τελευταῖα δράματα διὰ Ἀραρότος“ Ararotisque initium eo positum tempore, ubi suis fabulis in scenam prodierat. Quod si vere disputatum est, Ararotem (ab Olymp. 97, 4) ab archonte Antipatro ad Charisandrum usque (ad Ol. 101, 1) nonnisi patris fabulas protulisse sumendum est. Iam vero iterum nos turbat, quod duas duntaxat comoedias patris suo nomine edidisse fertur; ex quo colligi debet, inter tres Olympiadas bis tantum patrem in theatro spectantibus obtulisse filium. Ex qua difficultate ita me expedire studui.

Anno secundo Olympiadis nonagesimae octavae foedus celebratissimum inter Persarum regem et Lacedaemonios ictum est, quod ab Antalcida nomen accepit. Quo quidem foedere quanto opere per totam Graeciam omnes, qui aristocratiam amabant adiuti fuerint, inter omnes constat. Athenienses quoque, quorum Conone duce recens orta erat potentia, hoc foedere potissimum oppressi et a Lacedaemoniis victi sunt et superati. Imprimis autem ab hoc anno media comoedia incepit, quae quoniam democratia florere desiverat, antiquam rationem reliquit et plane novam iniit. Cuius comoediae qui princeps est et optimum exemplum, Antiphanes Stephani filius, post

nonagesimam octavam Olympiada docere incepit[13]). Aristophanes ipse comoediam composuisse dicitur, qua mediae comoediae indolem alios docuit. Nonne igitur eo tempore eam fabulam editam esse, verisimillimum censes? Accedit alia caussa. Ex omnibus iis, quae in posterioribus capitibus explicabo, quam maxime patebit, Athenas urbem tanto prosequutam esse amore nostrum poëtam, ut nihil supra posset cogitari. Tota eius vita pendet, ut ita dicam, a vita urbis patriae. Laetus est et insignibus splendet confectis comoediis, si civitatem et optima ratione agentem et florentem videt. Quid? si tristi illo tempore, praesertim senectute iam ingravescente, ingenii eius scintillae non excitatae, sed exstinctae sunt, ut neque posset neque vellet novis comoediis edendis operam suam et diligentiam navare? Crebro autem, vel ante Plutum editam poëtam tacuisse apparet, si numerum comoediarum, quarum ab nonnullis quadraginta quattuor, ab aliis quinquaginta quattuor scripsisse fertur, cum annis, per quos dramata commisit, comparamus. Nam quum (Ol. 88, 1) archonte Diotimo docere incepisset, et duas quovis anno vel tres adeo comoedias edere posset; si tantummodo usque ad Antipatrum progredimur: per Olympiadas decem octoginta fabulas componere potuisset. Iam vero certo scimus, eum ab Ol. 88, 1 usque ad Ol. 89, 3 octo edidisse dramata; ac suspicamur non immerito, adeo plura in illud tempus incidisse. Idcirco temporibus istis, quibus multis malis et incommodis pressa est respublica, eum non multas fabulas commisisse apparet. Quo magis post funestum Antalcidae foedus senem contristatum non esse vehementer ad fabulas condendas excitatum, cogitare cogimur. His caussis commotus, non inepte statui credo, usque ad Olympiadem centesimam viventem poëtam duas tantummodo fabulas composuisse; et centesima prima demum Olympiade, patre mortuo filium sua commisisse dramata.

Quae quum ita sint, dicendum esse credidi, ab Olympiade octogesima quarta ad centesimam usque Olympiadem poëtam vixisse. Ultra centesimam autem Olympiadem eius vitam per-

---

13) Anon. de comoed. ll. ll.

tinnisse, nemo credet: vitae initium iam ante eam, quam dixi, Olympiadem initium cepisse, praefracte nemo negabit. Quomodocunque id est, sexaginta eius vitae annos hac ratione invenimus.

Sed restat memorabile Suidae dictum, quod nemo dum tentavit: et ipse diu ex scripturae errore natum esse credideram. Ait enim ille „γεγονὼς ἐν τοῖς ἀγῶσι κατὰ τὴν ριδ΄ Ὀλυμπιάδα“; quod si explicare studeo, ut a legentibus veniam audaciae petam, animus me impellit. Varias sum deinceps rationes ingressus. Primo adspectu comparatisque numeris, qui in Ararotis vita apud eundem leguntur scriptorem, hunc numerum esse corruptum et propterea prorsus a me negligendum arbitrabar. Deinde eo ferebar ut crederem, Ararotem filium esse cum patre commutatum: eumque ab Ol. 101 usque ad Ol. 114 in theatro floruisse. Tum numerum ex commutatione cum Antiphane, mediae comoediae principe, cuius nomen saepissime est pro Aristophanis nomine positum, explicare studebam. Antiphanem enim Suidas tradit natum esse Ol. 93; anonymus, docuisse primo post Ol. 98. At quum simul Suidas aetatem eius accurate indicaverit, annosque vixisse dixerit sexaginta quattuor: non diutius post, quam ad Ol. 109 videtur docuisse, praesertim quum non Athenis, sed alia in terra de vita decessisse perhibeatur. Unum addo. Quoniam Ararotem videbam Ol. 101 primam edidisse fabulam, non male illum numerum ita corrigi posse censebam „γεγονὼς ἐν τοῖς ἀγῶσι κατὰ τὴν ρ΄ Ὀλυμπιάδα, ἔτ. δ΄“, ut quarto anno Olympiadis centesimae ultimum drama edidisse Aristophanes diceretur [14]). Sed omnibus his coniecturis missis, maxime huic ultimae favere incepi, quam nunc viris doctioribus diiudicandam propono.

Clemens Alexandrinus haec enarravit [15]) „τὸν μέντοι Κώκαλον τὸν ποιηθέντα Ἀραρότι τῷ Ἀριστοφάνους υἱεῖ Φιλήμων ὁ

[14]) Cogitandum esset ita scriptum a Suida, ρ΄ δ΄, ex quibus numeris ριδ΄ ortum. Similiter in Aeschyli scholiis ad Choeph. v. 900 scriptum legitur „μετεσκεύασται ὁ ἐξάγγελος εἰς Πυλάδην, ἵνα μὴ διλέγωσιν“ pro ἵνα μὴ δ΄ λέγωσιν ex praestantissima Tyrwhitti coniectura, quam Hermannus probavit ad Arist. Poët. IV, 16, p. 110.

[15]) Clem. Strom. VI, p. 752. Casaub. ad Athen. III, 9, p. 168.

κωμικὸς ὑπαλλάξας ἐν Ὑποβολιμαίῳ ἐκωμῴδησεν." Quae quomodo intelligenda sint, aliorum locorum docet comparatio. Similiter enim vitae scriptor anonymus „πρῶτος δὲ καὶ τῆς νέας κωμῳδίας τὸν τρόπον ἐπέδειξεν ἐν τῷ Κωκάλῳ, ἐξ οὗ τὴν ἀρχὴν λαβόμενοι Μένανδρος δὲ καὶ Φιλήμων ἐδραματούργησαν" et alio loco „ἐγένετο δὲ καὶ αἴτιος ζήλου τοῖς νέοις κωμικοῖς, λέγω δὲ Φιλήμονι καὶ Μενάνδρῳ." Enarratur autem de Philemone ab anonymo de comoedia, „ἐδίδαξε πρὸ τῆς ριγ' Ὀλυμπιάδος." Quae si inter se componimus omnia, potest Suidae dictum facile explicari. Nihil aliud enim indicare voluit, quam in certaminibus floruisse Aristophanis comoedias usque ad Ol. 114, qua iterum produxerit Cocalum Philemon. Quodsi ex dramate Philemonis plura superessent fragmenta: verisimile est, certiora de hac re pronuntiare nobis licuisse. Nisi fallor, Philemon idem susceperat, quod in Equitibus Aristophanis Eupolis fecerat.

Ceterum quanquam ipse multa incerta relinquere in quaestione de Aristophanis aetate coactus fui: tamen quo magis rei scenicae Atticorum cognitio, quae in dies nova incrementa capit, progreditur, singulorumque poëtarum aetates accuratius definiuntur, eo propius nos ad veritatem accessuros, et Aristophanis tempora melius indicaturos esse, nunquam dubitavi. Fortasse mox existet, qui quod nuper Ritschlius praeclara disquisitione de Agathonis aetate scripta praestitit, in Aristophane efficiat[16]). Latent enim in ipsis comoediis non pauca aetatis signa. Equidem quum multa frustra tentaverim, meo tempori parcere, quam exiguae rei nimiam navare operam malui.

XVII.

Nova exoritur quaestio, utrum Aristophanes Atheniensium civitati adscriptus fuerit, an aliunde Athenas delatus et in peregrinorum numero positus. Quodsi, ut par est, ad antiquos

---

[16]) Ita Equitum parabasis, qua quos ipse viderit Comicos antiquos exponit, erit adhibenda. Ranae fabula, qua Aeschylum et Euripidem eorumque multas fabulas attigit, in eundem usum utilis haberi poterit.

primo convertimur scriptores, tam variis narrationibus circumfundimur, ut quid probandum, quid improbandum, vix ac ne vix quidem scire posse credamus. Anonymus de comoedia simpliciter eum Atheniensem vocat; vitae scriptores, anonymus et Thomas Magister addunt, δήμῳ fuisse Cydathenaeum, tribu Pandionide; Suidas enarrat, eum vocari a nonnullis Rhodium, sive Lindium, sive Camiraeum; ab aliis Aegyptium; ab aliis Aeginetam; Heliodorus denique apud Athenaeum, Naucratitam Aristophanem dixerat [17]). In hanc rerum omnium confusionem ordinem ferre quendam videtur vitae scriptor anonymus, qui ea fere omnia inde nata esse censet, quod Cleo poëtae propter maledicta in se iactata irascens, litem ξενίας intulerit; sed quomodo id suscipere potuerit, tam parum docet, ut nihil inde certi in nos redundet. Accedunt scholiastae, qui diversis locis de patria poëtae loquuntur, sed omnia turbant magis, quam in lucem mutant. Ad recentiores delati ibi quoque diversas opiniones traditas reperimus, dum plurimi quidem Atheniensem, alii Aeginetam, Rhodium alii, alii Naucratitam fuisse affirmant [18]). In tanta opinionum et copia et diversitate necessarium erit, non, ut plurimi fecerunt, obiter inspectis veteribus scriptoribus, uti animus fert, ita hanc vel illam opinionem amplecti, sed re accurate pensitata singulisque opinionibus diligenter perquisitis, quid verum sit indagare. Necessarium autem erit, a rebus ut exordiamur disquisitionem primo adspectu a re, quam tractare volumus, alienis: quod nunc eo minus veremur, ne molestiam creet legentibus, quia non minus ad poëtae vitam pertinent, et ab ea separari nequeunt.

Ipsum enim ingressum obstruit nobis nondum satis explicata atque impeditior de histrionibus Aristophanis primarumque partium actoribus gravissima quaestio; quam accuratissime, priusquam de reliquis certi aliquid statuatur vitae Aristophanis partibus, diiudicandam et absolvendam esse ducimus. Quo tem-

---

17) In libris περὶ ἀκροπόλεως ap. Athenaeum VI, p. 229 e. de quibus confr. Boeckh. Corp. Inscript. praef. p. VIII.

18) Rhodium esse Aristophanem, Meinekius Q. Sc. I, p. 40 affirmavit; Naucratitam Vossius de histor. lat. IV, XII, p. 470.

pore primum nata est Athenis tragoedia, quicunque eius poëtas commemorantur, quia non poëtica solum arte excellebant, sed simul erant musicae artis periti et apta saltatione conspicui: propterea fabulas et fecerunt simul et egerunt publice, nullius hominis ope adiuti. Antiqui igitur tragici poëtae, Thespis, Phrynichus, Pratinas, alii, ut ex tragoediis conditis magnam sibi contraxerunt gloriam, ita imprimis nobiles visi sunt posterioribus cum propter μελοποιΐαν, tum ob saltandi artem, quam tantopere callebant, ut eam discere cupientes docerent [19]). Sed postea poëtarum et actorum iunctis vicibus uti desinebant; quo facto, poësis tragica et ars histrionica, antea coniunctae, nunc separabantur. Sero id factum esse Aristotelis ex testimonio gravissimo constat [20]), qui „καὶ γὰρ εἰς τὴν τραγικὴν καὶ ῥαψῳδίαν ὀψὲ παρῆλθεν· ὑπεκρίνοντο γὰρ αὐτοὶ τὰς τραγῳδίας οἱ ποιηταὶ τὸ πρῶτον.“ Quocum convenit, qui Sophocleam scripsit vitam, dum de Sophocle praedicat [21]) „καταλύσας γὰρ τὴν ὑπόκρισιν τοῦ ποιητοῦ διὰ τὴν ἰδίαν ἰσχνοφωνίαν, πάλαι γὰρ καὶ ὁ ποιητὴς ὑπεκρίνατο.“ In tragoedia igitur Sophocles primus a vetere consuetudine, non propter artis levitatem, sed suae propter vocis tenuitatem abstinuit, ac multos posteriorum poëtarum sectatores nactus est, quamquam nonnulli poëtae morem Phrynichorum Thespidumque secuti, ab agendis tragoediis non abstinuerunt. Ars autem histrionica tum demum, si recte coniicio, efflorescere coepit, quum lege publica lata Aeschyli fabulae, praemio proposito, ab aliis doceri possent. Ac tantopere sensim vis eius et dignitas aucta est, ut Aristotelis tempore interdum plus quam ipsi poëtae valerent [22]).

Iam quaeritur quid de comoedia statuendum sit, de qua tacet Aristoteles; sine dubio ea ductus caussa, quam in libris

---

19) Athen. I, XXII, a. „καὶ ἔξω τῶν ἰδίων ποιημάτων διδάσκειν τοὺς βουλομένους ὀρχεῖσθαι“ Aristotel. Probl. XIX, 31. Herm. ad Aristot Poët. p. 106.

20) Aristot. Rhet. III, 1. cfr. Plut. Solon. XXIX.

21) cfr. Lessingii vitam Sophoclis, n. K.

22) Histriones adesse debebant, ubi primum duo simul in scena homines apparebant, quod Aeschylo auctore factum esse fertur, Aristot. Poet. IV, 16. Eorum numerus augebatur, tertio actore addito, per Sophoclem.

de poëtica arte professus erat, quod comoedia, non tanto, quanto tragoedia studio ab Atheniensibus celebrata, suas origines suosque progressus indaganti occultat. At primos eius auctores Susarionem aliosque poësin et artem histrionicam iunxisse, sine haesitatione affirmo. Myllus a Suida comicus poëta, ab Eustathio histrio comicus appellari potuit, quia utrumque coniunxit [23]). Quis autem primus histriones alios sibi elegerit, quibus primas partes agendas traderet, nobis incognitum est. Ac si vera est, quam in scholiasta ad Arist. Equitt. correctione effecit Meinekius [24]), scriptura „κωμῳδίας ἦν ποιητὴς (Κράτης) ὃς πρῶτος ὑπεκρίνατο Κρατίνου", ad Cratinum auctorem ea res non necessario redit. Quam quidem emendationem veram esse, non solum quod oppositum est „καὶ αὐτὸς ὕστερον ποιητὴς ἐγένετο", sed etiam eiusdem rei repetitio apud anon. de com. docet planissime. Tamen quum ante Cratinum nullus comici poëtae histrio commemoretur [25]), licet non adsit certum eius rei testimonium, artis histrionicae actorem a comicis poëtis receptum Cratino assignaverim. Postea Pherecratem quoque audimus histrionis negotium in se suscepisse [26]). Memoratu tamen dignum est, primos histriones comicos ipsos poëtica arte insignes fuisse: ut non ineptum sit, si credas hac via sese ipsos excoluisse illos, ut maiore plausu postea comoedias docerent. Tamen ut tragici, ita comici poëtae suas ipsorum saepe fabulas egerunt; eaque consuetudo illo adeo tempore, quo ad Romanos tragoedia et comoedia delata cernitur, obtinuit [27]).

Sed quum in tragoedia Sophocle auctore [28]), in comoedia,

---

23) Meineke Q. Sc. , p. 8.

24) Cfr. id. ib. p. 26.

25) Sed huc quoque trahendum est Aristotelis de comoedia dictum. Cratini nomen inter ὀρχηστικοὺς Athen. I, 20 reperitur, Chionides a Suida πρωταγωνιστὴς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας nominatur, quo sensu hoc vocabulum saepissime usurpatur; cfr. Wolf ad Leptin. Demosth. Prolegg. p. XXXXVIII, not.

26) Anon. de com. l. l. Meineke Q. Sc. II, 12.

27) Lange Vindiciae Roman. tragoed. p. 19.

28) Hac in re quum Aristotelis summi critici certum ipsi legamus testimonium Poët. IV, § 16 idque videamus confirmatum esse a scriptore, quem exscripsit Diog. Laërtius, qui sine dubio optimae notae est; et

ut probabile est, duce Cratino [29]) tres potissimum in scena histriones simul cerni potuerint, is histrionum maximi erat momenti, qui primam agebat partem; minimi, qui tertiam, quod videre licet in Demosthenis reprehensionibus in Aeschinem iactis [30]). Iam ante Cratinum plures homines simul in theatro visi sunt. Poëtam igitur non nisi primam partem egisse, cogitari potest: reliquas aliis tradidere agendas. Hinc ea, quam modo tetigi, narratio explicatur, veteres tragicos poëtas saltandi artem docuisse. Scholas igitur illi sibi aperuere, ut haberent, quibus in scenae usum frui possent. Victores autem in publicis certaminibus quum poëtas pronuntiarent, ab initio statim videntur, si alius fuerit, neque poëta ipse suum negotium administraverit, histriones quoque laude et honore celebrasse. Non omnes autem, qui in scena fuerant, histriones in singulis fabulis nominari solebant, sed ii tantum, quos πρωταγωνιστὰς appellabant. Quod quum in illis monumentis, quae Boeckhius in Inscriptionum Corpore edidit [31]), aperte videamus: tamen equidem affirmare non dubito, secundarum quoque partium actorem interdum esse monumentis inscriptum. Apud Romanos enim, quos in omnibus rebus Graecorum asseclas fuisse constat, duo non raro actores nominantur [32]). Ceterum Boeckhius suspicatur, loco poëtae histrionem inscribi potuisse: quod tamen neque Hermanno neque mihi ipsi persuasit [33]). Haec res enim

---

a Suida s. v. *Σοφοκλῆς:* non moramur eas difficultates, quas Lessingius movit, Soph. Vita nota L., quarum primam ex Aeschyli usu petitam ipse removit, alteram intactam reliquit. At mihi quidem scriptura corrupta esse videtur in Themistii loco (*ὑπὲρ τοῦ λέγειν* p. 316 ed. Harduin.). Scribe pro *τρίτον δεύτερον.* Hanc emendationem ea ipsa desiderant, quae de Thespide dixit scriptor.

[29]) Cfr. Meineke Q. Sc. I, p. 19.

[30]) Demosth. de cor. cap. 60. Kuhn ad Polluc. Onomast. VI, segm. 165, nr. 38.

[31]) Corp. Inscr. I, n. 211.

[32]) Adi didascalias, quae in argumentis singularum Terentii fabularum servatae sunt.

[33]) Guil. Dindorfius eandem amplexus sententiam, quam Boeckhius pronuntiavit, cfr. Aristoph. fragm. p. 68 („solet enim in didascaliis protagonista perinde atque poëta haberi"), recte est ab Hermanno notatus, Leipz. Litzt. August 1829 p. 1630. Boeckh. Corp. Inscr. I, p. 353.

levibus tantum de caussis credita a Viro Celeberrimo, nihil habet prorsus, quod eam commendet. Fortasse tamen res diversas mixtas a Boeckhio esse videmus, quas separare debebat, de quibus mox exponemus.

Praeterquam autem, quod uti histrionibus in usu erat illius aetatis poëtis: accidit interdum, ut poëta publice suum nomen non ipse profiteretur, sed alii cuidam carmina docenda permitteret, ita ut is auctor videretur. Ea res pluribus de caussis fieri solebat. Non inutile erit, ut ex alio exemplo qualis haec res fuerit, melius perspiciamus, simile quid comparare. Posteaquam enim Athenis ars rhetorica effloruerat, non raro accidit, ut cui oratio habenda erat, is adiret eloquentem hominem peteretque ab eo, ut in suum usum orationem conderet. Quod quum de omnibus praedicari possit, quos oratoriae artis peritos novimus, maxime tamen ad Antiphontem pertinet. Eum Thucydides enarrat totam vitam aliorum destinasse usui [84]), ut commodis eorum prospiceret, qui ope eius indigebant, neque ipse unquam prodiret in civitate, sed alios suas doceret orationes iisque suam gloriam destinaret. Sed iam ante Antiphontem Pericles idem susceperat, et alios magis, quam se ipsum populo ostendens, quae efficere volebat, populo vulgavit, et pertulit. Iam si Demosthenes aut Lysias aut Isocrates alium dicentem induxerat, Athenienses, quis orationes docuerit hominem, nesciebant, nisi ex ipsa orationis indole cognoscebant auctorem, donec oratio ab ipso oratore ederetur. Semel edita autem oratione, sine dubio non adscriptum legebatur nomen eius, qui dixerat, sed qui composuerat orationem, ut nemo pro nomine Demosthenis, Lysiae, Isocratis, Antiphontis obscuri cuiusdam hominis nomen poneret. Haec omnia tam clara sunt, ut nemo dubitare possit. Quodsi vero in publicis monumentis indices conficiebantur, quibus quas lites illatas diiudicaverint singula iudicum collegia, consignaretur: in iis non auctor esset repertus, sed qui dixerat orationem.

Revertimur ad fabularum commissionem. Sophocles igitur

---

[84]) Thucyd. VIII, 66.

Iophontem habuit filium, matre Nicostrata natum [35]). Qui vivo patre in scenam prodiit et feliciter et gloriose fabulas suas docuit. De eo Aristophanes aperte ita loquitur, ut videas, eum credidisse, in fabulis filium a patre adiutum esse. Bacchus enim, dum Euripidem ex Orco reducere tentat, Herculi de Iophontis tragoediarum indole quaerenti respondet v. 78.

τοῦτο γάρ τοι καὶ μόνον
ἔτ' ἐστὶ λοιπὸν ἀγαθὸν, εἰ καὶ τοῦτ' ἄρα·
οὐ γὰρ σάφ' οἶδ' οὐδ' αὐτὸ τοῦθ' ὅπως ἔχει.

Additque paullo post in eandem sententiam reversus

οὔ, πρίν γ' ἂν Ἰοφῶντ' ἀπολαβὼν αὐτὸν μόνον
ἄνευ Σοφοκλέους ὅ, τι ποιεῖ κωδωνίσω.

Quod autem Aristophani verisimile visum est, id posteriores certo compertum habuerunt. Dicunt enim, Iophontem patris tragoedias in certamen protulisse suumque iis nomen inscripsisse. Ita postquam Suidas fabularum titulos nonnullos enumeravit, his verbis pergit „καὶ ἄλλα τινὰ τοῦ πατρὸς Σοφοκλέους.“ Eodem modo scholiasta Aristophanis „δόκησιν παρεῖχεν ὅτι τοῖς τοῦ πατρὸς ἐχρῆτο ποιήμασιν ὡς οἰκείοις“ et alibi „οὐ μόνον δὲ ἐπὶ τῷ ταῖς τοῦ πατρὸς τραγῳδίαις ἐπιγράφεσθαι κωμῳδεῖται“ et alibi „εἴτε αὐτοῦ δηλονότι τὰ ποιήματα εἴτε τοῦ πατρὸς Σοφοκλέους· τοιαύτη γὰρ περὶ αὐτοῦ τοὺς πολλοὺς δόξα κατεῖχε.“ Potest igitur videri Sophocles filio suo dedisse docendas fabulas, quas ipse confecerat; eaque re filium Atheniensibus commendasse. Memoratu tamen dignum est, quod de lite Sophocli ab Iophonte illata narrant, quod primo adspectu huic rationi adversaretur, nisi ipsa aequalis hominis sententia, nostri Aristophanis, adesset. Ceterum huius rei exempla non multa afferri posse, ipsa rei ratio postulare videtur, quae nisi arcana est fallitque reliquos, vana est et inanis. Fortasse tamen huc non immerito trahitur Isocratis exemplum, quem Plutarchus vel qui librum de decem Oratoribus composuit, tragoedias scripsisse triginta et septem enarravit. „Ἀρξάμενος δὲ“ ait „ἀπὸ Λυσιστράτου διδάσκειν ἄχρι Σωσιγένους ἐν ἔτεσιν εἰκοσιοκτὼ διδασκαλίας καθῆκεν ἓξ καὶ δὶς ἐνίκησε διὰ Διο-

---

35) Suid. s. v. Ἰοφῶν.

νυσίου καθεὶς καὶ δι' ἑτέρων ἑτέρας δύο Ληναϊκάς." Quae si vere ad Isocratem pertinere omnes existimarunt, quum nihil quidquam de Isocrate tragico poëta neque de Dionysio innotuerit, certo affirmare non audeo. Non prodiisse ipsum Isocratem in scenam, ex viri indole timida et vocis imbecillitate, recte colligitur illisque Plutarchi verbis confirmatur. Sed quis Dionysius fuerit, quorum immensum numerum Graecia protulit[36]), nequeo dicere.

In comicorum autem poëtarum numero sine dubio Eupolis huc recte trahitur, quem Athenaeus per Demostratum docuisse Autolycum, nos certiores facit[37]). Nam si, quod voluit Meinekius, nihil nisi histrio fuisset Demostratus, quem quaeso in usum Athenaeus eius nomen apposuisset? Praeterea quoniam optime suspicatus est idem Vir doctus, hunc virum esse eundem, cuius *Δημοποίητον* laudat Suidas s. v. *χάραξ*[38]): hac quoque de caussa, eum poëtam fuisse, non histrionem colligitur.

XVIII.

His praemissis, nihil quo minus ad Aristophanem progrediamur, nos impedit. Quae erat Comicorum Graecorum consuetudo, sese mutuo perstringendi simultatemque suam publice conviciis iactis ostendendi: eam secuti Aristophanem quoque multi variis modis lacerarunt. Inter ea autem in Aristophanem iacta convicia nihil est memoratu dignius, quam quod Amipsias, Aristonymus et Sannyrio eum quarta luna natum esse dictitarunt. Duo leguntur ac diversa quidem huius irrisionis testimonia, quorum alterius scholiasta ad Platonem, saepe dictus nobis, alterius vitae scriptor anonymus auctor est. Atque quem posteriore loco nominavi, is ita rem enarravit. „*Εὐλαβὴς δὲ σφόδρα γενόμενος τὴν ἀρχὴν, ἄλλως δὲ καὶ εὐφυὴς, τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα. διὸ καὶ ἔσκωπτον αὐτὸν Ἀριστώνυμός τε καὶ Ἀμειψίας, τετράδι αὐτὸν λέγοντες γεγονέναι, κατὰ τὴν παροιμίαν, ὡς ἄλλοις πονοῦντα· ὕστερον δὲ καὶ αὐ-*

[36]) cfr. Meurs. in Hell. Chrestom. p. 2 seqq.
[37]) Athen. V, p. 216 d.
[38]) Meineke Q. Sc. I, p. 89.

τὸς ἠγωνίσατο." Quam quidem narrationem ad prima, quibus efflorescere coepit poëta, referendam esse tempora, ipsa enarratoris verba ostendunt, comprobantque Aristonymi et Amipsiae aetates [39]). Aliter iudicandum de Platonis scholiasta, qui quum his verbis usus sit, „Ἀριστώνυμος δ' ἐν Ἡλίῳ ῥιγοῦντι καὶ Σαννυρίων ἐν Γέλωτι τετράδι φασὶν αὐτὸν γενέσθαι, διὸ τὸν βίον κατέτριψεν ἑτέροις πονῶν· οἱ γὰρ τετράδι γεννώμενοι πονοῦντες ἄλλοις καρποῦσθαι παρέχουσιν, ὡς καὶ Φιλόχορος ἐν τῇ πρώτῃ περὶ ἡμερῶν ἱστορεῖ. ταύτῃ δὲ καὶ Ἡρακλῆ φασι γεννηθῆναι", primum vitae scriptoris testimonium confirmat, et fabulis nominatis, quibus irrisio facta sit, latius exponit; deinde ex prioribus ad posteriora tempora descendit, quod ex Sannyrionis commemoratione elucet. Recte enim Meinekius inter XC et XCV Olympiadem Sannyrionis fabulas doctas esse affirmavit [40]).

Iam ut irrisionis rationem totam intelligamus, accurate singula quaeque expendamus necesse est. Ac mihi quidem, ut saepe accidisse scimus, ita haec quoque irrisio non tam ad viri, in quem iactata est, reprehensionem videtur pertinere, quam in laudem et honorem eiusdem non immerito verti posse. Ut enim ipse conatus suos cum Herculeis laboribus comparare solet [41]), ita illi non inepte in ea quoque re similitudinem conspici addiderunt, quod labores sine fructu et commodo suo suscepisset. Neque cum Hercule solum, sed cum Mercurio quoque his conviciis comparatur, quod ex Suida patet, s. v. τετράδι γέγονας haec enarrante „ἐπὶ τῶν ἄλλοις πονούντων [42])· καὶ γὰρ τὸν Ἡρακλέα τετράδι γεννηθέντα Εὐρυσθεῖ, ταλαιπωρῆσαι· Φιλόχορος δέ φησι καὶ ἐπὶ Ἑρμοῦ αὐτὴν δύνασθαι λέγεσθαι· διατεθεῖσθαι δὲ Ἡρακλεῖ τὴν ἡμέραν, ἐν ταύτῃ εἰς θεοὺς μεταστάντι [43])." Sed mul-

[39]) Cfr. Mein. Q. Sc. II, p. 40 seqq. et 42 seqq.

[40]) Ib. p. 68 seqq.

[41]) Vespp. 1062. Pac. 754.

[42]) Scripsi ἄλλοις πονούντων, pro ἄλλως πονούντων, quod in Frobeniano repperi exemplo. Non solum enim Platonis scholiastae comparatio, qui quum ad Philochorum testem provocet ut Suidas ipse ἑτέροις πονῶν dixit, sed etiam ea ipsa id edocent, quae ab Suida dicta legimus „Εὐρυσθεῖ ταλαιπωρῆσαι."

[43]) Conferendi sunt de eodem proverbio Zenobius VI, 7 et auctor lexic.

to magis patebit, quae mens fuerit comicorum poëtarum, si aliam quandam similem in alios poëtas iactam irrisionem contemplamur.

In Suidae lexico s. v. *Ἀρκάδας μιμούμενοι* haec leguntur „*παροιμία ἐπὶ τῶν ἑτέροις πονούντων. Οἱ γὰρ Ἀρκάδες μαχιμώτατοι Ἑλλήνων γενόμενοι ἰδίᾳ ἐνίκησαν μὲν οὐδένα· ἑτέροις δὲ συμμαχοῦντες πολλούς· ταύτῃ δὲ τῇ παροιμίᾳ κέχρηται Πλάτων ἐπὶ Πεισάνδρῳ. διὰ γὰρ τὸ τὰς κωμῳδίας αὐτὸς ποιῶν ἄλλοις παρέχειν διὰ πενίαν, Ἀρκάδας μιμεῖσθαι ἔφη.*“ Quae quidem verba quem auctorem habeant nescio; scio tamen et sine ulla dubitatione affirmo, auctorem non esse infimi ordinis, sed fide dignissimum; quod rerum traditarum indoles aperte unicuique ostendit. Inde discimus, poëtam, quicunque est, propter paupertatem aliis suas dare coactum fuisse comoedias, atque propterea operis fructu esse privatum. Arcades pecuniae acquirendae caussa apud omnes, quicunque bello illato militibus egebant, militiam suscepisse, tam cognitum est omnibus, ut ne egeat quidem oratione. Neque dubitari potest fabularum commissiones non sine magnis sumptibus fieri potuisse. Nam non omnia choregi praestiterunt; sed ipsa civitas et poëta contulisse quaedam videntur [44]). At de his sumptibus Suidas vel, ut verius dicam, is, quem Suidas exscripsit, loqui minime putandus est. Quoniam Arcades (*ἐπὶ μισθῷ*) mercede conductos aliorum bella gessisse scimus, illum poëtam quoque ea conditione aliis fabulas docendas tradidisse probabile est, ut praemium quoddam ab iis oblatum acciperet. Iam vero indagandum est, de quo homine apud Suidam sermo instituatur. Qua in re Meinekium vidi in errores abiisse, quos evitare, nisi ad nimiam in scribendo libello festinationem coactus fuisset, tanto viro haud difficile fuisset. Primum enim suspicatur [45]), Platonem haec de Aristophane dixisse eamque suspicionem confirmare credit, quod ex incerta Platonis fabula Zenobius servaverit proverbium *τετράδι γέγονας*. Quae quidem omnia falsa esse, mox luculenter, credo,

---

Seguerian. p. 309, 28 ap. Bekk. de Mercurio Arist. Plut. 1128 et schol. Ne audi Gyraldum.

[44]) Boeckh. Staatsh. der Athener I, p. 182 et 487.

[45]) Meinek. Q. Sc. II, 12.

docebimus. Nihil ex Zenobii loco sequitur, nisi Platonem quoque, ut Amipsiam, Aristonymum et Sannyrionem, eodem proverbio „τετράδι γέγονας“ Aristophanem irrisisse; quod non mirum est, quoniam saepissime plures Comicos eodem conviciandi genere usos esse accepimus. Dein male intellexit Suidam, qui Platonem de semet ipso haec dixisse, non de alio poëta, ne cogitare quidem potuit[46]). Utriusque erroris origo in ea, quam recepit scriptura, ἐν Πεισάνδρῳ posita est pro ἐπὶ Πεισάνδρῳ, quam unice veram esse et probandam persuasum habeo. Similiter autem in Plutarchi vita Antiphontis[47]), praeeuntibus Meursio, Casaubono et Spaanio, pro σὺν Πεισάνδρῳ scripsit ἐν Πεισάνδρῳ, quam emendationem equidem non minus temerariam esse credo[48]). Nam quum Suidas neque dicere potuerit, Platonem de se ipso illa paroemia usum esse, neque alium nominaverit hominem: nihil superest, nisi ut sumamus Platonem dixisse, Pisandrum sui commodi caussa in usum aliorum comoedias condidisse. Ac quid est, quod de hac narratione vehementer dubitemus? Quidni potuit is, cuius pecuniae famem certissimis ex testimoniis novimus, quippe quam non Aristophanes solum, sed multi alii quoque comici poëtae perstrinxerunt, hanc quoque pecuniae comparandae viam ingredi, ut comoedias conditas hominibus victoriarum deportandarum gloriaeque inter populares acquirendae cupidis venderet? Vel si quis a Pisandro poëta comico animum prorsus retinet, nonne Plato potuit in fabula contra hunc demagogum edita pecuniae cupidinem eius etiam iusto maiorem spectatoribus ostendere atque haec de illo fingere? Sed quid? si ea res aliorum testimoniis potest

---

46) Fraudatus est Meinekius eo constructionis genere „διὰ τὸ τὰς κωμῳδίας αὐτὸς ποιῶν ἄλλοις παρέχειν“, quod non raro ita reperiri, si illum docere vellem, impudentiae me ipse accusarem.

47) Bene scio, apud comicos poëtas veterum Romanorum, Antiphonem dici virum ita nominatum, non Antiphontem; alteramque formam Latinae linguae magis convenire. Lil. Gyraldus semper ita loquitur, de poët. hist. dial. VII, p. 384 seqq. Tamen consuetudinem hodiernam tenui; licet equidem hanc esse rem putem ita comparatam, ut a Ciceronis scribendi more merito recedas, cfr. Ions. scr. hist. ph. p. 241. Schneider Formenlehre p. 146. 279.

48) Meinek. Q. Sc. II, 21.

confirmari. Pisandri socius et amicus, quocum simul mortuus esse perhibetur, erat Antipho, celeberrimus, de quo supra diximus, orator. Antiphontem simul cum Pisandro a Platone irrisum esse in fabula *Πείσανδρος* inscripta, sive *ἐν Πεισάνδρῳ*, sive *σὺν Πεισάνδρῳ* legas, constat. Iam vero est in confessis, Antiphontem primum orationibus in aliorum usum scriptis accepisse mercedem, magnasque ita sibi facultates comparasse divitemque esse factum [49]). Nonne idem homo ob eandem caussam poterat fabulas facere iisque permissis hominibus aliis mercedem accipere? Sed accedit testimonium scriptoris anonymi, qui Antiphontis vitam perscripsit, haec dicentis [50]) „*εἶτα φιλοχρήματος ὢν καὶ οὐ πολλὰ ἐκ τούτου κερδαίνων τραγῳδίας ἐποίει*“, cui quae opponere liceat, ego non video. Antipho autem vir erat, teste Thucydide, tam eximius ut rem incredibilem esse non putem [51]). Coniicio igitur, ab Antiphonte commotum eiusque exemplum secutum Pisandrum quoque fabulis condendis, et si vere locutus est Suidas, comoediis operam dedisse, ut inde sibi pecuniae copiam colligeret. Uterque erat *φιλαργυρίας* reus; uterque democratiae evertendae cupidus; uterque eandem elegit rationem, qua pecuniae cupidini suae satisfaceret. Quare si rem ipsam spectamus, potuisset Plutarchus *ἐν Πεισάνδρῳ*, potuisset *σὺν Πεισάνδρῳ* dicere. In Photii libro quod *ἐν Πεισάνδρῳ* reperitur, potest Photii esse commutatio, neque nos cogit Plutarchi verba immutare, ut neque Oleario, neque Spaanio [52]) assen-

---

[49]) Cfr. Thucyd. VIII, 68. Diodor. ap. Clem. Alexandr. Strom. I, p. 365. Ammian. Marcell. XXX, 4. Philostrat. p. 499. Pseudo-Plut. p. 832. Photius p. 486, 14.

[50]) Oratt. Graeci ex edit. Bekk. I, p. 8.

[51]) Thucyd. l. l. Quantus ingenii splendor Antiphontis fuerit, optime inde discimus, quod eius aequales eum timebant, cuius rei praeter Thucydidem auctor est Plutarchus, in Nicia cap. 6. „*δρῶν δὲ τῶν ἐν λόγῳ δυνατῶν ἢ τῷ φρονεῖν διαφερόντων — τῇ πρὸς Ἀντιφῶντα τὸν Ῥαμνούσιον ἀπιστίᾳ τῶν πολλῶν*“ Nestoris adeo cognomen accepit, ut vitae scriptor anonymus „*διὰ τὴν ἡδονήν*,“ quod fortasse ad priores magis, quam ad posteriores annos pertinet. At aliud nuper de Antiphontis laude protulit testimonium Aristotelis Fr. Ritschlius, vir doctissimus, in praeclara commentationis de Agathonis vita, arte et tragoediarum reliquiis particula, cap. VII, quod legitur in Ethicis ad Eudemum III, 5, p. 123 ed. Sylb.

[52]) van Spaan de Antiphonte, p. 154 in Opusc. Ruhnken. ed. Friedem.

tiar. Meursii coniecturae favet tamen, ut verum fatear, verborum collocatio: quae quidem mihi in hoc libro, qui rerum magis collectionem, quam bene scriptam enarrationem continet, non magni esse videtur momenti. His de caussis σὺν Πεισάνδρῳ retinendum esse statuo. Ceterum quod Suidas „διὰ πενίαν“ ait Pisandrum comoedias scripsisse, id non ita intelligendum est, tanquam vere homo pauperrimus fuisset. Nam hoc modo comici poëtae pecuniae cupiditatem notare solent. Ipsum Antiphontem alicubi Aristophanes πένητα appellat [53]), quem maxime divitem fuisse alii enarrant, quorum est Plutarchus, qui vera et falsa miscet his verbis „ὁτὲ μὲν δυσὶ τριηραρχῶν ναυσὶν, ὁτὲ δὲ στρατηγῶν καὶ πολλαῖς μάχαις νικῶν, καὶ συμμαχίας μεγάλας αὐτοῖς προσαγόμενος, καὶ τοὺς ἀκμάζοντας ὁπλίζων καὶ τριήρεις πληρῶν ἑξήκοντα, καὶ πρεσβεύων δὲ ἑκάστοτε“ cett. Eodem modo Socratem, quem Aristophanes a discipulis pecuniam accepisse mentitur, nullam aliam ob caussam πένητα vel πτωχὸν Eupolis appellavit [54]).

His expositis, hominum quorundam morem, aliis fabulas suas docendas tradendi, cognovimus, merito a poëtis irrisum et in contemptionem adductum; sed longe ab eo, propter quem Aristophanem perstringunt diversum. Erunt tamen, quod praevideo, non pauci, quorum a poëtis Pisandro et Antiphonte abhorret animus. At de Antiphonte quidem quae dixi, verissima esse censeo. Qua vita adeo ad eloquentiam adscendisse eum enarrant, ea ipsa huic opinioni favere videtur. Omnes enim prudentes consentiunt, Antiphontem neque a Gorgia [55]), neque ab alio quodam homine esse institutum, sed sine praeceptore, ut Aristophaneo utar vocabulo θυμόσοφον, sibi soli debere omnia. „Τὰ περὶ τοὺς λόγους“ ait anonymus „ἐξεπόνησε φυσικῇ δεινότητι τὴν ἐκ τῆς ἀσκήσεως μελέτην προσλαβὼν, μηδενὸς μὲν ἀκροασάμενος, ὅτι μηδὲ ἦν πω μήτε λόγων μήτε τεχνῶν ῥη-

---

53) Arist. Vespp. 1270. 1301.
54) Arist. Nubb. 876. Xenoph. Oeconom. XI, § 2 intptt.
55) „κατὰ δὲ τὰ Περσικὰ γενόμενος συνήκμασε Γοργίᾳ τῷ σοφιστῇ — μηδενὸς μὲν ἀκροασάμενος.“ Γέν. Ἀντιφ. ap. Bekk. Fossius praestantissimo libello de Gorgia nuper edito, quia ubi de discipulis Gorgiae loquitur, de Antiphonte tacet, non aliter iudicasse putandus est.

τορικῶν συγγραφεὺς, μήτε σοφιστὴς προεστηκὼς διατριβῆς, τοῖς πρὸ αὐτοῦ δὲ ἐντυχὼν βιβλίοις καὶ τοῖς τῶν ποιητῶν μάλιστα εἰς τοσοῦτον προῆλθε δεινότητος." Quod autem gravissimum est, accedit, quod scholam aperuit Athenis, qua iuvenes doceret, quae a Plutarcho simul cum Isocratea schola nominatur[56]. Ut igitur ex Isocratis schola[57], ita ex eius disciplina prodire poterant, qui poësi insignes plurima ab Antiphonte vel omnia acceperant. De Pisandro mihi ipsi mea sententia incertior videretur, si modo possem, quod Suidas dixit, aliter explicare. Profecto enim, quod bellum amabat et civilia frequentabat negotia, quod orationes ab Antiphonte factas habuit, nostram sententiam non adiuvat, sed opprimere potius videtur. Quare non valde refragarer, si quis Suidae verba ad Antiphontem solum referenda esse censeret. Quomodocunque autem statuendum videbitur, proverbium cognovimus in eos iactatum, qui pecuniae comparandae caussa negotia difficilia subeunt, et victoriae gloriam, quam ipsi adipisci possunt, relinquunt aliis[58].

Ad proverbium de Aristophane usurpatum, *τετράδι γέγονας*, reversi, officium nobis impositum videmus, ea explicandi, quorum caussa in poëtam nostrum tot Comici aequales illud converterint. Primum ad scholiastam Platonis eiusque dicta respiciamus. Credo enim eum ex Philochoro, quem ipse in partes vocat, sua hausisse; neque recte sentire, quicunque Philochori commemorationem ad extrema tantum trahat. Nam ex Suidae lexico apparet, de singulis, de quibus usurpari possit proverbium, hunc laudatissimum virum, cuius librorum iacturam vehementissime

---

56) Plut. de glor. Atheniens. p. 850, c. „*οὐ τοὺς ἐν ταῖς σχολαῖς τὰ μειράκια προδιδάσκοντας· ἐφ' οἷς οὐ τοὺς Ἰσοκράτεις καὶ Ἀντιφῶντας καὶ Ἰσαίους,*" quo in loco neminem credo offendet, prius Isocratem nominatum esse quam Antiphontem, quoniam saepe non adhibita summa diligentia homines loquuntur.

57) Memorantur ap. Plutarchum p. 837, c. „*Ἀσκληπιάδης ὁ τὰ τραγῳδούμενα συγγράψας καὶ Θεοδέκτης ὁ Φασιλίτης, ὁ τὰς τραγῳδίας ὕστερον γράψας.*"

58) Erat, quum mihi videretur Suidas de solo Antiphonte loqui velle, in aliorum usum orationes faciente; sed temere ad comoedias traxisse, quae ab auctore verborum de orationibus dicta erant. Mox tamen ab tam audaci coniectura abstinui.

dolemus, exposuisse. Is igitur, ita risum esse Aristophanem contendit, quia vitam suam profuderit, laboribus in aliorum usum susceptis. Qua ex re discimus, non de re sermonem institui, semel vel bis vel ter facta, sed de consuetudine poëtae saepius frequentata: quod cum iis convenit, quae antea ex Sannyrionis commemoratione collegimus. Dein ad vitae scriptorem transimus, qui diverso quidem modo, sed ita ut non repugnet Philochoro, de primis fabulis loquitur ab Aristophane per Callistratum et Philonidem editis. Apparet igitur, ex huius scriptoris sententia illam irrisionem propterea ad Aristophanem pertinuisse, quia quum primas fabulas composuisset, eas non doceret ipse, sed aliis docendas permitteret. Quid de hac re sentiendum sit, iam nobis restat indagandum.

XIX.

Nunc demum, posteaquam uberiore disputatione usus multa, quae minus accurate ab aliis exposita vidi, tractavi, de Aristophane loqui potero confidentius. Ac primum quidem quaeritur, a quibus histrionibus actae sint eius comoediae. Cui quidem quaestioni nonnisi imperfecte potest responderi, quoniam pauca tantum, certa quae nominentur iure et firma, memoriae tradita reperiuntur. Si singula enim fabularum argumenta, in quibus utrum primum, an secundum, an tertium praemium acceperit, et quibuscum poëtis certaverit ex didascaliis narratur, adimus: in iis semel tantum idque in argumento Pacis nuper reperto vox ὑπεκρίνατο exstat [59]. „Τὸ δὲ δρᾶμα“ ita ibi dictum est „ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος ἡνίκα Ἑρμῆν Λοιοκρότης.“ Ultima verba tam sunt obscura, ut vix audere velis coniecturam. Fortasse ut primarum partium actor Apollodorus, qui Trygaeum in scena proposuit, ita secundarum erat Loeocrotes quidam, qui Mer-

---

[59]) Ea didascalia primum innotuit in Germania ex Addendis ad Meinekii Quaest. Scen. Spec. II, quocum Guil. Dindorfii benevolentia erat communicata; sed omissis verbis, quae supra citavimus. Quae quidem servaverat Vir doctus suae fragmentorum editioni, p. 65. Nondum tamen omnia protulit, sed ultima perquam difficilia verba praetermisit, donec ea plena nobis tradere voluit Imm. Bekkerus, I, p. 244, cui ipse Dindorfius sua debebat.

curii personam gerebat. Deinde vitae scriptor anonymus ipsum quum Equites doceret primas partes suscepisse enarrat „μηδὲ μὴν ὑποκρίνασθαί τινος τολμῶντος, δι' ἑαυτοῦ Ἀριστοφάνης ὑπεκρίνατο αὐτοῦ τὸ πρόσωπον μίλτῳ χρίσας." Ac similiter scholiasta ad Aristophanis Equites loquitur, „λέγει οὖν ὅτι μηδενὸς ὑποστάντος αὐτὸν ὑποκρίνεσθαι, αὐτὸς ὁ Ἀριστοφάνης μιλτώσας ἑαυτὸν ὑπεκρίνατο, ἢ τῇ τρυγίᾳ χρίσας ἑαυτόν." Neque tamen duo habemus duorum virorum testimonia, sed unum unius hominis, quia vitae scriptorem scholion exscripsisse probabile est[60]). Quare omnia incerta esse arbitror. Nam in ipsis poëtae verbis, quibus scholion illud adscriptum est, ne tenue quidem vestigium rei traditae occurrit. Quanquam si Aristophanem rei scenicae hac ratione operam dedisse aliunde pateret, non mirarer; quia filii eius vel imprimis artis histrionicae caussa celebrantur. Neque comoediae praestantia non augeretur, si Cleonis personam non solum induisset ipse Aristophanes, sed sine ullo velamento ipse in scenam prodiisset. Tum idem scriptor in fine vitae haec adiicit „ὑποκριταὶ Ἀριστοφάνους Καλλίστρατος καὶ Φιλωνίδης, δι' ὧν ἐδίδασκε τὰ δράματα ἑαυτοῦ διὰ μὲν Φιλωνίδου τὰ δημοτικά, διὰ δὲ Καλλιστράτου τὰ ἰδιωτικά." Priora autem verba a posterioribus primo adspectu separanda esse videntur. Histrionibus enim docendae fabulae non traduntur. Quod autem maximum credet aliquis huius separationis testimonium, idem homo dixerat antea, irrisum esse poëtam ab Aristonymo et Amipsia, quia per Philonidam et Callistratum fabulas docuisset; nemo autem propterea irrideri potuit illa aetate, quod histrione uteretur. Sed praeterea comparandus est scholiasta ad Nubes a Brunckio editus „δηλονότι ὁ Φιλωνίδης καὶ ὁ Καλλίστρατος, οἱ ὕστερον γενόμενοι ὑποκριταὶ τοῦ Ἀριστοφάνους." Certo igitur ex his omnibus colligimus, Apollodoro, Aristophanem, Philonide et Callistrato primarum partium actoribus usum esse. Quum dubitari nequeat, in didascaliis notatos fuisse histriones, omisisse commentatores eorum nomina propterea credo, quia inde nihil utilitatis ad fa-

60) Idem traditur in schol. ad Vespp. 1016. „κινδυνεύων καθ' ἑαυτὸν] διὰ γὰρ τὸν κίνδυνον οὐδεὶς ὑπεκρίθη τοὺς Ἱππέας," quae non minus incerta esse censeo; imprimis notandus est, quod de tota fabula dixit, quae de Cleonis persona erant dicenda.

bulam ipsam intelligendam redundaret [61]). Restat tamen unus, quem adhuc praetermittere satius duxi, Araros filius.

De eo enim in argumento Pluti fabulae haud dubie ex didascaliis hausto haec leguntur „ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀντιπάτρου — τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι, καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα δι' αὐτῆς τοῖς θεαταῖς βουλόμενος, τὰ ὑπόλοιπα δύο δι' ἐκείνου καθῆκε Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα.“ His conveniunt, quae ab aliis dicta reperiuntur; ab schol. ad Plut. v. 173. „ἐν δευτέρῳ — ὃς ἔσχατος ἐδιδάχθη ὑπ' αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον;“ schol. Platonis „ἰδίοις τε καὶ τοῦ πατρὸς δράμασι διηγωνισμένον.“ Comparanda sunt quae vitae scriptor de his rebus pronuntiavit, qui postquam de Pluto dixit, haec adiicit „ἐν τούτῳ δὲ τῷ δράματι συνίστησε τῷ πλήθει τὸν υἱὸν Ἀραρότα, καὶ οὕτω μετήλλαξε τὸν βίον — Ἀραρότα, δι' οὗ καὶ ἐδίδαξε τὸν Πλοῦτον.“ Quae si inter se comparamus, omnia aliunde hausta bene convenire et conferri posse apparet; vitae autem scriptorem in alia omnia abire perspicimus. Hermannus, confusione bene perspecta, mutationem nimis magnam adhibuit [62]). Criticam enim artem factitantes, non quid scribendum fuerit, sed quid scriptum sit, enucleamus. Ea ipsa fortasse ex didascaliis hausta enarratione seductus, ad Plutum traxit, quae de Aeolosicone et Cocalo ab argumenti scriptore dicta erant. Quanquam quod Aristophanem post Pluti editionem mortem obiisse enarrat, et Plutum non ante Cocalum, sed post eam fabulam commissam esse docet, ad aliam nos ducit sententiam. Nam ab initio quoque in Cocalo primum esse ab Aristophane novae comoediae formam adhibitam tradidit. Omnia igitur produnt hominem temerarium, et quae in buccam veniunt fundentem, simulque summa inscitia conspicuum.


Nisi fallor, sine idonea caussa Clintonus [63]) ex verbis in argu-

---

[61]) Simili ratione G. A. B. Wolffius V. C. de Canticis in Romanorum fabulis scenicis, p. 46, in simili caussa versatus est. „Donatus parum curabat, quae proxime ad fabulae actionem in scena pertinebant, satis habens ea tantum de re scenica monuisse, quae ad interpretationem prodessent.“ Mihi igitur viam munivit Vir summe Venerandus.

[62]) cfr. Leipziger Literaturzeitung, 1829, mens. August. No. 203—204, p. 1628 seqq.

[63]) cfr. Clint. fasti p. 101.



mento scriptis, quae supra posuimus, in Pluto Ararotem ὑποκριτοῦ, in Cocalo vero et Aeolosicone διδασκάλου partes suscepisse coniecit; ac sine idonea caussa Dindorfius Clintono assensionem non denegavit[64]). Nam etsi verissimum est, διδασκάλου partes in Cocalo et Aeolosicone Ararotem suscepisse, unde collegerunt, histrionem fuisse in Pluto? Ex his sine dubio „καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα δι' αὐτῆς τοῖς θεαταῖς," sed ubi tandem de histrione aliquid scriptum est? Haec ipsa ad Cocalum et Aeolosiconem trahenda esse, nemo non videbit.

Ararote igitur, Aristophanis patris histrione, relicto, ad fabularum transimus doctorem. Etenim ab argumenti scriptore docemur, ultimis fabulis duabus in certamen commissis comoediarum auctorem non inscriptum esse Aristophanem patrem, sed Ararotem filium. Conveniunt optime, quae anonymus de comoedia protulit „τοὺς λοιποὺς ἐπιγραφόμενος ἐνίκα· ἔπειτα τῷ νέῳ ἐδίδου τὰ δράματα"; conveniunt non minus, quae supra attulimus. Quae igitur antea risit Aristophanes, quum Iophontem crederet a Sophocle dramata accepisse: ea ipse postea admisit, comicisque posterioribus filium suum perstringendi ansam dedit. Perquam mirum est, quod a Clemente Alexandrino Araroti filio vere tributum videmus Cocalum in loco a Casaubono verissime correcto[65]). Inde enim discimus, non solum quum fabula doceretur, suum praeposuisse nomen filium, sed etiam quum postea scriberetur, et posteritati traderetur, idem factum esse. Cui non repugnat, quod ab aliis Aristophanes appellatur auctor. Id enim vera e coniectura factum esse patet. Fortasse tamen Clemens Alexandrinus, qui Κώκαλον τὸν ποιηθέντα Ἀραρότι nominat, ab alia fabula hanc discernit, de qua re postea videbimus.

Ut in fine vitae filii caussa, ultimas, quas confecerat, fabulas Araroti tradidit, partamque gloriam ad illum transtulit: ita quum primum animum ad scribendas fabulas appelleret, sui ipsius caussa aliis hominibus suas fabulas docendas permisit.

---

[64]) Dind. de fragm. Aristoph. p. 80 seq.
[65]) cfr. cap. primum huius commentationis.

Maxime cavendum est, ne in hac re in errores delabamur, quos quicunque hos ipsos homines primarum tantum partium actores fuisse crediderunt, non evitarunt. Qualis ea res fuerit, nos iam ex irrisione Comicorum, quibuscum certavit, ex parte cognovimus. Adeamus nunc poëtae fabulas ipsas, et ex Aristophanis ore, quantum licet, cognitionem, quam habere cupimus, hauriamus; atque hoc demum negotio finito, primum ad Comicorum irrisionem revertamur; denique[60]) scholiastas et grammaticos audiamus. Ac primum quidem rem, quam tractamus, ipse tetigit Equitum fabula, in qua chorum ita canentem induxit v. 513 — 518:

῞Α δὲ θαυμάζειν ὑμῶν φησιν πολλοὺς αὐτῷ προσιόντας,
καὶ βασανίζειν, ὡς οὐχὶ πάλαι χορὸν αἰτοίη καθ᾽ ἑαυτὸν,
ἡμᾶς ὑμῖν ἐκέλευσε φράσαι περὶ τούτου· φησὶ γὰρ ῾ἀνὴρ
οὐχ ὑπ᾽ ἀνοίας τοῦτο πεπονθὼς διατρίβειν, ἀλλὰ νομίζων
κωμῳδοδιδασκαλίαν εἶναι χαλεπώτατον ἔργον ἁπάντων·
πολλῶν γὰρ δὴ πειρασάντων αὐτὴν, ὀλίγοις χαρίσασθαι·
ὑμᾶς δὲ πάλαι — — —.

Posteaquam celeberrimos poëtas nominaverat, iam ad se reversus ipsum, 541—545, haec coram spectantibus exponit:

ταῦτ᾽ ὀῤῥωδῶν διέτριβεν ἀεὶ, καὶ πρὸς τούτοισιν ἔφασκεν
ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν,
κᾆτ᾽ ἐντεῦθεν πρωρατεῦσαι καὶ τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι,
κᾆτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ· τούτων οὖν οὕνεκα πάντων
ὅτι σωφρονικῶς κοὐκ ἀνοήτως ἐσπηδήσας ἐφλυάρει,
αἴρεσθ᾽ αὐτῷ πολὺ τὸ ῥόθιον — —.

Quae si consideramus, luce solis clarius patet, ante hanc fabulam doctam, ab archonte sibi non petiisse chorum, ac propterea esse ab aliis reprehensum Aristophanem (513, 514). Simul intelligimus, antea non esse nominatum, quum eius fabulae ederentur, neque si victoriam deportasset, publicis monumentis, quibus victoriae in musicis certaminibus deportatae celebrabantur, inscriptum.

60) Plurimi, qui hanc rem tetigerunt, propterea maxime erraverunt, quoniam obscuris hominibus auditis poëtam adibant, et ex horum sententia eius verba interpretabantur: qua via semper in errores vel maximos incidas necesse est.

Tamen nisi quibusdam res cognita et perspecta fuisset, non poterat neque reprehendi, neque sese defendere. Denique quod alii vituperabant, eum sibi laudi ponendum iudicasse cernimus (545). Postremo caussam agendi rationis suae explicat. Si qui putant, novos homines semper non sine maxima difficultate nactos esse, qui fabulis docendis sumptus praeberent: eos a veritate aberrare ut alia, ita haec Aristophanis verba docent[67]). Qui enim reprehendissent poëtam Comici, huius difficultatis non ignari? Cur hanc esse caussam, non exposuisset Aristophanes coram scientibus? Novorum adéo poëtarum proventum Athenienses adamasse, poëtisque recens natis favisse prae reliquis videntur[69]). Ac praelegi solebant ante actionem fabulae, ut qualis earum indoles sit cognosceretur; archontibus scriptae tradi poterant, ut legerent ante commissionem. Neque deerat alia via atque ratio. Cunctatum igitur se esse profitetur poëta propter negotii suscepti difficultatem; et quae placerent Atheniensibus cognoscere non suo, sed aliorum periculo.

Sed praestat, iam abire ab Equitum fabula, ut quid alibi de sua agendi ratione docuerit, videamus, eamque comparatione instituta melius intelligamus. In Nubibus igitur fabula quum tertium praemium detulisset et a Cratino et Amipsia victus esset, de comoediae praestantia suae honorificentissimo iudicio lato, spectatores reprehendere constituit: dein haec verba adiecit, 527—533:

ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὧς ὑμῶν ποθ᾽ ἑκὼν προδώσω τοὺς δεξιούς.
ἐξότου γὰρ ἐνθάδ᾽ ὑπ᾽ ἀνδρῶν, οἷς ἡδὺ καὶ λέγειν,
ὁ σώφρων τε χὠ καταπύγων ἄριστ᾽ ἠκουσάτην,
κἀγὼ, παρθένος γὰρ ἔτ᾽ ἦν, κοὐκ ἐξῆν πώ μοι τεκεῖν,
ἐξέθηκα, παῖς δ᾽ ἑτέρα τις λαβοῦσ᾽ ἀνείλετο,
ὑμεῖς δ᾽ ἐξεθρέψατε γενναίως κἀπαιδεύσατε·
ἐκ τούτου μοι πιστὰ παρ᾽ ὑμῖν γνώμης ἔσθ᾽ ὅρκια.

---

67) Ne neglige scholiastae Platonici verba p. 399 ed. Bekk. „χορὸν οὐ δώσομεν] ἀντὶ τοῦ εὐδοκιμήσομεν καὶ νικήσομεν. χορὸν διδόναι γὰρ ἔλεγον ἐν ἴσῳ τῷ εὐδοκιμεῖν καὶ νικᾶν. παρὰ γὰρ τοῖς Ἀθηναίοις χοροῦ ἐτύγχανον κωμῳδίας καὶ τραγῳδίας ποιηταὶ οὐ πάντες, ἀλλ᾽ οἱ εὐδοκιμοῦντες καὶ δοκιμασθέντες ἄξιοι.“

69) Aristoph. Equitt. 519 seqq.

His omnia optime confirmantur, quae ex Equitum fabula collegimus. Se enim cum virgine confert, quae partum edidit; sed quia virgo est, neque marito nupsit, partum exponit, aliisque tradit nutriendum. Iamque quod sibi illicitum fuerit, partum edere, id Equitum fabula lecta, nemo ad legem trahet Athenis latam, sed ad liberum poëtae consilium, quo ductus partum abiecerit. Accedit, quod partum ab alia *virgine* susceptum (παῖς δ' ἑτέρα) et Atheniensibus traditum esse dicit, quae, si lex fuisset scripta, vel ipsa suscipere partum non debebat. Praeterea autem, dum exponit, quae istam fabulae commissionem secuta sint, simul qua de re ita egerit, non obscure significat. Quoniam enim pulchre ea erat Athenis spectata, erat inter Athenienses et Aristophanem vinculum quoddam natum, quo uterque se teneri sentiebat.

Progredimur ad alios versus. In Vespis enim fabula, ut in correctis Nubibus, ut spectatores propter victoriam denegatam reprehenderet, haec verba dixit, 1017—1022:

ἀδικεῖσθαι γάρ φησιν πρότερος, πόλλ' αὐτοὺς εὖ πεποιηκώς,
τὰ μὲν οὐ φανερῶς, ἀλλ' ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς,
μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν
εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι,
μετὰ τοῦτο δὲ καὶ φανερῶς ἤδη κινδυνεύων καθ' ἑαυτὸν
οὐκ ἀλλοτρίων —.

Ad tertiam pervenimus aliarum rerum comparationem, quae se invicem singulae explicant, eamque eo magis perspicuam, quo notior est Euryclis illius *ἐγγαστριμύθου* [69]) oracula pronuntiandi ratio. Ut in Eurycle *ἀγαθὸς δαίμων* inerat, in ventre eius occultus, cuius ille minister cogitandus est; ita Aristophanes in ventre aliorum poëtarum absconditus per eorum ora sua va-

---

[69]) Multa bene exposuit scholiasta, qui supra positum Vesparum locum explicuit. Confr. Schneideri lexicon Gr. s. v. *Εὐρυκλῆς*, qui omnes fere veterum locos, quibus de hoc viro sermo est, protulit, sed his verbis dictis erravit „die gemeine Vorstellung war, als habe jeder Bauchredner einen *Εὐρυκλῆς* oder *Πύθων* in sich, der aus ihm spreche und wahrsage.“

ticinia cecinit. Ubique reperitur eadem propter hanc agendi rationem superbia; ubique eadem perspicitur sententia, eam maxima esse laude dignam. Ubique praedicantem audimus, se insolita neque antea a quoquam usurpata aggressum fuisse. Ubique non aperte, sed clam; non scientibus civibus, sed ignaris, comicum eum fuisse poëtam declaratur [70]).

Agedum, ad Comicorum irrisionem Aristophanis redeamus. Illud autem primum nobis recte ponere videmur, eam recte esse a vitae scriptore ad fabulas aliis hominibus traditas relatam. Deinde a nobis ipsis non immerito totum irridendi genus ad Aristophanis laudes pertinuisse dictum esse apparuit. Neque obscurum est, qua ratione illi Aristophanem suo laboris privatum esse fructu dictitarunt. Etenim vix credo, propterea illos *τετράδι γενονέναι* Aristophanem affirmasse, quia *ποιητῶν μισθὸν* non acceperit [71]). Ita enim sese reprehenderent ipsi, non riderent Aristophanem. At quod alii publice celebrabantur et publicis monumentis ut victores inscribebantur, Aristophanis igitur nomen delitescebat et minuebatur bene parta gloria, illi riserunt; quod quanti fecerint Athenienses *φιλότιμοι*, non est, de quo latius disputem. Ceterum si haec vera sunt, de quo nemo dubitabit, haec reprehensio iis debet popularium testimoniis de poëtica Aristophanis virtute luculentissimis addi, quae primis capitibus huius commentationis persecutus sum.

Nunc demum licet nobis ad grammaticos et scholiastas, qui hanc Aristophanis agendi rationem primumque eius in scenam ingressum descripserunt, adire et quae illi his adiiciant fide digna, contemplari.

XX.

Undecim supersunt Aristophanis fabulae, ab archonte sive Euthymene sive Euthydemo usque ad Antipatrum doctae (hoc est ab Ol. 88, 3 usque ad Ol. 97, 4, quod nunc quidem sumimus, postea autem demonstrabimus). Quarum in numero

---

[70]) Non obliviaci debemus, quod se dicit inserviisse *ἑτέροισι ποιηταῖς*.
[71]) cfr. Boeckh's Staatsh. der Ath. I, p. 258.

duae sunt, quae sine nota didascalica ad nos pervenerunt, Thesmophoriazusae et Ecclesiazusae: ut de iis, quae ad earum commissionem pertinent, nihil quidquam ex antiquitate scriptum habeamus. De novem reliquis comoediis quattuor esse a poëta doctas accepimus, Equites, Nubes, Pacem, et Plutum ultimam. Ad Equitum enim fabulam ab argumenti scriptore adnotatum est „ἐδιδάχθη — τὸ δρᾶμα δι' αὐτοῦ Ἀριστοφάνους. πρῶτος ἐνίκα.“ Ad Nubes „αἱ πρῶται Νεφέλαι ἐν ἄστει ἐδιδάχθησαν — διόπερ Ἀριστοφάνης ἀποῤῥιφθεὶς παραλόγως ᾠήθη δεῖν ἀναδιδάξας τὰς δευτέρας“ cett. Ad Pacem „ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς — δεύτερον Ἀριστοφάνους Εἰρήνη.“ Ad Plutum „τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι.“ Praeterea ex argumento Pacis cognoscimus, alteram Pacem esse ab Aristophane in certamen commissam; qua de re quum didascaliarum auctor et Eratosthenes eius testes sint, nemo dubitare potest. In toto harum fabularum numero semel duntaxat, quo histrione fabula acta sit, docetur; sed nihil de Callistrato, nihil de Philonide audimus. Restant quinque comoediae, quarum tres ad Callistratum referuntur, duae ad Philonidem, quantum librorum nostrorum scripturae confidere licet. At de tribus quidem Callistrato tributis nulla exorta est dubitatio. In argumento enim ad Acharnenses ita scriptum est, „ἐδιδάχθη — διὰ Καλλιστράτου· καὶ πρῶτος ἦν, δεύτερος Κρατῖνος“ cett. Ad Aves „ἐδιδάχθη — διὰ Καλλιστράτου ἐν ἄστει, ὃς ἦν δεύτερος τοῖς Ὄρνισι· πρῶτος Ἀμειψίας“ cett. Ad Lysistratam „ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου —· εἰσῆκται δὲ διὰ Καλλιστράτου.“ Patebit autem omnibus, eadem ratione dictum esse de tribus fabulis. Nulla est Aristophanis mentio, Callistratus docuit Acharnenses et Aves; in certamen commisit Lysistratam; Callistratus, ut Cratinus, Amipsias, alii, in scenam prodiit, et praemium aut primum aut secundum accepit. Transimus ad Philonidem. In argumento ad Ranas haec leguntur „ἐδιδάχθη — διὰ Φιλωνίδου εἰς Λήναια· πρῶτος ἦν, Φρύνιχος δεύτερος“ cett. „οὕτω δὲ ἐθαυμάσθη τὸ δρᾶμα διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παράβασιν, ὥστε καὶ ἀνεδιδάχθη“ [72]). Ad Vespas „ἐδιδάχθη — διὰ Φιλω-

72) Alii libri vel apertius meae sententiae favent, in quibus haec scripta

νίδου", ut nostra fert codicum scriptura. Ex deperditis fabulis duae Philonidi tribuuntur, Proagon in argumento ad Vespas, Amphiaraus ad Aves. Posteriore in loco haec scripta sunt „*ἐπὶ Χαβρίου τὸ δρᾶμα καθῆκεν εἰς ἄστυ διὰ Καλλιστράτου· εἰς δὲ Λήναια τὸν Ἀμφιάραον ἐδίδαξε διὰ Φιλωνίδου*", quibus cum vera didascalia comparatis, quam supra notavi, quo diverso modo de eadem re loquantur homines, intelligimus. Priore loco haec invenimus „*καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προαγῶνι*", in quibus verbis scribendis omnes consentiunt. Quae quum sine dubio ex didascaliis petita sint, Philonidem ibi inscriptum fuisse victorem primum, negari nequit. Iam vero quum Philonidis Proagonem neque Suidas neque alius quisquam commemoret; Proagonem autem Aristophanis saepissime laudatum inveniamus, nihil apertius cogitari potest, quam Philonidem docuisse et in certamen commisisse; fecisse autem eam fabulam Aristophanem [73]). Praeterea duae fabulae Callistrato ex didascaliis, ut videtur, adscribuntur; Daetalenses et Babylonii; Babylonii a Photio et Suida [74]), Daetalenses ab anonymo de comoedia „*ἐδίδαξε δὲ πρῶτον ἐπὶ ἄρχοντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου*", quae conferenda sunt cum testimonio Aristophanis antea ex Nubibus allato, quo is sese Daetalenses primam docuisse fabulam confitetur. De Daetalensibus dubitavit G. Dindorfius; quod quo iure fecerit, mox videbimus.

Quot hucusque testium audivimus, eorum nullus de histrionibus Callistrato et Philonide vel primarum partium actoribus locutus est; praeter vitae scriptorem et obscurum scholiastam, de quibus superiore capite exposuimus. Quare ea res maximae dubitationi est obnoxia. At omnes testes audiamus; ac primum quidem anonymum de comoedia, qui fide est profecto non indignus. Is autem ita loquitur „*ἐδίδαξε δὲ πρῶτον ἐπὶ ἄρχοντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου· τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς*

---

reperiuntur „*ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Ἀντιγένη διὰ Φιλωνίδου ἐπὶ Ληναίῳ. Φιλωνίδης ἐπεγράφη καὶ ἐνίκα.*"

[73]) Eadem est Dindorfii sententia, Arist. fragm. p. 64—69.

[74]) Phot. lexic. p. 499, 1. Suid. s. v. *Σαμίων ὁ δῆμος*. Dindorf. l. l. p. 56. „*τοὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου Ἀριστοφάνης.*"

τούτῳ φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰς δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ. διὰ δὲ τοῦτο νομισθεὶς ἀγαθὸς ποιητὴς τοὺς λοιποὺς ἐπιγραφόμενος ἐνίκα· ἔπειτα τῷ υἱῷ ἐδίδου τὰ δράματα.“ Primum ea breviter paucis verbis exposita esse, simul autem fere omnino nostrae sententiae favere, quivis videt. Nam de Ararote et Callistrato et Philonide iisdem verbis utitur, (διδόναι, ἐδίδου) ut eandem rationem trium virorum esse pateat. Neque abhorret, quod dicit, ita virtutem viri poëticam cognovisse Athenienses: quum potius ea ipsa videatur caussa fuisse, quare ab initio hanc agendi rationem iniverit. In una modo re a veritate aberrasse videtur, quia post primas fabulas Aristophanem omnes ipsum edidisse et docuisse affirmat usque ad finem vitae, quo Ararotem in scenam inducere voluerit. Nisi fallor, hoc peccatum — peccavisse enim scriptorem ex didascaliis servatis evicimus — excusari potest, si quam pronuntiavi, sententia vera est, libellum illum excerptum esse ex maiore libro[75]. In excerptis enim talia vix evitari possunt vitia, si nimis brevitati studemus. Deinde vero ex hoc scriptore discimus, fabulas politicas Callistrato Aristophanem dedisse; contra Socratem et Euripidem scriptas Philonidi. Atque ipse ita sese redarguit, quum primum dicat, Aristophanem Callistrato politicas dedisse; dein id ad primas referat comoedias, in quibus ne una quidem nobis cognita est, quae contra Socratem et Euripidem edita sit, ut in iis quidem nullus Philonidi locus fuerit; plures autem fuisse credi utique nequit[76]. Quare summo iure nostro, excerpendo scriptorem peccavisse, affirmavimus.

Verum tamen utrum recte dixerit, qua lege comoedias Ar. inter Callistratum et Philonidem distribuere consueverit, nunc videndum est. Qua in re id maxime tenendum est, de histrionibus non esse institutum sermonem, sed de iis, qui suo nomine Aristophanis fabulas in certamen commiserint. Hoc quum nescirent recentiores, in maximos errores abierunt, im-

---

[75]) Excerpta hunc libellum de comoedia continere, mecum censet Dindorfius l. l. p. 64. Posset tamen „τοὺς λοιποὺς“ pro corrupto haberi, quia genus minus aptum est.

[76]) Nam unam praeterea docuisse fabulam, equidem coniicio.

primis a vitae scriptore seducti, omnia stolide pervertente et miscente [77]. Is enim non solum Philonidi τὰ δημοτικά, Callistrato τὰ ἰδιωτικά adscripsit; sed etiam utrumque Aristophanis histriones fuisse memoriae prodidit. Clintonus igitur, cui Dindorfius assentitur, ubi Philonidis et Callistrati nomina sedem mutare iubet, vitium a scriptore ipso admissum correxit [78].

Primum quaeritur, utrum comoediarum discrimen, quale dictum est ab Anonymis, admittendum sit. At quis possit illud negare velle? Manso fabularum Aristophanis classes quasdam constituit [79]. Quarum quum tres enumerarit, si accurate eius verba legimus, proprie tantum duas esse facile intelligemus. Sunt enim aut politica, aut literaria dramata. Roetscherus magna sibi moliri videtur, hanc totam Mansonis distinctionem reprehendendo et refutando [80]. Manso vero, Vir vere doctus et ingeniosus, statim ab initio professus erat, nullam esse scriptam, quae non ad civitatis Atticae formam, conditionem, instituta et vitia respiciat; quare idem cum Roetschero sensisse censendus est. Profecto Socratem et Euripidem non irrisisset poëta, nisi cives essent et ex eius sententia civitati ferrent incommoda et vehementer nocerent. Discrimen autem adesse, negari nequit, si hominem perstringit, qui princeps est civitatis, vel qui gerit rempublicam, et contra, si hominem, qui a republica gerenda abstinet, sed aut poëtica arte sua, aut philosophiae studio insignis, longe alia via incedens vim in singulos cives exercet. Quare tale discrimen nullo modo absonum vocari posse, equidem arbitror.

Tum an caussa adesse possit, quare alteri politicas comoedias tradiderit, alteri eas, quae contra Socratem et Euripidem erant scriptae, indagandum est. Qua quidem in re quum nihil traditum sit, satius esset fortasse tacere. Sed nonne maior

---

77) Ita imprimis Sueveraium, V. D., lapsum esse puto in commentatione de Avibus p. 59.

78) cfr. Clinton. in Fast. Hellen. p. 67. Dindorf. l. l. p. 64 seq.

79) Manso, Nachträge zu Sulzers Theorie der schönen Künste P. VII, p. 113—168, quae repetita et in Latinum sermonem translata reperiuntur in Beckii commentariis II, p. LXV—LXXII.

80) Rötscher, Aristophanes p. 68—76.

poscebatur audacia, si quis totam civitatem irridere, an si singulos homines perstringere vellet? Inter fabulas, quas ipse confecit Philonides, una memoratur, Κόθορνοι inscripta, quam primus Hemsterhusius, deinde Meinekius in Theramenem lusisse autumarunt [81]). Quae coniectura si vera est, quod negare nequeo, inde meam sententiam refutari intelligo. Caussa igitur minus perspecta, persequamur reliqua.

Quodsi quae indubitata sunt, et ex certissimis didascaliis hausta componimus: Acharnenses, Aves, Lysistrata inter superstites, Babylonii inter deperditas sunt a Callistrato; Ranae, Proagon et Amphiaraus a Philonide doctae. Neque unquam fuit, qui Ranas et Proagonem contra Euripidem scriptas; Acharnenses, Babylonios, Aves et Lysistratam politici esse argumenti negare conaretur. De Amphiarao, cuius fragmenta non multa ad nos venerunt, dubitari potest; imprimis ex quo Suevernius, V. C., Niciae deridendo hanc comoediam scriptam fuisse suspicatus est. Sed caute G. Dindorfius eius coniecturam improbavit, ut nimis incertam [82]). Nam ipsa inscriptio docet, tragicum rideri argumentum. Idcirco hanc fabulam illis refragari, nemo audebit obtinere. Supersunt duae fabulae, quas hucusque omisimus, Daetalenses et Vespae, quae quum haud dubie politicis annumerari debeant, Callistrato tribui deberent. Ac de Daetalensibus quidem fide dignum adest Anonymi de Callistrato testimonium, quod supra protulimus; nuper autem Dindorfius fide indignum esse iudicavit [83]). G. Dindórfius, Vir Doctissimus, in tota de Callistrato et Philonide disputatione sua a veritate aberravit, quia paucis grammaticorum testimoniis nimis se duci passus est; eosque histriones modo et primarum partium actores putavit. Et quum primo de Daetalensium doctore disputaret, grammatici testimonium, quod et alio scriptionis loco et in Addendis tetigit, memoria non tenuit; ratione igitur diiudicavit, quod testibus allatis multo facilius expeditur. Eius

---

[81]) Hemsterhus. ad Polluc. VIII, 39. Meinek. Q. Sc. II, 39.

[82]) cfr. Suevern. in comment. de Avibus p. 58 seq. Dindorf. Ar. fragm. p. 42.

[83]) Dindorf. l. l. p. 64, et 40; Addend. p. IV seq.

ratio haec est. Quum auctoribus grammaticis tres fabulas primas Callistratus et Philonides docuerint: Babylonios autem et Acharnenses ab Callistrato actas esse liquido sciamus, Daetalenses a Philonide doctas esse sequitur. Qua in re quod primo posuit loco negandum est. Iam enim ostensum est, illam legem non ad tres primas solum fabulas pertinuisse, sed ad longe plures sequiore aetate doctas esse referendam. Tota igitur ratiocinatio concidit. Grammatici nescio unde hauserant quidem, Philonidem et Callistratum docuisse Aristophanis dramata; sed quae quisque eorum docuerit, non habebant compertum, quod praeclare videre licet ex scholiasta ad Nubes, qui ubi Aristophanes se alii cuidam virgini tradidisse comoedias profitetur, ad explicandam vocem „*παῖς ἑτέρα*" ita scripsit „*Φιλωνίδης καὶ Καλλίστρατος, οὐ γὰρ δι' ἑαυτοῦ ἐδίδαξε τοὺς Δαιταλεῖς, πρῶτον αὐτοῦ δρᾶμα*" [84]), quod nemo ita intelliget, utrumque coniunctum id fecisse, praesertim cum singulari numero utatur Aristophanes. Ceterum id ipsum incertum est, utrum ante Equites tres duntaxat ab Aristophane fabulae confectae et in scenam ab aliis productae fuerint: quum nemo id disertis verbis dixerit, et quoque anno una modo nominetur fabula: aetate posteriore semper fere duas, Lenaeis et Dionysiis urbanis, poëta ediderit [85]).

Venio ad Vespas, quam non minus credo illi legi adversari fabulam. In didascalica enim nota, ab argumenti scriptore servata fabulaeque praemissa haec leguntur verba „*ἐδιδάχθη — διὰ Φιλωνίδου ἐν τῇ πόλει*", quibus Philonidem Vespas docuisse disertim traditur. Iam recte Dindorfius, interdum duo poëtas accepisse choros et uno eodemque festo duas commisisse fabulas,

---

[84]) Schol. ad Nubb. 531.

[85]) Plurali numero utitur Vespp. 1020. „*εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι*" 1018. „*ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς.*" Quare contra Euripidem fortasse fabula docta est Lenaeis eius anni, quo Babylonios docuit Dionysiis. Babylonios enim et Acharnenses sese excepisse invicem, certum est. Post Acharnenses autem iterum, antequam Equitibus doctis ipse procederet, eiusdem anni Dionysiis per Philonidem fabulam docere potuit; quanquam sunt non pauca, quibus haec coniectura impeditur. Sed priori coniecturae nihil obstare video; favet potius quam maxime anonymus de comoedia.

ex monumento didascalico ostendit; quare profecto Philonides duas fabulas Aristophanis εἰς Λήναια docuisse dici potest. Tamen Meinekium pro Philonide Callistratum reponentem non temere egisse censeo. Nam si duo sibique contraria et adversa de eadem re extant testimonia, id praeferendum est, quod fide dignissimum est. Quanquam autem notas didascalicas fide maxime dignas esse vidimus: tamen hanc propterea magni facere non possumus, quia aperte corrupta est, et corruptio ab ipsis illis verbis „ἐν τῇ πόλει", quae statim post διὰ Φιλωνίδου leguntur, incipit. Propter corruptam autem notam didascalicam equidem legem non repudiare audeo, quam praeterea ubique aptam veritatique consentaneam deprehendimus. A Dindorfio igitur quam maxime dissentiens, non magis probo Meinekii correctionem, quam non lenissimam esse vere dixit Dindorfius. Censeo enim, ipsum suo nomine poëtam Vespas edidisse, Philonidique Proagonem docendam permisisse, eiusque sententiae auctorem, non habeo grammaticum, non scholiastam, sed en! poëtam ipsum. Nihil enim apertius est, quam eundem, qui Equites et Nubes suo nomine commiserit, Vespas quoque docuisse. Lege modo Vesparum parabasin; neque quidquam praeterea desiderabis [86]). Hinc discimus, Aristophanem Equites, Nubes, Vespas, Pacem, Plutum suo nomine edidisse. Atque in Pluto quidem fabula, a qua parabasis abest, nihil de sese praedicavit; in reliquis omnibus de se multa dicentem reperies; in fabulis a Callistrato et Philonide dictis de Aristophane ne verbum quidem legimus. Cur autem primas fabulas Aristophanes aliis tradiderit, id quum vidimus ab ipso esse explicatum, quare quaeso Proagonem Philonidi tradidit? Ac recte Dindorfium Diodori exemplo suam opinionem firmasse quanquam antea diximus, tamen nunc nos aliter iudicare patebit. Vellem enim Dindorfius ex antiqua protulisset exemplum comoedia. Numeri dramatum a poëtis antiquae et mediae comoediae doctorum clare docent, quam immane sit inter utrumque genus discrimen; quod hac ex consuetudine, plura simul docere dramata, explicare

---

[86]) Adde v. 61—63 „αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα" cett., aliosque locos permultos.

non dubito. Quae quam ita sint, non minus intelligimus, cur Aristophanes irrideri propter hunc morem potuerit. Quam enim ipse docuit fabulam, eam audimus secundo; quam tradidit Philonidi, primo praemio esse ornatam. Sed cur ad eandem postea reversus fuerit consuetudinem, alibi exponam.

His igitur ductus argumentis legem a grammaticis dictam verissimam esse censeo. Ut dicam, quod sentio, G. Dindorfius pluries qui omnes Aristophanis comoedias edidit, verbis magis corrigendis quam rebus ad antiquitatem pertinentibus enucleandis occupatus, omnia pervertit, et in maximos delapsus est errores. Legem igitur iam ipse nobiscum dicet non esse a magistris admodum recentibus excogitatam et ex paucis didascaliis fictam. Nonne sunt iidem grammatici, qui de Apollodoro histrione, et de poëtis Callistrato et Philonide loquuntur? Equidem non in doctorum me reprehensionem incurrere credo, si ad antiquissimos scriptores legem perfero, eiusque originem in ipso Aristophane et eius aequalibus pono. Nam Aristotelem certe, didascaliarum scriptorem, qui ibi Callistratum et Philonidem inscriptum videbat, et Babylonios in editis libris Aristophanis nomen habere compererat, ea omnia bene cognita habuisse, quis est qui dubitet?

XXI.

Quoniam in praecedentibus capitibus quaesitum erat, quid esset, quod de Callistrato et Philonide ex ipso poëta constaret: verba de iisdem rebus ab anonymo dicta et intelleximus facile, et quem ad modum cum poëtae verbis convenirent eaque nobis explicarent, demonstratione minus operosa ostendimus. Iam hinc reliquos auditurus testes, spe facta, fore ut vera a falsis, certa ab incertis, recentiora ab antiquioribus minore difficultate discernam; non sine confidentia, quae sentio exsequar. Nec sum ignarus, hoc a me praecipue desiderari, ut errorum fontes detegam. Est autem, ut mox patebit, non infinita dissensio auctorum discutienda; neque testium qui contra sentiant et adversentur multitudo repellenda; sed removenda tantummodo pusillorum quorundam grammaticorum et scholiastarum

temeritas: quae virorum doctorum nonnullos, incaute hos turbidos rivulos adeuntes, seduxit. Nam quem vel maxime, ex qua aetate movere aliqua circa Aristophanis vitam viri Graecarum litterarum periti instituerunt, ad vitae cognitionem ducere putarunt, scriptorem vitae anonymum: eum videbimus prae ceteris contemnendum, quae ab aliis bene tradita accepit, suis inventis polluisse et ex scholiorum congerie[87]) ineptissima quaeque collegisse, conquisivisse et coacervasse. Vellem manum ille, quod aiunt, de tabula posuisset et Aristophani suo veterem scriptorem, quem possidebat, integrum et incolumem praemisisset. Qui quoniam quae illius verbis adiecit, ut a me ostensum est, ex parte ex scholiis sumpsit, iam ea adire nos cogit, ut quales sint eius fontes et auctores penitus cognoscamus, iisque cognitis ipsi rem diiudicemus.

Ac primum quidem, ut ratio ipsa postulat, a prima fabula quam ab Aristophane confectam possidemus, ab Acharnensibus exorsi, quae in scholiis ad eam explicandam scriptis dicantur, aggredimur. Equidem non reperio, diversam horum scholiorum ab aliis rationem esse, sed in his quoque mala mixta bonis video; ideoque non miror extare, qui eorum testimoniis usi, modo contemnant, modo laude onerent scriptores, a quibus ea sunt composita. Viam autem mihi munivit Boeckhius. Is enim in praeclara neque unquam satis laudata de Dionysiis, Lenaeis et Anthesteriis commentatione ita progreditur, ut probet interdum, interdum improbet vehementissime, quae in his scholiis exposita reperit[88]). At nisi fallor longe plura in antiquis Atheniensium moribus describendis rebusque ad historiam spectantibus enarrandis reprehendenda, quam laudanda invenit. In eorum numero tamen antiqua esse, quibus posteriores grammatici usi sunt, exemplo ab Iacobsio allato confirmatur[89]), qui duorum

[87]) Quicunque nomen Io. Tzetzae inter Aristophanis enarratores scholiorumque veterum collectores audit, nihil nisi summam inconstantiam, levitatem et temeritatem exspectat. Kiesslingius, doctissimus Chiliadum editor, de eo ita loquitur, praef. p. X. „eo me consolari posse videbar, quod Tzetzes etiam quae nunquam in scriptoribus veteribus legisset, ea se legisse confidenter iactaret", quae verba iis addenda sunt, quae supra de scholiis disputavi.

[88]) Commentt. Academ. Berolin. p. 67 et 96 alibi.

[89]) Iacobs. Animadvv. ad Anthol. Gr. IX, p. 442.

scholiorum instituta comparatione alterum ex altero haustum esse, est verissima, quantum equidem video, coniectura assecutus.

In Acharnensibus igitur a Callistrato doctis, si vera est mea sententia, quidquid de poëta pronuntiatur, non ad Aristophanem, sed ad Callistratum pertinet. Si quidem fabula postea eodem modo est ab Aristophane edita, quo a Callistrato docta et in certamen commissa fuerat. Quae quum ita sint, quam facile, qui Aristophanem fabulae scriptorem esse comperernnt, Callistrati immemores, in errores incidere potuerint, intelligitur. Hunc autem uberem errorum fontem praevidisse videntur, qui notam didascalicam fabulae praeponerent [90]). Neque tamen bonum eorum consilium felicem exitum habuit. Quod ut perspici possit, singula testimonia appono. Ad v. 477 „διὰ τὸ ἐν τοῖς Βαβυλωνίοις πολλῶν παρόντων ξένων εἰρηκέναι κατὰ πολλῶν τὸν Ἀριστοφάνην· διὸ καὶ κατηγορήθη ὑπὸ τοῦ Κλέωνος.“ Ad v. 624 „ἔφασκε γὰρ ὁ τῶν πρέσβεων (scribe Περσῶν) βασιλεὺς, ὅτι οὓς ἂν οὗτος ὁ ποιητὴς (τουτέστιν ὁ Ἀριστοφάνης) σκώψῃ, τούτους σωφρονίζεσθαι καὶ γίνεσθαι βελτίους· τοῦτο δὲ χαριεντιζόμενος ψευδῶς λέγει.“ Ad v. 627 „διὰ τὸ ἔχειν ὑμᾶς τὸν Ἀριστοφάνην ποιητὴν ἄριστον.“ Ad v. 628 „τῆς νήσου, ἐν ᾗ τὰ χωρία Ἀριστοφάνους, λέγω δὲ τῆς Αἰγίνης.“ Ad v. 629 „ἐντεῦθέν τινες νομίζουσιν ἐν Αἰγίνῃ τὰς κωμῳδίας ποιεῖν τὸν Ἀριστοφάνην· — ταῖς ἀληθείαις εἰς ἣν τῶν ἐν τῇ νήσῳ κληρουχησάντων.“ — Ad eundem versum alius adnotavit haec „οὐδεὶς ἱστόρηκεν, ὡς ἐν Αἰγίνῃ κέκτηταί τι Ἀριστοφάνης, ἀλλ' ἔοικε ταῦτα περὶ Καλλιστράτου λέγεσθαι, ὃς κεκληρούχηκεν ἐν Αἰγίνῃ μετὰ τὴν ἀνάστασιν Αἰγινητῶν ὑπὸ Ἀθηναίων.“ Haec testimonia sufficiant. Quae si contemplamur, unum quem ultimo loco posui meae sententiae adstipulari; reliquos *omnes*, Callistrato prorsus neglecto, ad Aristophanem mentem animumque convertisse videmus. Neque quisquam infitiabitur, *inter*

---

[90]) Ea didascalia variis modis a criticis recentioribus impugnata est, ut a Kannegiessero, Hermanno, Elmsleio, aliis: quorum conatus ex parte Boeckhius comment. de Dionysiis repressit, ex parte in sequentibus capitibus ipse tangam.

omnia, quae huc posui, scholia hunc scriptorem non infimum occupare locum: quem C. O. Muellerus, praeclarus Aegineticorum scriptor, adeo probavit [91]), ut etiamsi alterum, quod de Aristophane narravit, reiiciendum esse credebat, alteram tamen de Callistrato narrationem pro vera haberet. Reliquorum autem scholiorum magna pars ita est comparata, ut nihil novi aut eximii nos doceat possitque ab infimae aetatis homine profecta esse; imprimis quae ad v. 477 et 627 leguntur. Unum tamen legenti sese magno opere commendat, quo propter verissimam sententiam iam alibi usi sumus [92]), ad v. 624 apposito. Quod si nostro iudicio prorsus contrarium foret, quia sine dubio est a prudente viro scriptum, non esset sine magno momento, neque facile a nobis praeteriretur. Sed aperte Aristophanis nomen veteri scholio, quo simpliciter ὁ ποιητὴς dictum erat, ab alio adiectum esse, quicunque legent, mecum confitebuntur. Neque repugnabunt vehementer, si in adnotatis ad v. 627 idem factum esse statuo et „Ἀριστοφάνην" recentiori scholiastae tribuo. Quocirca accurate singulis scholiis inspectis, si quid falsi pronuntiant, in refutatione non diu morabimur. In eorum autem numero, quae mihi adversantur, nullum est maioris dignitatis, quam quod ad v. 629 reperitur; sed perspicue ostendit, eius auctorem rei quam profert veritatem non adhibito alio scriptore probasse, sed nonnisi ex ipsius poëtae verbis collegisse „Ἐντεῦθεν" ait „τινὲς νομίζουσιν."

Iam si vitae scriptorem cum his scholiastis comparamus, is neque quae ad v. 624 adnotata sunt, neque quae alter scholiasta ad v. 629 scripsit aut cognovit aut suo iudicio probavit [93]); sed ea modo rettulit, quae de Aristophane ad v. 629 ab imprudentiore dicuntur; „οἱ δὲ Αἰγινήτην" ait „στοχαζόμενοι ἐκ τοῦ πλεῖστον χρόνον τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι αὐτόθι, ἢ καὶ ὅτι ἐκέκτητο ἐκεῖσε, κατά τινας δὲ ὡς ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ

---

[91]) Aeginet. p. 184.

[92]) cfr. cap. VII. huius commentationis p. XCIII.

[93]) Quae enim ille Aristophanem mentitum esse ait, ea hic vera esse enarrat; ac de Callistrato ne cogitasse quidem videtur. Ceterum excripsit imprimis schol. ad v. 356, quod supra omisi.

Φίλιππος Αἰγινήτης." Iam vide, quam egregiam vitae scriptorem nacti simus, qui absurdam eorum opinionem refert, qui primum ex Acharnensium versibus supra laudatis Aristophanem aut in insula Aegina vixisse, aut possedisse aliquid, coniiciunt et inde rursus, eum Aeginetam fuisse et propterea a Cleone peregrinitatis accusari potuisse collegerunt. At nisi fallor, praeter eum ipsum nemo extitit, qui tam absurde loqueretur [94]); et quod ipse sua ingenii vi assecutus erat, id aliorum ex ore sese accepisse, ut verbis suis auctoritatis speciem conciliaret, mentitus est. Poëta enim, lite sibi propter peregrinitatem illata, quo tandem modo fabula ea, quae Babylonios proxime secuta est, ita loqui potuisset, ut se ipsum accusaret? Credat Iudaeus Apella; non ego. Vitae scriptor igitur, malis usus testibus, eorum testimonia vel magis corrupit.

Deinde eam transeuntes comoediam, quam suo nomine primam Aristophanes in certamen commisit, quia scholia nihil quod ad nostram quaestionem pertineret, continent: Nubes aggredimur, quae fabula, ab omnibus celebrata, recentium grammaticorum manus maxime est experta. Ac primus nobis occurrit scholiasta Victorianus, qui ad v. 502 multa adnotavit, de quibus iam supra disputatum est [95]). De Callistrato et Philonide loquitur hoc modo: „*τούτῳ τῷ νόμῳ καὶ ὁ κωμικὸς οὗτος εἰργόμενος πρότερον διὰ τὸ μὴ τριακονταέτης ἔτι ὑπάρχειν ποιῶν δράματα διὰ Φιλωνίδου καὶ Καλλιστράτου ἀνεγίνωσκεν* [96]) *εἰς τὸ θέατρον, ὧν ἓν ἦν τὸ τῶν Δαιταλέων λεγόμενον.*" Is igitur primus Aristophanis comoedias alieno nomine esse editas Callistratoque et Philonidi traditas nobiscum censet: sed in eo adversari videtur, quod si lex aderat, qua coactus id fecerit poëta, eum postea quoque per Callistratum et Philonidem sua

---

94) Saepe ea mihi in mentem venit cogitatio, vitam illam ab eodem esse scholiasta scriptam, qui tam perversa exposuit. Talia autem ostendunt, eum his quoque hominibus vel seriorem fuisse.

95) cfr. cap. XVI huius comment.

96) Non raro grammatici *ἀναγινώσκειν* dicunt pro *εἰσάγειν* vel *διδάσκειν.* cfr. Tzetz. Chiliad. V, 160 „*ὅτι ὁ Διονύσιος ποιήσας τραγῳδίαν ἐν ταῖς Ἀθήναις μέλλουσαν λαμπρῶς ἀναγνωσθῆναι*". v. 178 seqq. Similiter schol. ad Acharn. v. 356 „*εἶχε γὰρ τὸ δρᾶμα τοὺς Βαβυλωνίους.*"

docuisse dramata, posteaquam semel unam ediderat, non est probabile. Eius autem auctoritas magni non est habenda, quoniam, ut vidimus, ipse poëta in Equitibus fabula aliam plane caussam prodit, legemque hanc commenticiam esse probat. Praeterea aliud quid accedit eiusque auctoritatem deminuit. Adest enim scholium, quod primo adspectu quidem eius sententiam firmat, accuratius autem inspectum et cum aliis comparatum, eius fidem labefactat evertitque. Ad v. 522 haec scripta sunt „οὔπω ἐπέτρεπον ἐμαυτῷ τὸ λέγειν δημοσίᾳ διὰ τὸ νέον τῆς ἡλικίας· οὐ γὰρ πρῶτον δι' ἑαυτοῦ καθίει τὰ δράματα ὁ ποιητὴς εὐλαβούμενος, ἀπὸ δὲ τῶν Ἱππέων ἤρξατο εἰσιέναι· νόμος δὲ ἦν μὴ εἰσελθεῖν τινα εἰπεῖν μήπω τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότα, ὡς δέ τινες, τριάκοντα.“ In his verbis scholii auctor sibi contradicit ipse, qui simul legem comminiscitur, quae quo minus in scenam prodiret, poëtam impediverit; simul liberum eiusdem arbitrium agnoscit (οὔπω ἐπέτρεπον), eumque laudat (εὐλαβούμενος). Qua ex re rationem meam secutus, recentiorem grammaticum vetus scholium interpolasse suspicor. Neque id frustra colligo. Etenim Imm. Bekkerus ex cod. Ravennate hoc scholium apposuit „οὔπω ἐπέτρεπον ἐμαυτῷ λέγειν διὰ τὴν αἰδῶ· οὐ γὰρ δι' ἑαυτοῦ ἐξ ἀρχῆς καθῆκε τὰ δράματα ὁ ποιητὴς, εὐλαβὴς ὤν· ἀπὸ δὲ τῶν Ἱππέων ἤρξατο δι' ἑαυτοῦ εἰσιέναι,“ quod quomodo a recentiore grammatico pessimis interpolationibus corruptum sit, iam nemo non intelligit. Praeterea apparet, eum quoque scholiastam, cuius verba supra attulimus, in recentissima tempora retrudi, fideique et auctoritatis omnis expertem esse. Quo quidem exemplo iterum docetur, quanto opere totum philologiae studium recentibus illis grammaticis sit impeditum: et quam necessarium sit, libris manu scriptis inspectis, quae recentioria sunt originis ab antiquioribus segregare [97]). Quae Ravennas

[97]) Invernizius quum primum Ravennatis codicis praestantia cognita et perspecta eum describeret: multa de scholiis apte et bene disseruit. Quanquam enim recentiori manu scriptus erat grammaticus, tamen omnibus eum vetustiorem esse et cum reliquis grammaticis turpiter commixtum censuit; et exemplis, quo modo recentiores ab antiquioribus discerni possint, docuit. Cfr. praef. p. XI seqq. Hoc cum ille cognovisset, non tam nova modo scholia, quae Ravennati codici erant addita, ede-

codex protulit sunt verissime dicta. Memorabilis autem est dicendi ratio „διὰ ἑαυτοῦ εἰσιέναι," quae ita est intelligenda, ut dicat, sibi ipsi chorum petiisse suoque nomine comoediam docuisse. Qua ex re perspicuum est, si ita loquuntur veteres, „διὰ Καλλιστράτου", „διὰ Φιλωνίδου", „διὰ Διονυσίου", id non posse de histrionibus capi, sed de iis, qui ipsi chorum ab archonte sibi petunt.

Ex reliquis unum tantummodo adiicio scholiastam Brunckianum „δηλονότι ὁ Φιλωνίδης καὶ Καλλίστρατος οἱ ὕστερον γενόμενοι ὑποκριταὶ τοῦ Ἀριστοφάνους," cuius verba maxime sunt memoratu digna. Quicunque est scholii scriptor, in primis quidem poëtae fabulis docendis Philonidem et Callistratum non fuisse histriones, bene cognovit; unde reliqua hauserit non indicavit et consensione sua cum vitae scriptore apud nos nullam nanciscitur auctoritatem. Sententiam falsam esse ex ipsis didascaliis patet, quae de Acharnensibus eadem loquuntur ratione, quam de Avibus et Ranis dicentes obtinent.

Venio nunc ad Vespas. In scholiis ad hanc fabulam explicandam scriptis haec reperio. Ad v. 1018 „ἐκ τοῦ φανεροῦ, φησὶν, ἐπικουρεῖ ὁ ποιητὴς τοῖς θεαταῖς ὑμῖν, ἀλλὰ δι' ἑτέρων ποιητῶν λάθρα, ἐπειδὴ διὰ Φιλωνίδου καὶ Καλλιστράτου καθίει τινὰ τῶν δραμάτων· πρῶτον γὰρ δρᾶμα δι' ἑαυτοῦ καθῆκε τοὺς Ἱππέας." Ad v. 1019 „τοιοῦτον οὖν καὶ ὁ ποιητὴς τρόπον ἐποίησεν εἰς τὰ δράματα, ἑτέροις διακόνοις χρώμενος", et paullo post „ὅτι πρότερον ἄλλοις ἐδίδου τὰς κωμῳδίας." Ad v. 1030 „δηλοῖ ὅτι αἱ διδασκαλίαι ἴσως φέρουσι τοὺς Ἱππεῖς πρώτους ἐπ' αὐτοῦ καθιεμένους." Ad v. 1284 „ἄδηλον, πότερον τῆς Καλλιστράτου εἰς τὴν βουλὴν εἰσαγωγῆς καὶ νῦν μιμνήσκεται, ὅτι αὐτὸν Κλέων εἰσήγαγεν, ἢ ἑτέρας κατ' αὐτὸν γενομένης Ἀριστοφάνους εἰ καὶ μὴ εἰσαγωγῆς, ἀλλ' ἀπειλῆς τινος, ὅπερ καὶ μᾶλλον ἐμφαίνεται· ἐκεῖνά τε γὰρ ἀνακολεῖν ἀρχαιότερα ἔσται, νῦν δὲ ὡς περὶ αὐτοῦ (scribe αὑτοῦ) λέγει." Quis est, qui non vi-

---

re debebat, quam omnia eo quo scripta ibi reperiuntur ordine exscribere. Qua re facta magna merita optimus iureconsultus in se cumulasset. Imm. Bekkerus argumenta ex Ravennate codice correxit, scholia autem reliquit intacta.

deat in his scholiis tam prudenter nostraeque sententiae tam convenienter omnia esse exposita, ut nulla fere de sententiae veritate restet dubitatio. Ne tamen temere credas, omnia in his splendere scholiis, exempli caussa unam affero eamque ineptissimam animadversionem ad v. 1020 „*κινδυνεύων καθ' ἑαυτὸν*] *διὰ γὰρ τὸν κίνδυνον οὐδεὶς ὑπεπλήθη τοὺς Ἱππέας.*"

Praeter has, de quibus dixi, fabulas quum Aristophanes ipse de Philonide et Callistrato nihil dicat, scholiastae quoque tacuerunt; quanquam occasione oblata rem interdum tetigerunt. Ita in Pluto fabula, ubi Philonidae nomen reperitur, ad v. 179 haec legimus adnotata „*Φιλωνίδην δὲ οὐ τὸν ποιητήν φησι τὸν ἐν τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐγγεγραμμένον δράμασιν, ὡς οἱ περὶ Καλλίστρατον ἐν τῇ ὁμωνυμίᾳ πλανηθέντες, ἀλλὰ παιδιᾶς ἕνεκεν τὸν αἴσχιστον καὶ ἀπαίδευτον,*" quae perquam apte cum iis, quae hucusque disputavimus, consentiunt, et sine dubio ad antiquum grammaticum referenda sunt. Quid? quod iis verbis „*τὸν ποιητὴν τὸν ἐν τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐγγεγραμμένον δράμασιν*" ipsum Callistratum, Aristophanis grammatici discipulum, usum esse, verisimillimum mihi videtur.

Revertor igitur, his expositis, ad anonymi scriptoris vitam Aristophanis. Quae quum duabus ex partibus constet[98]), quarum altera antiquo scriptori debetur, altera recens orta est: uti pro contraria opinione saepe allata est, ita nostrae non minus favet sententiae. Statim ab initio enim, quo omnium optima dicuntur neque multa, ut credo, grammatici additamenta reperimus, haec exposuit „*εὐλαβὴς δὲ σφόδρα γενόμενος τὴν ἀρχήν, ἄλλως δὲ εὐφυής, τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα. διὸ καὶ ἔσκωπτον* cett. — *ὕστερον δὲ καὶ αὐτὸς ἠγωνίζετο,*" e quibus discimus, quod equidem antea posui, postea quoque non ipsum semper sua dramata in certamen commisisse. Haec autem omnia et cum iis, quae poëta de se praedicavit, optime conveniunt; et ea,

---

98) Quanquam ut postea videbimus Guil. Dindorfius interdum nostris grammaticis libris paullo negligentius usus est: tamen caute tum eum egisse credibile est, quum ultimam vitae partem ab initio ita seponeret, ut alium hominem eius auctorem esse significaret, cfr. Aristoph. fragm. p. 56.

quae antea ex Ravennate attuli ad Equitt. v. 522, ad verbum exprimunt.

Quae quum ita sint, nisi maxime fallor, non erit amplius, qui aut histriones aut primarum partium actores Callistratum et Philonidem nominet; non erit, quam poëtarum nomine eos significet. Testium enim nubes idque fide dignissimorum misellos istos magistros ita totos oppressit, ut sua inscitia doctorum virorum ingeniis imponere non amplius possint. Quum Alcibiades, Aristophanis aequalis, ad Olympiae ludos septem misisset currus, praemiamque primum et secundum et aut quartum, ut Thucydides narrat, aut tertium, ut alii produnt, rettulisset: qui eius victoriam carmine celebravit, Euripides aut Simonides, propterea quoque Alcibiadem praedicandum esse dixerat, quod primas, secundas et tertias obtinuerit, easque sine labore ἀπονητὶ paravisset. Is enim, ut bene Baehrius annotat, non subiit ipse certamina, sed equos modo suos currusque misit, quibus instructi alii ipsius nomine victoriam reportarunt[99]. Haec igitur Alcibiadis agendi ratio Aristophaneae est opposita. Alcibiades enim dum nullo labore suscepto victoriam deportavit, summamque sibi paravit gloriam: Aristophanes contra comoedias suas ipse composuit, gloriamque deferendam aliis permisit. Quanquam Callistratus quoque et Philonides non omnis laboris erant expertes, quia docendam fabulam curarunt; ac plura etiam praestitissent, si primarum partium actores, ipsi praeterea fuissent. Iam enim hanc iterare quaestionem possum, non uti antea erat proposita, num Aristophanis histriones fuerint, sed num suas ipsi, quas profitebantur, fabulas docuerint. Ipsos autem re vera primas in suis fabulis egisse, cum ex eorum peccatis, quae vidimus, coniici potest, quia ita tantum vitii origo facile explicatur; tum uno exemplo certissimo probatur. In Acharnensibus enim quanquam ex didascalia actorem primarum non comperimus, poëtam ipsum Dicaeopolidis personam gessisse, inde patet, quod is quae poëtam solum tangunt explicat. Ita enim loquitur[100]:

---

99) Baehr ad Plutarch. Alcib. p. 118.
100) Acharn. v. 377 seqq.

αὐτός τ' ἐμαυτόν, ὑπὸ Κλέωνος ἅπαθον
ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν.

quae monet scholiasta ἀπὸ τοῦ προσώπου τοῦ ποιητοῦ dicta esse, quod tum potissimum admissum est, ut credo, quum ipsam hanc personam poëta gereret. Quod si verum est, de reliquis quoque fabulis idem potest cogitari.

Iam quum omnia, quae ex antiquitate ad nos pervenerunt, recensita habeamus, non inepte fortasse possem recentiorum de hac re quae fuerint iudicia ostendere. Ac Dindorfii quidem sententia in commentatione ad Aristophanis Proagonem fabulam proposita quantum a veritate absit, legenti patebit[1]). Reliquos enumerarem[2]), si modo multum inde utilitatis et commodi pro-

---

1) Dindorf. Arist. fragm. p. 64 — 69.

2) Fert animus ea repetendi quae Welckerus V. D. olim ad Ranas Aristoph. p. 271. seqq. disputavit: „Es mag auch viel blosse Formalität dabei gewesen seyn, wenn man einen fremden Namen einschreiben liess. Wie kann man z. B. glauben, dass das weit verbreitete grosse Lob des Dichters, wovon in der Parabase der Acharner die Rede ist, nicht dem Aristophanes selbst, sondern dem Kallistratos angehört habe? und dass also die Gründe in der Parabase der Ritter, warum er sich früher nicht selbst genannt habe, zum grössten Theile wenigstens anders als scherzhaft und wegen anderer Motive da seien? Ueber diesen Punkt scheint eine feine etwas sonderbare Convention zwischen Publikum und Dichter bestanden zu haben. Den Plutus, heisst es, gab er zuletzt unter seinem Namen, und suchte durch die beiden letzten Stücke, Kokalos und Aeolosicon, seinen Sohn dem Publikum zu empfehlen, schwerlich als Verfertiger davon, sondern bloss durch den Schein, um seinem Namen eine oberflächliche Ehre und Liebe, ein günstiges Vorurtheil zu erwecken. Aber wunderlich wäre es doch gewesen, wenn er in der spätern Zeit, nachdem er sich einmal unverkennbar bekannt gemacht hatte, jenen Schauspielern noch und in so vielen Stücken seine Sachen und Siege überlassen hätte. Denn da wird man doch auch nicht behaupten wollen, Ar. sey zu stolz gewesen, wie grossen Virtuosenstolz wir auch ihm und seinen Kunstgenossen gönnen wollen, sich in den Acharnern, Wespen und Fröschen zu nennen, weil sie nicht an den grossen Dionysien, sondern an den Lenaeen gegeben wurden, die weniger bedeuteten und häufig zur Wiederholung von Stücken angewendet wurden. — So ist denn die gewöhnliche Lesart, die es durch Namensaufschrift erklärt, als Deutung und falsche Deutung zu betrachten." Ita disputavit Vir Doctissimus, ubi testibus opus erat, rationes incertissimas secutus. Plurima autem iam removimus; alia sequentibus capitibus refelluntur. Non minus infeliciter V. Doctissimus in alia re, quae nostrum Aristophanem spectat, versatus est. Audi eius verba: „Der Fleiss und die Sorgfalt, die Ar. in Behandlung seiner Stücke anwandte, und womit die alten Grammatiker seine vorzüglichsten zu benennen pflegten, dass

veniret. Omissis igitur omnibus, unum modo honoris causa nomino Fr. Thierschium. Is enim in libro Prolegomenon ad Pindarum [3]), quo de multis ad comoediam spectantibus rebus praeclare exposuit, hanc quoque tetigit, Callistrato et Philonidi dramata sua docenda tradendi, consuetudinem Aristophanis; rationemque Pindari comparavit. Nam Pindarus bis in carminibus suis viros nominat, quibus carmina sua tradit et quorum, ut videtur, arte choreutas instituit et docuit. De Aenea dicit [4]):

Ἐσσὶ γὰρ ἄγγελος ὀρθὸς,
ἠϋκόμων σκυτάλα Μουσᾶν, γλυκὺς
κρητὴρ ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν,

quibus sine dubio significatur, Aeneam in alienas terras mitti, ut ibi cum choris suis et carminibus Pindari prodeat et gloriam Boeotiorum augeat. Similiter de Nicesippo loquitur [5]):

ταῦτα, Νικάσιππ' ἀπόνειμον,
ὅταν ξεῖνον ἐμὸν ἠθαῖον ἔλθῃς.

Quare scholiastae [6]), qui enarrat, Pindarum propter vocis exiguitatem Aenea usum esse vix credere possumus. Neque eadem res est. Ipse Pindarus enim poëta semper nominatur, et victoriam gloriamque deportat: illi autem loco eius agunt. Callistratus autem et Philonides ipsi esse poëtae putabantur.

XXII.

Voluimus hactenus experiri, omnia veterum testimonia colligendo animoque accurate volvendo, ipsis adeo locis *singulis* transscriptis, an sententiae nostrae veritatem nostratibus persuadere possimus, ac reluctantium quoque assensionem ex-

---

sie nehmlich wohl und arbeitslustig gemacht seien, ist wie nur noch des Demosthenes sprüchwörtlich geworden, Erasmi Adagia 1509, fol. 85. Ad Aristophanis lucernam lucubrare. Mögen die geneigten Leser auch ein wenig bei des Aristophanes Lampe warten," p. IV. et confer Wolf. Prolegg. p. CCL.

3) Thiersch, Pindaros Gesänge, Einl. p. 109 seqq.

4) Olymp. VI, 154.

5) Isthm. II, extr.

6) Ad Olymp. l. l.

torqueamus. Quomodocunque autem nostrum nobis negotium cessit, tuto in via, quam semel ingressi sumus, pergere poterimus: quum nos quidem omnia impedimenta remota esse persuasum habeamus. Vitae igitur Aristophaniae scriptor anonymus Aristophanem propterea Cleonem insectatum gravissimis conviciis esse memoriae tradidit, quia magnas ei lites intulerit „διήχθρευσε δὲ αὐτῷ ὁ Ἀριστοφάνης, ἐπειδὴ ξενίας κατ' αὐτοῦ γραφὴν ἔθετο, καὶ ὅτι ἐν δράματι αὐτοῦ Βαβυλωνίοις διέβαλε τῶν Ἀθηναίων τὰς κληρωτὰς ἀρχὰς παρόντων ξένων· — δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγε, καὶ οὕτω φανερῶς καταστάθεὶς πολίτης κατεκράτησε τοῦ Κλέωνος." Quae quidem verba multis nominibus reprehendenda sunt. Primum enim poëtae indolem et naturam male perspectam habuit, qui privati odii ergo, non propter gravissimas caussas, hoc est propter patriae urbis salutem susceptam credit Cleonis coram populo criminationem. Neque qui simul in Babyloniis irrisos esse ab Aristophane civitatis magistratus bene noverat, eiusque certe irrisionis caussam longe aliam fuisse videbat, intelligens iudex potest vocari. Deinde perverse loquitur de Babyloniis, quam esse ab Callistrato doctam, ita ut verus auctor lateret, intelleximus: et ita, ut solet, miscet omnia. Quare quid de lite a Cleone Aristophani illata sentiendum sit, ut apertius videamus, pro ratione nostra ipsum poëtam adibimus.

In Acharnensibus autem fabula non raro litis ab poëta actae mentio iniicitur, propter quam sese purgat apud Athenienses suamque agendi rationem excusat et defendit. Cuius quae ratio fuerit, intellectu est difficile; quare verba poëtae audiamus ipsa. Ac primum quidem 377—382 ita loquitur:

αὐτός τ' ἐμαυτόν, ὑπὸ Κλέωνος ἅ 'παθον
ἐπίσταμαι, διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν.
εἰσελκύσας γάρ μ' εἰς τὸ βουλευτήριον
διέβαλλε, καὶ ψευδῆ κατεγλώττιζέ μου,
κἀκυκλοβόρει, κἄπλυνεν· ὥστ' ὀλίγου πάνυ
ἀπωλόμην μολυνοπραγμονούμενος.

His ex versibus Cleonem poëtae litem intulisse intelligimus. Neque obscurum est, eam diiudicandam ad senatum pertinuisse, et ortam esse poëtae propter ea, quae in comoedia quadam

coram civibus exposuerat. Hinc apte colligimus, crimen Callistrato obiectum extraordinarium fuisse, ut nullae prorsus contra illud scriptae leges extiterint: quae *ἀδικήματα ἄγραφα* a grammaticis nuncupantur. *Εἰσαγγελίαις* igitur hanc litem adnumeramus [7]). Redit ad eandem litem paullo post poëta his verbis, 501 seqq.

ἐγὼ δὲ λέξω δεινὰ μὲν, δίκαια δέ.
οὐ γάρ με νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων, ὅτι
ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω.
αὐτοὶ γάρ ἐσμεν, οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών·
κοὔπω ξένοι πάρεισιν· οὔτε γὰρ φόροι
ἥκουσιν οὔτ' ἐκ τῶν πόλεων οἱ ξύμμαχοι·
ἀλλ' ἐσμὲν αὐτοὶ νῦν γε περιεπτισμένοι·
τοὺς γὰρ μετοίκους ἄχυρα τῶν ἀστῶν λέγω.

Iam videmus — nam Hermannum et Kaungiesserum his verbis ironiam inesse statuentes redarguit Boeckhius [8]) — videmus igitur, Cleonem hoc imprimis poëtae exprobrasse, quod in illa comoedia, anno praeterito docta, praesentibus peregrinis, Athenas urbem perstrinxerit. Illo quidem tempore ipsam in urbem convicia iacere non illicitum erat [9]); neque id Cleo assequi voluit, qui Dionysiis tantum ne urbs reprehendatur, efficere tentavit, quia ex his irrisionibus facile peregrini Atheniensium in contemptum adducerentur. Ne crede tamen, Cleonem consilium esse assecutum, quod ipsa Equitum commissio ita docet, ut nulla resideat dubitatio. Nihil aliud dicit poëta, nisi id ipsum in hanc non cadere comoediam, quod de altera fabula pronuntiasset. Ceterum, id quoque docet, *εἰσαγγελίαν εἰς τὴν βουλὴν* litem fuisse. Nam „*ἐγίγνοντο δὲ καὶ εἰσαγγελίαι κατὰ τῶν καταλυόντων τὸν δῆμον ῥητόρων, ἢ μὴ τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ λεγόντων*“ Pollux [10]) docet; quibuscum Aristophanis caussa comparatur non immerito.

---

7) Meier und Schömann, attischer Process p. 118 seqq. et 260 seqq.
8) Boeckh über Dionysien, Lenäen, p. 68.
9) Xenoph. de republ. Athen. II, 18 coll. Dio Chrysost. Orat. XXXII, p. 655.
10) Pollux Onomast. VIII, 52.

Iam ad parabasin accedo, qua tertio loco litem commemorat; hoc modo, v. 630 seqq.

διαβαλλόμενος δ' ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐν Ἀθηναίοις ταχυβούλοις,
ὡς κωμῳδεῖ τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ τὸν δῆμον καθυβρίζει,
ἀποκρίνεσθαι δεῖται νυνὶ πρὸς Ἀθηναίους μεταβούλους·
φησὶν δ' εἶναι πολλῶν ἀγαθῶν ἄξιος ὑμῖν ὁ ποιητής,
παύσας ὑμᾶς ξενικοῖσι λόγοις μὴ λίαν ἐξαπατᾶσθαι.

His versibus omnia, quae supra diximus, confirmantur: quibus eandem affert criminationem, neque veritatem rei tam impugnat, quam totam agendi dicendique rationem suam, urbe et democratia dignam, poëtae urbique apud peregrinos non infamiam contracturam, sed gloriam paraturam esse ostendit. Hanc autem poëtae defensionem esse ab Atheniensibus auditam, ut iam dixi, Equitum docet commissio, qua fabula Cleonem populumque ipsum tanto opere risit, ut nostra aetate ea ratio hominibus merito permira videatur. Praeterea si quid video ex tota hac defensione, senatum ipsum innocentiam poëtae agnovisse, colligi debet: quia coram iudicio heliastico certe res non esse potest diiudicata. Quanquam se ipsum dicit non sine magnis negotiis esse liberatum (*ὥστ' ὀλίγου πάνυ ἀπωλόμην*).

Nihil superest, quod de lite a Cleone sibi illata coram spectantibus poëta exposuerit. Iam si verum est meum de Callistrato et Philonide iudicium: tota haec caussa non ad Aristophanem, sed ad Callistratum pertinuit. Quod ut facile evincamus, ipsi Aristophani debetur. Etenim anno post Acharnenses a Callistrato doctos, quum Stratocle archonte, Equites ederet contra Cleonem eumque omni modo vexaret: nonne verisimile esset, commemorari a poëta suum ipsius certamen cum viro formidoloso actum? Sed neque in hac fabula, neque in ulla earum, quas suo nomine docuit [11]), huius rei iniicitur mentio. Idcirco nihil meae opinioni obstare credo. Quomodo scholia-

---

11) Berglerus solus ad Vespas provocat, de quibus pluribus disserendum est postea.

stae de hác re senserint, superiore capite expositum est. Nemo autem accuratius de ipso quoque litis loquitur genere, quam is, qui simul Callistratum fuisse litigantem cognoverat [12]).

Re confecta ad anonymum vitae scriptorem revertimur, qui cum hac lite simul ξενίας γραφὴν commemorat, quam Aristophani Cleonem intulisse asserit. Quam si eodem tempore ante Acharnenses doctos illatam esse credidit: tota via a veritate aberravit. Callistratum enim, qui Acharnenses docuit, civem fuisse Atheniensem, tam aperte illi ipsi, quos attuli, versus docent, ut ne scholiastae quidem dubitatio oboriri posset (αὐτοὶ γάρ ἐσμεν 504, ἀλλ' ἐσμὲν αὐτοὶ 507, τοὺς γὰρ μετοίκους cett. 508, ὡς κωμῳδεῖ τὴν πόλιν ἡμῶν 631). Neque accusatum esse virum ξενίας, ostendit altum de ea re silentium: quod si victoriam deportasset de Cleone — sine victoria autem hanc comoediam non docuisset — sine dubio non tacuisset, sed vel maxime eam celebrasset. Accedit alia caussa, quae quanquam in novas nos propellit difficultates, tamen multas ob caussas nobis eruenda est. In parabasi enim Acharnensium, qua se ipse laudibus cumulat poëta, haec leguntur verba, v. 652—654:

διὰ ταῦθ' ὑμᾶς Λακεδαιμόνιοι τὴν εἰρήνην προκαλοῦνται
καὶ τὴν Αἴγιναν ἀπαιτοῦσιν· καὶ τῆς νήσου μὲν ἐκείνης
οὐ φροντίζουσ', ἀλλ' ἵνα τοῦτον τὸν ποιητὴν ἀφέλωνται,

quae veteres et recentiores interpretes vehementer torserunt, et haud dubie sunt perquam difficilia. Poëta, cuius haec verba sunt, quum sine dubio ad Aeginam insulam pertinuerit, ea aetate, quod insula Aegina in Atheniensium potestatem redacta Atticisque cleruchis erat tradita [13]), non potest nisi cleruchus Aegineta fuisse. Cleruchos autem simul manere cives Athenienses, pluribus exemplis collatis Boeckhius demonstravit [14]). Iam vero certum adest grammatici non indocti testimonium,

---

[12]) Schol. ad Acharnens. v. 356 „ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας, ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου ταῦτα πεποιηκότα."

[13]) Thucyd. I, 137, II, 27.

[14]) Boeckh Athen. Staatshaush. I, 460 seqq.

Callistratum inter illos nominari cleruchos[15]); Aristophanis autem nomen in eorum numero apud nullum scriptorem apparere. Quod verum esse, testibus allatis, nondum negarunt viri harum rerum inter nos peritissimi; equidem autem alia re comparata, non dubitari posse de veritate demonstrabo. Constat enim, pauperibus maxime civibus cleruchias datas esse[16]). Qui igitur cleruchiam accepit, non potest a nobis inter ditiores cives numerari. Iam nonne maxime convenit cum omnibus hucusque disputatis, Aristophanem, qui omnia commoda cum comoediarum commissione iuncta Callistrato tradidit, illo ditiorem extitisse; Callistratum autem munus ab Aristophane sibi delatum hac quoque de caussa accepisse? Quid quod de Philonide quoque similia coniicere licet, qui Ranis, quam fabulam docuisse eum scimus pro Aristophane, eos vituperat, qui poëtarum praemia minuere studerent, 367 seqq.:

ἢ τοὺς μισθοὺς τῶν ποιητῶν ῥήτωρ ὢν εἶτ' ἀποτρώγει
κωμῳδηθεὶς ἐν ταῖς πατρίοις τελεταῖς ταῖς τοῦ Διονύσου.

qua de re in reliquis Aristophanis fabulis ne unum quidem occurrit verbum. Possemus igitur credere, Philonidi quoque Aristophanem haec propterea tribuisse.

Sed aliud adesse video, quod si verum est, primo adspectu nostram funditus evertere videbitur nonnullis sententiam, grammatici cuiusdam testimonium. Extat illud apud scriptorem vitae Aristophaniae, quod inter Platonica scholia ab Imm. Bekkero primo correctius exhibitum est. Is enim ita loquitur: „κατεκλήρωσε δὲ καὶ τὴν Αἴγιναν, ὡς Θεογένης ἐν τῷ περὶ Αἰγίνης“ h. e. divisit sortito agros insulae civibus Atheniensibus; quod quidem testimonium maxime mirum est remque novam et incognitam prodit. Quanquam si verum sumimus, omnia apta sunt et cohaerent quam maxime. Nam scholiastae sententia „οὐδεὶς ἱστόρηκεν ὡς ἐν Αἰγίνῃ κέκτηταί τι Ἀριστοφάνης“ non refutatur. Sed multae aliae excitantur difficultates. Quodsi enim eo anno, quo Aeginetae eiecti sunt, Aristophanes a Pericle

---

15) cfr. schol. ad illum locum, supra laudatum.
16) Boeckh l. l. p. 458.

electus fuit, qui Atheniensibus agros Aeginetarum assignaret: rem publicam gessisse putandus est et longe maior natu fuit, quam nos antea indicavimus. De Pericle enim narrat Plutarchus „διένειμε τὴν νῆσον Ἀθηναίων τοῖς λαχοῦσιν." Haec omnia ita comparata sunt, ut si scriptoris auctoritas, qui ea tradidit, magna foret, negare non auderem. Quanta autem ei dignitas habenda sit, nescimus, quoniam paucis tantum scholiastis eius liber citatus nobis innotuit [17]). Tota res mihi veri dissimilis esse videtur; quoniam Plutarchus eam non memorat, deinde, quia Aristophanis quaedam cum Pericle coniunctio appareret, quae quod maxima postea in eum convicia iecit non cogitari potest. Equidem certe ea credere non ausus sum, aliisque doctioribus ea relinquo. Nata est tota narratio forlasse ex ipso Aristophane; tanquam tota Aegina eius possessio fuisset, et ita a Spartanis ei eripi posset; aut quod vel magis credo, noster poëta est cum alio poëta commutatus.

Quomodocunque haec res se habet, nihil impedimur, quo minus Acharnensium poëtam civem Atheniensem cleruchumque Aeginetam fuisse censeamus; eumque poëtam non Aristophanem, sed Callistratum vocemus. Inter recentiores Aristophanis interpretes recte iudicarunt Berglerus et Elmsleius, falsam amplexus est sententiam Dindorfius, iudicio Boeckhii et Muelleri [18]), VV. DD., nimis obsecutus. Unum tantummodo addam. Etenim, vivo Aristophane, Aegina insula Atheniensibus est erepta et Aeginae priscis incolis reddita. Neque tamen Aristophanem haec res impediit, quo minus Athenis comoedias docere filiumque suum in scenam inducere pergeret.

Posteaquam Aristophanes nomine Callistrati comoediam ediderat, eumque ipsum qui periculum rei subierat a Cleone vexari viderat et lite illata et criminationibus apud Athenienses factis perturbari: felici tamen successu magis ad studia propaganda impellebatur, quam periculis retardatus et absterritus

---

17) cfr. schol. ad Pind. Nem. III. Ionsius Scr. hist. philosoph. I, 3, 4. p. 23. Spohn in Encyclop. der Wissenschaft. v. Ersch u. Gruber II, p. 12. Tzetz. Chiliad VII, 312 et quem laudat Kiesslingius V. D. ad illum locum.

18) Boeckh Staatsh. d. Athen. I, p. 461. Müller Aeginet. p. 184.

erat. Iam igitur ipse chorum sibi ab archonte petiit, et Equites contra Cleonem ea aetate docuit, qua ille Spartanorum multitudine intra viginti dies capta et Athenas delata, summam apud omnes gloriam deportaverat. Interea Callistrati lite rem Atheniensibus innotuisse, credibile est. Ac quum Equitibus doctis multo vehementius, quam per Callistratum factum erat, aggressus esset poëta Cleonem: illum Pericli similem κρέας καὶ σκευῇ[19]) tulisse invidiam et ignominiam, vix credi potest. Quare nemini mirum videbitur, si idoneis testibus constat, Aristophani quoque similem esse illatam litem. Iam vero in Vespis poëtam nostrum ita dicentem audimus, 1284—1291:

εἰσί τινες, οἵ μ' ἔλεγον ὡς καταδιηλλάγην,
ἡνίκα Κλέων μ' ὑπετάραττεν ἐπικείμενος
καί με κακίαις ἔκνισε· κᾆθ' ὅτ' ἀπεδαιρόμην,
οὑκτὸς ἐγέλων μέγα κεκραγότα θεώμενοι,
οὐδὲν ἄρ' ἐμοῦ μέλον, ὅσον δὲ μόνον εἰδέναι,
σκωμμάτιον εἴποτέ τι θλιβόμενος ἐκβαλῶ.
ταῦτα κατιδὼν ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα·
εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον.

quibus versibus contra eos loquitur, qui crediderint, se in gratiam rediisse cum Cleone. Caussam igitur explicat, propter quam hucusque nullam contra Cleonem ediderit comoediam: blandiri se Cleoni coepisse, quum se ipsum Atheniensibus non esse curae sed suas facetias eos audire cupere sensisset. Qui hos versus scholiis ornavit, incertus haeret, utrum ad Callistrati εἰσαγωγὴν εἰς τὴν βουλὴν haec spectent, an ad aliam Aristophanis litem: posteriorem autem sententiam magis probandam esse affirmat. Quanquam conjicit Cleonem magis minatum esse poëtae, quam vere contra eum surrexisse. Sobrium scriptorem esse quam maxime intelligimus, qui quoniam nihil de lite ipsi Aristophani illata compererat, dubitanter de omnibus loquitur, nihil in his rebus sine testibus fide dignis dicendum esse ratus. Tamen in hac re, credo, confidentius loqui poterat. Etenim

---

19) Ita Hermippi aliorumque criminationes tulerat Pericles, cfr. Plutarch. Pericl. p. 34.

commemorari a poëta rem post Equites doctos factam, ex ipsis primis verbis intelligitur. Poëtam enim Equites contra Cleonem committentem quis quaeso demagogi fautorem et amicum credere poterat? Id igitur pro certo pono, Aristophanem quoque esse ab Cleone lite illata vexatum. Iam vero qualis illa lis fuerit, si quaeris, cunctanter tantummodo respondere audeo; quia poëtae verba tam obscura sunt, ut nihil certi inde elici possit. Vitae scriptor anonymus bis et ter adeo Aristophanem esse a Cleone impugnatum enarravit; atque imprimis ξενίας γραφὴν nominatim affert modumque, quo sese defenderit poëta describit. Qua in descriptione ita versatur (ut supra vidimus)[20]), ut sibi ipsi non constet et ab antiquioribus quae accepit, non intellexerit. Quare non magni facio, quod Callistrati caussa, ξένων παρόντων qui dicebatur urbem irrisisse, facile imperitum hominem ad ξενίας γραφὴν perducere potuerit; sed vere talem dicam Aristophani esse illatam crediderim. Si enim comparamus inter se, quae enarrat vitae scriptor et de se ipse poëta provocat, ea optime inter se convenire, nemini obscurum erit[21]). Neque dubito, quin ea lis post Equites doctos Aristophani illata fuerit, et ab eo feliciter propulsa. Postea igitur poëta cogitandus est propria certe fabula Cleonem non perstrinxisse. Idque apertum est, quum Nubes habeamus non contra Cleonem sed Socratem scriptas, in quibus semel tantummodo commemoratur Cleo[22]), quod non magni fecisse Aristophanem ex aliis patet testimoniis[23]). Fortasse praeter Nubes illa aetate aliam quoque docuerat fabulam, in qua Cleoni pepercerat. Iam vero posteaquam speciem excitaverat hac via, se cum Cleone in gratiam rediisse eiusque timere potentiam: Vespis doctis iterum speciem omnem delevit; ipsumque Cleonem vario modo vexavit. Sed audi quam facete rem instituerit, qui post

---

[20]) cfr. cap. XVI. huius commentationis.

[21]) Imprimis observavi autem hunc dicere, a se exspectatum esse σκευμάτιον, illum id exhibuisse.

[22]) cfr. Nubb. 591.

[23]) Suevern comment. de Arist. Nubb. p. 46, qui tamen frustra Reisigium reprehendit, Aristophanis ipsius verbis confisum 550.

fabulae exordium non statim quod sibi proposuerit consilium enuntiat, sed sensim progressus illud detexerit. Quin? initio aperte se nolle Cleonem amplius insectari profitetur aliasque res risui exponere velle ait 62:

οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.

Dein primum virum irrisum *φιληλιαστήν* vocat; denique postquam diu cunctatus erat aliaque narraverat, tandem rumpit silentium patremque Philocleona, et filium Bdelycleona appellat[24]). — Simul videmus aliquid, quod quoniam in ea re semel versamur addere licet. Eodem quo Vespas docuit festo Proagona scimus eum per Philonidem docuisse; quam fabulam iis annumerandam esse, quae Euripidem perstringant, constat. Antequam verba supra allata de Cleone pronuntiaverat, erat de Euripide locutus v. 61:

οὐδ' αὖθις ἀνασελγαινόμενος Εὐριπίδης,

quibus ductus ne quis credat Proagonem ad Philonidem ipsum pertinere, monendum est, ea quoque esse ioco dicta, et ita intelligenda, ut de Persarum rege dicta explicat scholiastes prudentissimus „*χαριεντιζόμενος ψευδῶς λέγει.*"

Examinavimus diligenter omnia, quorum fide subnixi *ξενίας γραφὴν* Aristophani illatam eruere meliusque definire possimus. Superest tamen, quod quae dixi alio modo confirmat et nova addit. Nam in Vespis haec leguntur verba 714 seqq.

ἀλλ' ὁπόταν μὲν δείσωσ' αὐτοί, τὴν Εὔβοιαν διδόασιν
ὑμῖν καὶ σῖτον ὑφίστανται κατὰ πεντήκοντα μεδίμνους
ποριεῖν· ἔδοσαν δ' οὐπώποτέ σοι πλὴν πρώην πέντε μεδίμνους
καὶ ταῦτα μόλις, ξενίας φεύγων, ἔλαβες κατὰ χοίνικα κριθῶν·

ad quas scholiasta narrat, Philochoro teste, Psammetichum quendam, Lysimachida archonte, Atheniensibus frumentum distribuendum donasse; simul autem monet, eam rem ad hoc tempus non pertinere posse. Sed ex illius sententia archonte Isar-

24) Vespp. 88; 133 seq. Interpretes de his rebus nihil notaverunt.

cho (cfr. Palmer. Exercitatt. in Auct. Gr. p. 738.) bellatum est contra Euboeam (πέρυσι γὰρ ἐπὶ ἄρχοντος Ἰσάρχου (ita ex cod. Veneto pro Ἱππάρχου scribendum) ἐστρατεύσαν ἐπ' αὐτὴν ὡς Φιλόχορος), hoc est ante Lenaea praecedentia anni. Quae quidem narratio, cui Philochori nomen iam fidem facit, ipso Aristophane confirmatur, qui in Nubibus, Dionysiorum in festo Isarcho archonte doctis, v. 213 ita loquitur:

ὑπὸ γὰρ ἡμῶν παρετάθη καὶ Περικλέους.

Simul autem ex ipso Aristophane et scholiasta discimus, illo tempore civium δοκιμασίαν institutam esse. Nonne perquam verisimile est, illa occasione oblata Cleonem Aristophani, Isarcho archonte, ξενίας γραφὴν intulisse? Fortasse in illud ipsum tempus incidit ψήφισμα Ἀλκιβιάδου a Demosthene commemoratum Leptin. § 95; cfr. Wolf ad l. l. Boeckh Staatshaush. der Athen. p. 459 et 498. Fragm. Philochori ed. Lenz et Siebelis p. 51. 52.

Quae quum ita sint, quod de Callistrato diximus, idem de Aristophane valet. Cleo enim Aristophanis civitatem nulla alia ratione impugnavit, quam ut testes adduceret, quibus evincere studeret, eius matrem cum servo consuevisse, ut non posset Philippi filius nominari. Philippum igitur eiusque coniugem cives Athenienses fuisse, solis luce clarius perspicitur. Ea sententia, quanto opere Aristophanis fabulis, quae supersunt, confirmetur, dicere vix attinet. Quod quum ex tota commentatione nostra pateat, monemus tantum, primum id ostendere Attici sermonis proprietatem [25]), qua omnes antecelluit, quicunque praeterea Attice scripsere, multosque sibi omnibus temporibus imitatores nactus est: dein quam maximum amorem, quo Athenas urbem prosequitur, eiusque salutem tota ingenii vi augere et amplificare studet: denique odium contra omnes, qui quovis modo civitatis de honore aliquid detrahebant; postremo totam ingenii indolem, quam Athenis natam esse, Atheniensisque ingenii naturam totam exprimere, apud eruditos constat.

---

25) Cave tamen, ne ex sermonis proprietate nimis multa colligas. Nam Terentius quoque in Latina lingua puri sermonis exemplum est, neque tamen is Romanus civis, sed in Africa natus erat.

XXIII.

E re nostra erit, ad diversas de Aristophanis patria veterum recentiorumque sententias rediisse, ut et videamus quo ortae modo nataeque sint et, si modo possumus, testimoniorum controversiam componamus. Exordior autem ab anonymo vitae scriptore, qui Aeginetam dici aut eum ipsum aut patrem eius se a nonnullis accepisse refert. Quod quidem testimonium non est quod pluribus profligemus, quoniam cur in dubitationem vocemus, iam expositum est. Tres enim ille fortasse unius hominis ac suas, ut opinor, opiniones protulit, quae omnes Acharnensium versibus ad Aristophanem a Callistrato tractis et falso intellectis nituntur, et, quia scriptor de ξενίας lite Aristophani illata certior factus erat, temere cum Cleonis criminationibus ab eo coniunctae sunt. At qui possis de hominis fide incertus esse, qui tam parum sibi constat, ut haec omnia de patria Aegina protulerit, postquam ab initio vitae aperte et perspicue Atheniensem Aristophanem appellavit. Idcirco meum de hoc libello iudicium: multa inesse a veteribus iisque doctis scriptoribus, aut ab Apollodoro aut ab alio quodam, qui Apollodorum secutus est, confecta, quibus ineptus grammaticus sua temeraria cogitata adspersit, hac repugnantia in ipso libello iam saepe visa quam maxime confirmatur [26].

Quo minus celeriter hanc opinionem relinquam, impedit Plutarchi auctoritas, quam quis afferre posset ad eam stabiliendam. Is enim ab initio vitae Demosthenis ita loquitur, (vol. III, p. 402, 12 ed. Schaef.) „Γελοῖον γάρ, εἴ τις οἴοιτο τὴν Ἰουλίδα — καὶ τὴν Αἴγιναν — ὑποκριτὰς μὲν ἀγαθοὺς τρέφειν καὶ ποιητάς." Interpretes Simonidem, Bacchylidem, Polum et Aristophanem nominare solent, quos scriptor cogitaverit. Sed nisi fallor ὑποκριταί soli ad Aeginam, ποιηταί ad Iulin pertinent: ut recte Polus nominatus sit; minus recte Aristophanes.

---

[26]) cfr. cap. VII, p. XCVI. De Aegineta Aristophane ne audi Spohnium in Encyclopaedie der Wissenschaften v. Ersch und Gruber de claris Aeginetis agentem II, p. 11. s. v. Aegina. cfr. Müll. Aegin. p. 143; neve Bartonum ad Plut. Demosth. ab in.

Transeo ad Suidam, cui haec verba debemus „Ῥόδιος ἤτοι Λίνδιος· οἱ δὲ Αἰγύπτιον ἔφασαν· οἱ δὲ Καμείριον· θέσει δὲ Ἀθηναῖος, ἐπολιτογραφήθη γὰρ παρ' αὐτοῖς", quae omnes, quae restant, opiniones diiudicandas continent. Camira enim ortum esse poëtam, Suidas solus tradidit. Rhodiensem, Lindo ortum, a nonnullis dictum esse, praeter Suidam anonymus, qui vitam scripsit, rettulit. Erat, quum Suidae verba corrigere tentarem. Mira enim nominum collocatio ad hanc commutationem, ut pro Αἰγύπτιον, Ἰαλύσιον scribatur, invitabat. Sed eadem non solum apud alios reperitur opinio: immo Athenaeo duce potest ad auctorem suum referri, Heliodorum Atheniensem, qui in libris celeberrimis Περὶ ἀκροπόλεως, Naucratitam fuisse Aristophanem, contendit [27]). Quae si omnia colligo, duplicem imprimis esse video veterum de patria nostri poëtae sententiam. Qui enim cum Suida consentiunt, genere Atheniensem *fuisse* negant: ac modo hanc, modo illam patriam ei assignant: anonymus autem vitae scriptor et Thomas Magister, ut *verisimile* est, Apollodorum secuti, Athenas eius patriam urbem esse asserunt: alii denique, quorum est anonymus de comoedia, *Atheniensem* nuncupantes virum neque refellunt, neque affirmant utramque narrationem. Ac per se quidem, si modo idoneis et locupletibus testibus utuntur, eorum sententia non inepta est, qui Athenis eum removent. Similiter inter mediae comoediae poëtas qui primum tenet locum Antiphanes, Atheniensis quidem appellatur, sed φασὶν αὐτὸν γενέσθαι μὲν τῶν ἀπὸ Θεσσαλίας ἐκ Λαρίσσης, παρεγγραφῆναι δὲ εἰς τὴν Ἀθηναίων πολιτείαν ὑπὸ Δημοσθένους [28]). In nova autem comoedia Philemonem Syracusium civitatis Atheniensis participem fuisse compertum est [29]). Quare necessarium erit, singula quaeque contemplari.

Antiquissimus omnium, quos de Aristophanis patria locutos esse non coniectura assequimur, sed a non reprehendendo teste accepimus, est Heliodorus Atheniensis. Cuius liber, quod quam maxime dolendum est, raro tantum a posterioribus com-

[27]) Athen. VI, 229.
[28]) Anon. de comoed. p. XII ed. Kust. p. VIII ed. Bekk.
[29]) Anon. ib. cfr. Meinek. in Fragm. Men. et Philem.

memoratur[30]), sed semper ita nominatur, ut magni eum fecisse homines videamus. Neque dubium esse potest, virum monumentis in arce Atheniensi frequentibus usum[31]) maxima dignum esse fide et auctoritate. Quare eius testimonium parvi facere, et grammaticorum scholiastarumque dictis eius dicta similia putare, non est hominis sobrii. Nihilominus adest, quod dubitationem moveat. Perquam apte enim Iac. Dalecampius notam hanc marginalem „conterraneum suum autor fuisse asserere videtur“ apposuit et ita viam aperuit, qua huius testimonii fidem elevare et deminuere nobis liceat. Sed quanquam Athenaeus Naucratin suam interdum laudat suamque originem non obscure indicat[32]): tamen temerarium foret, virum, qui aliis in rebus non mentitur, neque quenquam alium praeter ius fasque Naucratitam fuisse finxit, mendacii accusare. Ab hac igitur, ex difficultate nos expediendi, via et ratione lubenter abstinemus. Neque tamen desperandum est. Quodsi non Naucratitam, sed Aegyptium solum, nulla certa urbe nominata, dixissent Aristophanem, posses ex Comici cuiusdam facetiis, ut saepe, ortam putare hanc narrationem. Etenim quoniam apud Aegyptios viri quidem domi sedebant, feminae autem in foro et publice agere solebant[33]); Aristophanes autem duabus, quas nos habemus fabulis, Ecclesiazusis et Lysistrata, feminarum de civitate imperium proponit et ioco commendare videtur: non inepte poëta vocatus esset Aegyptius. Sed Naucratitae commemoratione facta, quo minus hoc credamus, vehementer impedimur. Aristophanes non raro Aegypti et Aegyptiorum meminit. In Nubibus fabula[34]), qua nebulas de commodis et in-

---

[30]) Ap. Harpocrat. s. v. *Θετταλός*, *Νίκη*, *Προπύλαια*. Imprimis huc pertinet, quod de Thessalo, Cimonis filio, narravit, quia de singulis hominibus eum locutum esse, inde patet.

[31]) Hoc ostendunt ipsa libri fragmenta et reliquorum scriptorum tituli, ut *περὶ τριπόδων* et alia. cfr. Müller in Encyclop. der Wissenschaft. v. Ersch und Gruber V, p. 228 s. v. Athen.

[32]) Athen. III, p. 73 a. VII, 301 c. XI, 480 d. Schweigh. Athen. I, praef. p. VI.

[33]) cfr. Herodot. II, 80. Nymphodor. *ἐν τῷ τρισκαιδεκάτῳ τῶν Βαρβαρικῶν* ap. schol. ad Soph. Oed. Col. v. 337.

[34]) Nubb. v. 1129.

commodis, quae hominibus ferre possint, exponentes inducit, haec dicta reperimus:

ὥστ᾽ ἴσως βουλήσεται
Κἂν ἐν Αἰγύπτῳ τυχεῖν ὢν μᾶλλον, ἢ κρῖναι κακῶς,

ubi bene scholiastes unus „ὡς ἐπὶ κατάραν· ἐπεὶ καταρᾶται" annotavit. In Thesmophoriazusis [35]) voce αἰγυπτιάζειν utitur, eamque ei notionem tribuit, ut sit „Aegyptiorum versutiam et fraudulentos mores imitari." Ex his et similibus, nisi fallor, colligi potest, Aegyptiorum Aegyptique amorem in poëta nostro non deprehendi [36]). Neque cogitari potest, Aristophanem ipsum Naucrati natum fuisse. Neque Heliodoro igitur et Athenaeo iniuriam afferimus, neque reliquorum testium auctoritatem negligimus, si Aristophanis maiores Athenis Naucratin abiisse quondam, et Naucrati Athenas rediisse sumimus. Id poterat Heliodorus ex monumentis in arce positis cognoscere. Vix erit quisquam, ut credo, qui, lectis quae supra disputavi, urbis Naucratis ad commemorationem, ea, quae de Aristophane Aegineta dicta sunt, pertinere contendat. Profecto enim nisi multa impedimenta obstarent, huc trahi possent, quae de Aeginetis cum Samiis et Milesiis in Naucrati praesentibus enarrantur [37]). Ac vere Aristophanis nomen inter Aeginetas comparet, quanquam sine omni dubio a nostro poëta longe diversi. Ceterum ut omnia praeclara veteres in Aegyptum transtulerunt, ita Homeri quoque Aegyptum vocarunt patriam. Heliodorus igitur iis non adversatur, qui civem Atheniensem Aristophanem nominant, et ex eorum numero est eximendus, quos altera illa sententia latos supra nominavi [38]).

---

[35]) Thesmoph. v. 922. cfr. Kust. not.

[36]) Huc non trahet quisquam usum verbi Aegyptiaci in Plut. 729, quo eodem Sappho usa erat, cfr. Neue fragm. LXXXII, cuius frater Charax Naucratin ad mercaturam erat profectus. Id. p. 2. Adde tamen Aegypti commemorationem in Arist. fragm. p. 198 ed. Dind.

[37]) Herod. II, 178. Steph. Byzant. s. v. Ναύκρατις et Intptt. Müller Aegin. p. 8 seq.

[38]) Heliodorus suis monumentis adiutus, non solum Philippum patrem proximosque maiores poëtae cognoscere poterat, sed eos quoque, qui ab his porro vixerunt, longe ante Philippum.

Sed extat etiamnum altera sententia, Rhodo insula poëtam ortum, Athenis civitatis ius accepisse. Quae quem auctorem habeat, disertis verbis dici nequit. Vix enim audeo ad Dicaearchum, ad quem Philetaerus filius pertinet, eam referre. Utut est, ex errore eam opinionem natam esse, haud dubitanter affirmaverim. Nam praeter ea, quae iam antea allata sunt, plura nobis supersunt Comicorum de Aristophane facete dicta, propter Pacem ab eo commendatam et comoedias Philonidi et Callistrato traditas [39]): sed ne minimum quidem irrisionis propter peregrinitatem vestigium, quae illa aetate tam saepe audita est. Ac qua fronte ipse potuisset toties ξενίαν exprobrare hominibus, si ipse peregrinis accensendus fuisset [40])? Ipsa autem eorum dubitatio, utrum Camiro an Lindo natus sit, fidem debilitat et labefactat. Praeterea Strabo, qui celebres Rhodienses enumerat, poëtae quidem meminit, Aristophanis autem nomen reticet [41]). Neque si Heliodorus vera tradidit, de qua re non dubitare licet, huic narrationi credere possumus. Meinekius, ut hanc veram esse sententiam ostendat, ad Eupolin provocat, qui de Atheniensibus propterea, quod peregrinos magis laudent quam suos cives, si poëticae arti studerent, queratur [42]). Quae quidem res, quum ne minimum quidem vestigium adsit, ad Aristophanem eius querelam pertinuisse, nihil habet, quo commendetur. Ad alios potissimum spectabat aliorum generum poëtas. Praeterea aliud adest signum, quod posset cuidam adhibendum videri. Scholiasta Platonis in vita Aristophanis haec enarravit: „κωμῳδεῖται δὲ ὅτι καὶ τὸ τῆς εἰρήνης κολοσσικὸν ἐξῆρεν ἄγαλμα [43]),

---

[39]) cfr. schol. Plut. p. 331 ed. Bekk. et quae supra diximus.

[40]) Locos, in quibus ab Aristophane ξενία hominibus exprobratur, Elmsleius collegit ad Acharn. v. 523. Ac memorabile est, hos omnes ad comoedias pertinere, ab Callistrato editas, Acharnenses et Aves, et a Philonide ad Ranas.

[41]) Strabo XIV, 450 B.

[42]) Meineke Q. Sc. I, p. 40.

[43]) Quod Pacis statua commemoratur, non est minimi momenti. Est enim inter Plutarchum et Nepotem Cornelium certamen, utrum ea primo Cimonis an Timothei post victoriam ab Atheniensibus exstructa sit, cfr. Nep. Timoth. cap. 2, § 3. Plut. in Cimone p. 487. Lessing Collectan. in sämmtl. Werken, Bd. XIV, s. v. Friede. Non audeo

Εὔπολις Αὐτολύκῳ, Πλατῶν Νίκαις"; Colossi enim commemoratio posset ad insulam Rhodum trahere legentes. Ex hac re tamen nihil colligi potest, quod Colossus Charete et Lachete auctoribus Rhodi diu post Eupolin est exstructus [44]. Tamen potuisset illi opinioni de Rhodo patria originem dare. — Sed alia quoque cogitari possunt. Non raro enim Aristophanis nomen est cum Antiphane commutatum et Anaxandride. Quare potuisset Rhodus patria ab illis Aristophani assignari, quum Antiphanes ab Dionysio Rhodius, Anaxandrides a Suida Rhodius ex Camiro ortus dicatur. Potest praeterea alius cum nostro Aristophane eodem nomine commutatus esse, quod vel *maxime* crediderim.

His omnibus pensitatis, iure meo civem esse Atheniensem, natumque Athenis statuendum censeo; maiores autem eius nescio qua aetate Naucratin delatos, rediisse postea Athenas; ibique Philippo patre nostrum poëtam natum esse.

XXIV.

Non immerito, si quem magni ingenii conspicimus virum, qui ut suo aevo admirabilis, ita posteriorum iudiciis probatissimus, a turba plerorumque hominum recedit, ad primos eius aetatis annos fertur animus. Quae parentum eius fuerit educationis ratio; quorum praeceptorum curae commendatus sit; quis potissimum primas poëticae eius virtutis scintillas viderit et excitaverit; qua via et mente in hunc comoediae campum delatus sit; et multa alia his similia scire cupimus et cognoscere toto animo studemus. Sed raro tantum studio respondet eventus. Qui puerum conspiciunt, quantus vir fieri possit saepe non praevident; qui autem eius magnitudinem augurantur, posteritati rarissime tantum eius rei memoriam relinquunt. Hinc

---

nunc litem decernere. Sed quicunque postea eam rem aggredi cupit, erit in hunc quoque locum inquirere coactus, qui haud dubie eo pertinet.

44) cfr. Simonidis carmen inter epigram. LXXXIII, p. 75, Vol. I. Anthol. Gr. ed. Iacobs, quocum Iacobs conferendus VI, p. 257. XIII, p. 954.

factum est, ut de prima iuventute, de pueritia et adolescentia hominum aut pauca aut nihil sciamus. Idque de Aristophane inter Graecos poëtas quam maxime valet. Quocirca si Lilius Gyraldus, Aristophanem puerum omnes quod superaturus poëtas esset indicia certissima exhibuisse, refert[45]): hoc iudicium scriptoris benevolentiae, quae vel sine teste de magno viro magna praedicare audebat, soli debemus: neque impugnare neque defendere possumus. Sed alia nuperrime audita est alius sententia, quam tam brevi absolvere non licet.

L. I. Rueckertus, qui nuper Platonis Convivium recensuit et illustravit, uberiore expositione scripta, quid de universi libri consilio singularumque eius partium conformatione sentiret, exposuit. Quo quidem in libro id maxime persecutus est, ut ostenderet, singulos viros, quos Plato de Amore colloquentes induxerit, orationibus habitis suis scholas quasdam earumque in tractandis rebus propriam rationem exprimere. Alienum est ab hoc loco, ut quid universe de Platonis Convivio et hac quam nuperrimus eius editor ingressus est via iudicem, uberius exponam. Quis enim nescit, maiorem ei, qui in hanc diversissimarum opinionum multitudinem defertur, obiici materiam disputandi, quam quae longa oratione non egeat. Neque tamen reticere fas est, tam lubricam mihi videri Rueckertum rationem iniisse, ut equidem eadem incedere via non audeam. Uno exemplo defungar. Aristophanis enim oratione rationem Prodici sophistae adumbrari putat idque satis magna confidentia adeo ex certis quibusdam vestigiis intelligi et demonstrari posse arbitratur[46]). Quae quidem opinio iam primum propterea mira videbitur, quoniam Rueckertus tam parum honorifice de Prodico Ceo iudicavit, ut is, qui eius personam induit, nihil laudis inde accipiat, atque a Platone non pluris factus esse, quam ipse praeceptor, sed minoris adeo videatur. Audi modo, quod indicium de Prodico ferat: „sophista minorum quasi gentium, vir bonus ac simplex, qui virtuti quidem studeret magis quam

45) Lil. Gyrald. in Poëtar. Histor. dial. VII, p. 381.
46) Plat. Conviv. p. 280 seqq.
47) Ib. p. 29.

vulgus sophistarum, sed parvi (?) ingenii, et qui acumen suum in minutiis poneret; — ceterum pecuniae avidior et ad voluptatem pronus.“ Quare qua tandem ratione Rueckertus secum ipse cogitare potuerit, Aristophanis personam Prodicum induisse, ego non satis intelligo. Neque magis me movent, quas attulit ad sententiam stabiliendam causas. Primum enim ex Prodici disciplina illud fluxisse ait discrimen, quod ab initio orationis inter *τὸ γελοῖον* et *τὸ καταγέλαστον* instituitur[48]. Equidem profiteor, me in his nihil videre, quod a vulgari hominum usu discedat, et a Prodico, qui dedita opera etymologiae studuit, accipere debuerit. Altera a Rueckerto adhibita ratio est ingeniose quidem excogitata, sed non maiore veritatis specie dicta. Nam illa, de qua loquitur, sententia „*εἰ μή εἴ τις τὸ μὲν ἀγαθὸν οἰκεῖον καλεῖ καὶ ἑαυτοῦ καὶ τὸ κακὸν ἀλλότριον*“ non solum in Aristophanis sermone non invenitur, sed est a tota eius indole quam maxime aliena[49]); ut magis contrarium probare possit, quam quod Rueckertus inde elicere voluit. Plura ad eam refellendam non addimus, quia nihil inesse momenti, quicunque legit verba, sua sponte intelligit. Ceterum quod tertio loco adiicitur, inter eam narrationem, quae apud Xenophontem legitur, de Hercule ex Horis sumptam cum oratione Aristophanis intercedere similitudinem quandam, neque verum est, quum illa narratio seria, haec iocose sit dicta, neque si vera esset, quidquam probaret. Quocirca equidem non possum, quin Rueckerti commentum quam maxime improbem. Contra Aristophanis orationem tanquam comoediam libro Platonis esse insertam eiusque ipsius propriam rationem exprimi, id quod Plutarchus quoque significavit[50]), ab initio commentationis R. ipse recte statuerat[51]). Totum autem librum ex Prodici et Gorgiae aemulatione esse a Platone confectum, persuasum habeo[52]), sed ad philosophum celebrandum spectare.

---

[48]) Rueckert l. l. et p. 95.
[49]) Id. ib. et p. 170.
[50]) Plutarch. Sympos. II, 1.
[51]) p. 272. 273.
[52]) De Prodico ipse profitetur ab initio, p. 177 B. Ast. Gorgiam sin-

Etiamsi caussae allatae sententiae defendendae non sufficiunt, itaque in his dictis acquiescere possem: tamen alia quoque ratione addita, Prodicum Aristophanis praeceptorem non fuisse demonstrabo. Ter enim Prodici in carminibus poëta meminit[53]). Atque in Avibus quidem et Tagenistis aperte eum in hominum contemptionem ducit. Quorum locorum qui in Avibus servatus est, maxime mihi videtur memorabilis. Aristophanes enim, nova excogitata fabula, quid de deorum hominumque creatione sentiat exposuit, eosque qui sua verba audierint, Prodici disciplinam a sese removere posse censuit[54]). Nisi fallor, hanc ipsam fabulam Plato quum legisset, ac similia apud reliquos repperisset Comicos: inde Comicum in Convivio suo de Amore dicentem induxit, fabulamque, ut ille fere scripsisset, excogitavit. Vinci tamen ipsum quoque comicum poëtam a philosopho, cui Plato in omnibus primas tradidit, philosophi iudicio est consentaneum. Tertio quidem loco laudibus eum cumulare videtur: sed meminisse iuvabit, ea a Nubibus dici et iocose esse intelligenda[55]). Neque tamen non obscurum est, inter sophistas poëtam Prodico vel principem locum concessisse, quum ter, ubi omnium sophistarum mentionem facere poterat, unum solumque nominavit. Ac quod apud Platonem, reliquis eius generis hominibus missis, Prodicus nominatur eiusque de Hercule narratio, quam ipsam tanquam a Socrate quam maxime laudatam Xenophon rettulit[56]), vix aliter

gularum rerum laudes scripsisse Cicero ait, Brut. c. 12, cfr. Foss de Gorg. p. 43.

53) Avv. 692. Nubb. 360 et schol. Dind. Arist. fragm. 418.

54) Ita enim loquitur in Avv.:

ἵν' ἀκούσαντες πάντα παρ' ἡμῶν ὀρθῶς περὶ τῶν μετεώρων,——
εἰδότες ὀρθῶς παρ' ἐμοῦ Προδίκῳ κλάειν εἴπητε τὸ λοιπόν.

quae verba comparari debent cum iis, quae apud Platonem poëta profitetur, p. 189 D. Ast. „*ἐγὼ οὖν πειράσομαι ὑμῖν εἰσηγήσασθαι τὴν δύναμιν αὐτοῦ, ὑμεῖς δὲ τῶν ἄλλων διδάσκαλοι ἔσεσθε.*"

55) Nubes enim dicunt, sese sophistarum nullos audire praeter Prodicum et Socratem; Prodicum autem „*σοφίας καὶ γνώμης ἕνεκα*", ad quae scholiasta „*μέμνηται δὲ νῦν τοῦ Προδίκου διασύρων, ὅτι μεγίστην δόξαν εἶχε περὶ αὐτοῦ, ὡς ὑπὲρ πάντας ὢν τῇ σοφίᾳ.*" Alius „*ἐπὶ καθαιρέσει Σωκράτους Πρόδικον νῦν μέγαν ἀποφαίνει.*" Erat autem proverbium „*Προδίκου σοφώτερος*", cfr. Suid. s. v.

56) Xen. *Ἀπομν.* II, 1, 21—34.

explicabis; quanquam, cuius rei Rueckertus oblitus est, ex Phaedri ore haec ab Eryximacho referuntur[57]).

Nihil igitur de Prodico Aristophanis praeceptore a Rueckerto, V. D., edocti sumus. Neque id magnopere moramur, quoniam ab ipso poëta, quos Comicos audierit et quomodo ex eorum auditione suam artem didicerit, exponitur. Loquor de parabasi Equitum iam saepe commemorata; de qua argumenti scriptor ita loquitur „*οἱ Ἱππεῖς περί τε τοῦ ποιητοῦ τινα καὶ τῶν προγόνων*[58]) — *πρὸς τοὺς πολίτας ἁδροτέρως διαλέγονται.*“ Etenim ex magno numero, qui comica in poësi magna praestare tentarint, paucis tantummodo iure ac saepe victoriam esse delatam, eosque ipsos senes esse ab Atheniensibus proditos exponit. Magnetis igitur, Cratini, Cratetisque exemplum maxime secutum esse Aristophanem apparet. Aequales sibi poëtas, quibuscum de victoria certabat, Eupolin, Phrynichum, Pherecratem, uti par erat, praetermittit. Maiore iure, quam quo Sophocliae vitae scriptor, dixerat „*παρ' Αἰσχύλῳ τὴν τραγῳδίαν ἔμαθεν*“, quem vere Lessingius refutavit[59]): nos possumus Ma-

---

[57]) Socratis praeceptor apud Platonem vocatur, cfr. Herbst ad Xen. l. l., qui tamen praeter Socratem alios discipulos nominat, sed eos esse discipulos non demonstrat, cfr. Foss Gorg. p. 62. Praeterea Theramenis praeceptor vocatur a Suida et scholiasta ad Avv. laudato, quod fortasse ex Comicorum cavillationibus ortum est. Neque negligi debet, cum Simonide eum componi a Platone Protag. p. 339, d. Wendt ad Tennemanni Gesch. der Philosoph. I, p. 490. Prodicus autem, Simonides et Theramenes fortasse non sine iusta caussa comparantur. Ceterum a scholiasta ad Aves Callimachus reprehenditur, quod eum in rhetorum numerum rettulerit, illo ipso Aristophanis loco usus tanquam gravissimo testimonio. Qua ex re, ut opinor, iure meo colligo, nullum philosophicum Prodici librum ad posteros esse propagatum. Ac semper mihi mirum visum est, quo modo factum sit, ut quum Plato Prodicum nihil nisi Herculis laudationem confecisse dicat, Sympos. p. 177, b. et Xenophon aperte pronuntiet „*ἐν τῷ συγγράμματι περὶ Ἡρακλέους,*“ Suidas ex Aristophanis scholiasta, alium eius libri titulum *Ὧραι* inscriptum fuisse moneat. Est tamen, quod ex ipso Xenophonte ad inscriptionem explicandam afferre possis, § 22, cfr. IV, 1, 26. Hunc igitur librum posteriores ipsi possederunt.

[58]) Aristoph. Vol. I, p. 68, 12. Hac cum loquendi ratione comparari potest Pausan. IV, 10, § 2 „*Εὐτελίδας καὶ Χρυσόθεμις τάδε ἔργα τέλεσσαν, Ἀργεῖοι, τέχνην εἰδότες ἐκ προτέρων,*“ cfr. Thiersch, Epochen der bild. Kunst p. 158, No. 56.

[59]) cfr. Lessing, Leben des Sophocles, Bd. X, n. G, I, L.

gnetem, Cratinum, Cratetemque Aristophanis praeceptores nominare. Ac Magnetem quidem imitatus est Aristophanes, qui ante eum Ὄρνιθας et Βατράχους docuerat[60]. Praeterea tamen haec aliorum institutio ei tam parum sufficiebat, ut priusquam ipse periculum subiret, aliis suas fabulas docendas traderet.

XXV.

Antiqua comoedia summo iure vocatur Atheniensis reipublicae filia nobilissima; quae etiamsi in ludendo interdum modum excessit, et quid ultimum esset in libertate docuit, tamen nativum suum splendorem semper tuita, plausum laudemque hominum merito detulit. Quod quum sensisset Aristophanes, cui servitus quam maxime invisa, libertatisque amor cum amore urbis patriae vehementissimo coniunctus erat; Musarum afflatu sublime et excelsum ingenium ad poësin comicam transtulit. In Acharnensibus enim, qua fabula contra Cleonis criminationes non se ipsum solum, sed secum comoediam suam defendere instituerat, hanc sibi de comoedia stare sententiam, eximie et ut nihil apertius cogitari possit exposuit. Nam duabus potissimum rebus ad fastigium evectam ait excelluisse urbem patriam, et imperio maris et suae comoediae indole ac natura; quas si teneret neque corrumpi et everti sineret, futuro eandem tempore felicem, omnes difficultates esse superaturam, omnesque hostium conatus ad irritum redacturam contendit. Quocirca quanquam multas vias ac rationes adesse bene sciebat, qua quis urbi prodesset eiusque et praestantiam et maiestatem augeret: tamen meliorem ac praestantiorem vix extare ratus, quam quae ab iis inita esset, qui comicos sese poëtas appellabant; ipse summo studio in comoediam incubuit[61].

At quanquam potissimam caussam, quae Aristophanem adduxerit, ut comici poëtae munus susciperet, ita assecutus videor: tamen id fieri nullo modo sine alia divini eius ingenii virtute poterat; quam praetermittere nefas esset. Festivo enim facetiisque fundendis aptissimo exsplendescebat inter omnes in-

---

60) cfr. Mein. Q. Sc. I, 12 seq.
61) Acharn. v. 647—651.

genio. Quam ob rem non contemnendum erat fortunae donum, quod sedem ac domum nactus erat urbem, incolis affluentem, qui fere omnes faceti salsique eius ingenium alere studiorumque magistri fieri poterant. Hinc igitur factum est, ut Aristophanes duas simul profiteretur artes, alteram ridendi risumque excitandi, alteram ridendo vera dicendi et reipublicae optima suadendi eiusque splendorem et dignitatem suis consiliis amplificandi. Quae quidem duplex ars ita in Aristophane visa est, ut externa specie risum iocosque prae se ferret; veram autem eius naturam spectantibus, si sapientiae non expertes erant, intus summam animi et virtutem et sapientiam recluderet [62]).

Erat inter Bacchi comites unus prae ceteris omnibus insignis et eximius, Silenus. Eum Graeci summis honoribus onerant, vocant *παιδαγωγὸν καὶ τροφέα Διονύσου*, et celebrant tanquam *εἰσηγητὴν καὶ διδάσκαλον γινόμενον τῶν καλλίστων ἐπιτηδευμάτων καὶ μεγάλα συμβάλλεσθαι τῷ Διονύσῳ πρὸς ἀρετήν τε καὶ δόξαν* [63]). Quae quidem virtutes non erant cum corporis pulchritudine coniunctae. Cognitus est enim *ὁ φαλακρὸς γέρων, σιμὸς τὴν ῥῖνα, ἐπὶ ὄνου τὰ πολλὰ ὀχούμενος* [64]). Sed praeter Silenum in Bacchi comitatu Satyri cernebantur, ab ipso sene edocti neque minus quam praeceptor risu iocisque et sapientia conspicui, *ὀξεῖς τὰ ὦτα καὶ αὐτοὶ φαλακροί, κεράσται*; qui si aetate provectiores erant, ipsi Sileni nuncupabantur. Non raro factum est, ut cum Silenis Satyrisque homines compararentur. Quas inter comparationes nulla maiore est ab hominibus laude ornata, quam quae ab Alcibiade in Platonis Convivio proposita legitur. Is enim quae inter Silenos Satyrosque et Socratem cernatur similitudo, tam praeclara explicavit oratione, ut quod de Socrate profitetur: „eius verba non tam in admirationem rapere, quam totos tenere et firmissimis vinculis obstringere

---

[62]) Ecclesiazs. v. 1155 seq. Fortasse igitur idem de Aristophane praedicare nobis licet, quod de Aristotele dixit Lucianus „*ἄλλος μὲν ὁ ἔκτοθεν φαινόμενος, ἄλλος δὲ ὁ ἔντοσθεν εἶναι δοκεῖ.*“ Vitarum auctio, c. 26.

[63]) Diod. Sic. lib. III, p. 212.

[64]) Lucian. Deor. concil. cap. 8 (T. VIII, p. 324, ed. Schmid.).

homines", idem de ipso valeat. Ac Socratem externa quidem forma referre Silenum, in concessis numerat; animo autem quo modo eius ingenium exprimat, lepidissime explanare studet[65]. Neque incognitum est, non minimam cum Silenis et Satyris similitudinem Socrati effecisse calvitiem[66]. Inter ceteros, quos ad eandem comparationem instituendam homines invitasse accepimus, Periclem praeterimus, qui a Cratino σχινοκέφαλος et ab Hermippo propterea βασιλεὺς Σατύρων nominatus est[67]; et unum tantummodo commemoramus Aristophanem, qui vel ipse de eadem similitudine gloriatus sibique propterea gratulatus videtur esse.

Narrat enim Plutarchus, ut irrisionum acerbitatem diminuerent et delerent, comicos poëtas sese ipsos interdum exposuisse risui[68]. Ac nominatim praeter Cratinum, qui suam bibendi cupidinem perstrinxerit, Aristophanem affert eumque suam calvitiem risisse perhibet. Profecto autem res bene est et vere notata[69]; rei ratio tamen et caussa nondum satis explanata. Facile enim intelligimus, risum illum propterea esse ab Aristophane admissum, quod res ridicula erat, non foeda neque vera reprehensione digna; imprimis autem, quod eum in Silenorum Satyrorumque similitudinem vocabat, qui Bacchi erant comites, comoediaeque magistri et praesides. Quoniam igitur, qui a Dionyso sese nutritum esse gloriatur, id iocorum facetiarumque genus vereri non debebat: prorsus ab Agathocle, rege Syracusano, diversus, qui ad calvitiem occultandam semper coronam gestabat atque eam ob caussam in risum contemptionemque apud cives suos incidebat; suam sibi calvitiem gloriae duxit[70]. Quod igitur haud ita multis accidit, ut id sibi eligant vitae genus, cui propter ingenii indolem ab

---

[65]) Plat. Sympos. p. 215 seqq.
[66]) Xenoph. Sympos. IV, § 19; V, § 7. Aristoph. schol. ad Nubb. 223. Hemsterhus. ad Lucian. T. I, p. 417.
[67]) Plut. Pericl. cap. 13 et 33. Meineke Q. Sc. I, p. 30.
[68]) Plut. Sympos. II, 1.
[69]) Aristoph. Pac. 751. 755. Ipse est ab Eupolide risus propterea, Arist. schol. ad Nubb. 532.
[70]) Aelian. V. Hist. XI, 4.

ipsa natura destinati sunt: id Aristophani contigit, qui externa adeo corporis forma invitante, comici poëtae munus capessivit, atque in patriae urbis salutem suamque gloriam usque ad vitae finem tenuit.

In Silenorum Satyrorumque descriptionibus, quae apud Winckelmannium, Virum Magnum, reperiuntur, nihil de eorum calvitie legitur [71]). Is quum apud Thomam Ienkinsium Romae caput invenisset, gemmae incisum, conspicuum calvitie hederaque ornatum, cuius in os apertum apis ingredi videtur velle; hac ipsa capitis forma Aristophanis imaginem ab artifice propositam esse, variis de caussis coniecit [72]). Quam quidem coniecturam, ut incertissimam caussisque infirmissimis stabilitam improbare cogimur. Nam primum calvities, ut vidimus, Satyris Silenisque propria, non Aristophani solum, sed universe personis comicis convenit [73]). Deinde Acharnensis hedera cunctis poëtis dramaticis propter Bacchum est communis [74]); neque verum est, Acharnensem fuisse Aristophanem [75]). Apis denique, ab

---

[71]) In libro praestantissimo „Alte Denkmäler der Kunst,“ cfr. Vorl. Abh. 26; I, 33, 51; II, 120.

[72]) Ib. II, p. 114, tab. 192.

[73]) Eadem ratione in tab. 194, ipso Winckelmannio docente, persona comica calvitie est insignis, cfr. II, p. 116. Ceterum de calvitie apud veteres risui obnoxia cfr. Iacobs. Animadvv. in Epigramm. Anthol. Gr. IX, p. 423, et Bergler. ad Aristoph. Pac. 715.

[74]) Ita de Sophocle Simmias Thebanus „πολλάκις“ ait „ἐν θυμέλῃσι καὶ ἐν σκηνῇσι τεθηλὼς Κισσὸς Ἀχαρνείτης βλαισὸς ἔρεψε κόμην,“ quem locum Antipater imitatus est, cfr. Iacobs. Animadvv. VIII, p. 306.

[75]) Unde hanc opinionem hauserit Winckelmannius, non certo scio. Erant, qui Dicaeopolin in Acharnensibus falso Acharnensem vocarent. Num eos secutus, cum Aristophane Dicaeopolin mutavit? Memorabilis est Athenaei locus, VI, p. 269: „τί δεῖ πρὸς τούτοις ἔτι παρατίθεσθαι τὰ ἐκ Ταγηνιστῶν τοῦ χαρίεντος Ἀριστοφάνους; πάντες γὰρ τῆς κατ' Ἀχαρνεῖς αὐτοῦ πλήρεις ἐστέ.“ quem Casaubonus male intellexerat. Credebat enim „εὐωχίας“ esse supplendum et Acharnenses fabulam a poëta intelligi, cui interpretationi tantum non omnia adversantur. Neque melius Schweighaeuserus scripturam mutavit, et pro κατ' Ἀχαρνεῖς, καταχήνης posuit. Nisi fallor, τῆς κατ' Ἀχαρνῆς, Μούσης intelligendum est, ut dictum sit eo modo, quo κισσὸς Ἀχαρνικὸς dramaticis poëtis tribuitur, et οἱ ἐν Διονύσου ποιηταὶ appellantur Maxim. Tyrio Dissert. XV. Fortasse locus ex poëta sumptus est:

πάντες γὰρ τῆς κατ' Ἀχαρνεῖς
(αὐτοῦ) πλήρεις ἐστέ.

Num cogitari potest, hunc locum Winckelmannium in suam de patria

aliis Menandro multisque praeterea poëtis tributa, ne potuit quidem ab ipso Winckelmannio iusta caussa appellari [76]). Non minus igitur infeliciter in Aristophanis imagine detegenda Winckelmannio negotium cessit, quam iis, quos ibi in errore versatos esse docuit [77]).

Ut antea dixi, praeter Aristophanem, sententiam ut probaret suam, Cratini Plutarchus proposuit exemplum; neque hoc immerito fecit. Scimus enim, Cratinum Pytina fabula docta Comoediam tanquam uxorem suam in scenam intulisse, divortium cum marito facturam et κακώσεως litem ei intenturam, quia Temulentiae totum se tradidisset [78]). Sed hanc irrisionem ad

---

Aristophanis duxisse sententiam? Sed restat alia coniectura. Aeschylus enim Ἐλευσίνιος τὸν δῆμον (cfr. Aesch. vit.) vocatur Aristophani „a Cerere nutritus," cfr. Rann. 886 „Δήμητερ ἡ θρέψασα τὴν ἐμὴν φρένα, εἶναί με τῶν σῶν ἄξιον μυστηρίων". Crediditne Winckelmannius, eadem de caussa sese a Dionyso nutritum vocasse Aristophanem? Nubb. 519, idque cum Acharnensi hedera comparavit? Sed recte Donatus de tragoedia et comoedia: „Ipsi tragoediarum comoediarumque scriptores huius dei, velut patris, numen colere venerarique coeperunt."

[76]) Notum est, apes fuisse Musarum volucres, cfr. Varro de re rust. III, c. 16. De Sophocle Suidas „προσηγορεύθη δὲ μέλιττα διὰ τὸ γλυκύ", qua de re praeclare Lessingius in vita Sophoclis nota NN., X, p. 137 seq., egit. Fabulas de Platone, Pindaro, Virgilio collegit Iacobsius Animadvv. ad Anthol. V. XII, p. 178, ubi de Menandro loquitur. Iam quaeritur, utrum apis antiquae comoediae poëtae addi possit. De Hyperide Longinus Π. Γ, Sect. XXXIV, p. 124 „καὶ πολὺ τὸ κωμικὸν (ἔχει) καὶ μετὰ παιδιᾶς εὐστόχου κέντρον, ἀμίμητον δὲ τὸ ἐν πᾶσι τούτοις ἐπαφρόδιτον." Similiter de salibus loquuntur Romani, neque acres singulorum hominum irrisiones significant, nisi addunt aliquid, ut: *venenatos* sales, Senec. de vita beata c. paenult. circ. med.; vel: sale *nigro*, Horat. Epist. II, 2, 60. Vix igitur crediderim, ad antiquorum Comicorum acerbos sales designandos apibus usos esse veteres. Neque Aristophani *dulcedinem* adscripserim, quem Antipater φοβερῶν χαρίτων κληθόμενον praeclare nominavit. Contra caput illud in gemma visum, si quem artifex Comicum insignem proponere voluerit, melius in Menandrum verteretur; quia de hoc ea dicta reperiuntur, quae ibi sunt proposita:

αὐταί σοι στομάτεσσιν ἀνηρείψαντο μέλισσαι
ποικίλα Μουσάων ἄνθεα δρεψάμεναι.

quae quidem verba Iacobsius l. l. praeclare explicavit.

[77]) De iis expositum est cap. XV. h. comm.

[78]) Aristoph. Equitt. 399, schol. — Meier, attischer Process l. III, p. 289; Meineke, Quaest. Sc. I, 14, 17, 22.

idem facetiarum genus annumerandam esse censeo. Nam Xenocrates, Platonis discipulorum celeberrimus, qui inter bibendi cupidos ab Aeliano refertur et ex bibendi certamine in Bacchi festo instituto, quod congiorum dicebatur, discessisse victor traditur, in gemma quadam conspicitur Sileni asino vecti figura [79]). Eodem igitur modo Cratinus quoque hanc cum Satyris Silenisque similitudinem ipse perstringere non male poterat; quod non minus turpe sine dubio Atheniensibus visum est, quam ridere et perstringere homines alios. Tamen risus gratia ut Eupolis Aristophanem propter calvitiem elusit, ita Aristophanes Cratinum propter bibacitatem [80]). Ac fuerunt adeo, qui Aristophanem ipsum eiusdem vitii accusarent. Berglerum quidem non moror, qui Plutarchi verba in Symposiacis ita pervertit, ut Aristophanem *εἰς τὴν φαλακρότητα καὶ τὴν ἄγαν οἴνου δίψαν* convicia iecisse dicentem eum induceret [81]). Aperte enim ille, quae ad Cratinum pertinent, ad Aristophanem traxit. Sed Athenaeum [82]) praeterire non licet, qui talia effatus est „*καὶ Ἀλκαῖος δὲ ὁ μελοποιὸς καὶ Ἀριστοφάνης ὁ κωμῳδιοποιὸς μεθύοντες ἔγραφον τὰ ποιήματα*“. Ac de Alcaeo quidem non solum breviter iterum tangit eandem rem, sed etiam accurate sententiae suae caussas rationesque et auctores enumerat, eamque consuetudinem ad bibacitatem torquet [83]). Idcirco ipsi iudicium ferre possumus. Quum enim Seleucus ex Alcaei carminibus ostenderit, eum quovis tempore et statu, hyeme et aestate, vinum cupidissime bibisse: patet nobis, iniustam esse ratiocinationem, quam sequi temerarium foret. Contra de Aristophane nihil amplius addidit, ut neque fontes compertos habeamus, neque tuto diiudicare sententiam possimus. Quoniam Cratinum

---

79) Perizonius ad Aelian. III, 18.

80) Aristoph. Equitt. 400, 531, Pac. 703.

81) Bergler. ad Arist. Pac. 751.

82) Athen. X, 429, a.

83) Id. ib. p. 436, e. 429, f. — 430, e. Ibi contra Chamaeleontem Seleucus disputavit, nescio ubi; utrum quem priore loco Suidas nominavit, in *ἐξηγητικοῖς εἰς πάντα ὡς εἰπεῖν ποιητήν*, an quem posteriore in *ὑπομνήματι εἰς τοὺς λυρικούς*, an in libro *περὶ βίων*? cfr. Harpocrat. s. v. *ὁμηρίδαι*, Ionsius Scr. Hist. ph. III, 8, 3. Menag. ad Laërt. IX, 12.

scimus nihil egregii a poëta proferri credidisse, nisi vino incaluisset (*ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοις*): non absurda esset coniectura, in Aristophanis locum Cratini nomen apud Athenaeum restituendum fuisse. Sed fortasse, ut apud Alcaeum, ita apud Aristophanem in eius carminibus huius opinionis fontem quaerere debemus. Equidem certe talem mihi locum repperisse videor. Nam in Equitibus fabula Demosthenes et Nicias inter se colloquuntur. Quum Nicias sanguinem taurinum postulasset, Demosthenes contra vinum purum poscit, addito hoc versu:

ἴσως γὰρ ἂν χρηστόν τι βουλευσαίμεθα.

Quae verba admiratus Nicias quum hoc modo respondisset:

ἰδού γ' ἄκρατον. περὶ ποτοῦ γοῦν ἐστί σοι;
πῶς δ' ἂν μεθύων χρηστόν τι βουλεύσαιτ' ἀνήρ;

accurate totam suam de viribus vini sententiam diligenter explanat multis versibus vinoque sumpto corroboratus captum semel consilium persequitur[84]). Quae quum per se perspicua sint, vel clariora fiunt scholiastae cuiusdam annotatione, haec dicentis: „*ὅρα τὸν Ἀριστοφάνην· ἀρχόμενον γὰρ σκώμματος μεθύσκεσθαι, ἵνα μὴ νήφων δειλιάσῃ κωμῳδεῖν μεγάλους ἄνδρας*“[85]). Videmus enim, quo modo quae singulis in fabula occurrentibus hominibus dicuntur, ab interpretibus ad ipsum poëtam traduci solent. Ut tamen praeterea alium Athenaeus fontem secutus sit[86]), credere ei nefas esse putamus.

Ac primum quidem nemo infitiabitur, Aristophanem vix tam saepe ea in Cratinum coniicere convicia potuisse, si ipse eiusdem reus criminis fuisset. Deinde tota eius comoediarum indoles docet, in quibus nihil est, quod auctorem vino sepultum ostendat, sobrium hominem ea elaborasse laboremque haud parvum iis impendisse. Non est igitur necessarium, eum qui legit eius carmina, ad poëtae verba, qui *πόνον* sibi fecisse

---

84) Aristoph. Equitt. 85—100.
85) Is de Solone fortasse cogitavit, propter insulam Salamina dicentem et *μανίαν* simulantem.
86) Similia enim aliis quoque audimus in locis, ut Vespis 80 „*αὕτη γε χρηστῶν ἐστιν ἀνδρῶν ἡ νόσος.*“

πλεῖστον fabulam ait[87]), neque ad scholiastas, qui εὖ καὶ φιλοπόνως[88]) compositas esse eius comoedias profitentur, revocare; neque ad Aristophanis lucernam Welckeri nobis confugiendum. At praeterea accedit Platonis, philosophi, testimonium, qui in Convivio suo Aristophanem, ut Socratem ipsum, δυνατωτατοις πίνειν adnumeravit[89]), sed ne uno quidem verbo bibacitatem ei et temulentiam exprobravit. Statim enim ab initio Pausaniae, quo modo commodissime bibant quaerenti primus respondet, seque besterno die bene mersum lubenter hodie a bibendo abstinere perhibet. In fine autem libri usque ad ultimum tempus cum Socrate de scenica poësi colloquitur, et a solo Socrate praeter Agathonem superatur eiusque sermonum subtilitate sopitur[90]). Quibus de caussis illud Athenaei testimonium fictum falsumque esse dicere audeo. Quodsi igitur Aristophanem et Cratinum inter se comparo: idem mihi discrimen obtinere videtur, quod inter Sophoclem et Aeschylum exstitisse accepimus; quorum posterior ab eodem Athenaeo μεθύων tragoedias confecisse dicitur et propterea est a Sophocle reprehensus, quoniam praeclara quidem et egregia efficeret, sed caussarum et rationum esset immemor[91]). Id tamen constat, multis Aristophanem rebus cum Silenis Satyrisque comparari posse. Erat enim φαλακρός, φιλόγελως[92]), δυνατὸς πίνειν; ac simul σοφός, et εἰσηγητὴς καὶ διδάσκαλος τῶν καλλίστων ἐπιτηδευμάτων Atheniensibus. Quibus rebus quam aptus fuerit ad munus comici poëtae capessendum, iam per se intelligitur.

His expositis, ad Persium revertor, qui „praegrandem senem“ Aristophanem appellavit[93]). Nonne enim perquam verisimile est, illum Sileno poëtam comparasse, et propterea hoc

---

87) Aristoph. Nubb. 524.
88) Script. argum. ad Ranas, qui in Bekkeri editione multo melius dixisse perhibetur „εὖ καὶ φιλολόγως,“ quam veram esse scripturam per se patet.
89) Plat. Conviv. p. 176, C.
90) Ib. p. 223, D.
91) Athen. X, p. 428, F. Lessing, Leben des Soph. n. G.
92) cfr. Lucian. Piscat. s. Revivisc. c. 25 „καὶ ὁ θεὸς ἴσως χαίρει, φιλόγελώς τις ὤν“.
93) cfr. cap. XVI. huius comment.

nomine designasse? Equidem certe mihi hanc sententiam stare, confiteor.

XXVI.

Priusquam de singulis, quarum notitia ad nos pervenit, comoediis loqui possim: non inutile erit, universe de numero nominibusque earum, quas docuerit, exponere. Quae quidem quaestio quanquam est a Dindorfio nuperrime tractata: tamen, nisi fallor, nondum potest omnibus difficultatibus, quibus premitur, liberata dici; quare iterandi eam si peto veniam, si modo quid apti afferam, eam facile me accepturum esse spero.

Non difficilis esset ea quaestio, si Aristotelis librum de didascaliis scriptum possideremus. Qui quoniam amissus est, iam iterum ad grammaticos scholiastasque delabimur, quorum est ut non magna fides habenda, ita in rebus prodendis inconstantia, quae nos nostra aetate vehementer turbat. Ac de numero quidem comoediarum quattuor supersunt testimonia grammaticorum, quorum alii quadraginta quattuor, alii quinquaginta quattuor fabulas fuisse perhibent. Anonymus enim vitae scriptor ita loquitur „ἔγραψε δὲ δράματα μδ΄, ὧν ἀντιλέγεται τέσσαρα, ὡς οὐκ ὄντα αὐτοῦ· ἔστι δὲ ταῦτα, Ποίησις, Ναυαγός, Νῆσοι, Νίοβις, ἃ τινες ἔφασαν εἶναι τοῦ Ἀρχίππου.“ Anon. de comoedia „ἔπειτα υἱῷ ἐδίδου τὰ δράματα ὄντα τὸν ἀριθμὸν νδ΄, ὧν νόθα δ΄.“ Thomas Magister in Aristophanis vita „δράματα δὲ τέσσαρα πρὸς τοῖς πεντήκοντα γέγραφεν.“ Suidas denique s. v. Ἀριστοφάνης „δράματα δὲ αὐτοῦ νδ΄· ἅπερ δὲ πεπράχαμεν Ἀριστοφάνους δράματα ταῦτα· Ἀχαρνεῖς“ etc., quae scriptura in Parisino codice aliter exhibetur, μδ΄, teste Dindorfio [94]). Quae si componimus veterum testimonia, ea sic discrepare facile animadvertimus, ut nihil nisi scripturae vitium sumi possit, credendumque sit, unum omnes eundemque esse auctorem secutos. Imprimis Suidae codicum exemplum, unde nata sit discrepantia, ostendit. Quare quum duo aperte νδ΄ numerum ferant, eundemque uno codice excepto omnes libri Suidae

---

94) Dind. de fragm. Aristoph. p. 4.

servent, quartum testimonium corrigere licebit, maioremque numerum potiorem habere. Sed accedit alia ratio. Quoniam enim de fabularum nominibus nihil nobis est proditum, ea singula ex locis veterum grammaticorum, quibus utuntur illi, colligere cogimur. Qua collectione instituta, omnium fabularum nomina nobis innotescere posse, vix erit quisquam, qui sibi persuadeat. Habemus enim Aeschyli fabularum indicem [95]) a veteri grammatico scriptum, in quo multi tragoediarum enumerantur tituli, quarum notitiam soli illi grammatico acceptam referimus. Neque omnes enim fabulae eadem diligentia a grammaticis legebantur; neque omnes eorum quaestionibus satis largam praebebant materiem. Praeterea sunt Aristophanis fabulae, quae uno tantum vel duobus modo ex fragmentis cognoscuntur, ut facile aliorum nomina prorsus omissa esse videri possint. Ita *Ποίησιν* fabulam, quae a nonnullis Archippo tribuebatur, solus citat Priscianus, quum Casauboni coniectura pro Antiphane apud Athenaeum Aristophanis nomen reponentis incertissima iure habeatur [96]). Ac *Ναυαγόν*, quam eandem spuriam esse iudicarunt, unus Pollux nominavit, addita ab initio vocis vocula *Δισ*, vel ut cod. Vossianus praebet „*Δὶς ναυαγῷ*“ [97]). Quod autem in his accidisse videmus comoediis, nonne in aliis quoque potuit evenire? Iam vero quum collectis singularum fabularum titulis minor ille numerus a grammaticis indicatus, haud difficili opera efficitur, vel adeo, nisi singulis nominibus vim adhibemus superatur: equidem multo magis credo animum ad maiorem numerum probandum trahi, quam ad minorem [98]). Tamen omnia, quae hucusque ostendimus, quan-

---

[95]) Aeschyli tragoed. ed. Schuetz. Vol. IV, p. 457 seqq.

[96]) cfr. Priscian. vol. II, p. 202 ed. Krehl, Athen. VI, p. 222 cum Casaub. adnotatione, Dind. de fragm. p. 169. Meineke Q. Sc. II, 47 seq.

[97]) cfr. Polluc. Onom. X, 88. Dind. l. l. p. 154.

[98]) Iam dudum eadem ratione alii iudicarunt, quorum est Alb. Fabricius, qui Bibl. Gr. l. II, c. XXI (vol I, p. 675) ita loquitur „Suidas et Thomas Magister in eius vita tradunt ipsum docuisse dramata LIV, ut in altero anonymo vitae scriptore error esse videatur, *μδ´* pro *νδ´*, 44 pro 54.“ Sed nuperrime aliam defendit sententiam Dindorfius in Aristophanis fragmentis, Hermannoque adeo eam persuasit, cfr.

quam, ut nos quidem credimus, profecto veritatis speciem praebent, sunt incerta et latiore egent oratione, quam nos quidem non detrectare pro nostri instituti consilio possumus. Priusquam enim de hac re iudicare liceat, sunt quaedam antea diiudicanda, sine quibus nullum stabit iudicium; quibus nonnulla specie quidem aliena, re vera tamen dictu necessaria, admiscere non dubito.

XXVII.

Veteres poëtae tragoedias comoediasque priusquam coram populo agerent, posteaquam eas composuerant, et histrionibus ediscendas curare et quae ad scenam instruendam necessaria erant, artificibus tradere conficienda debebant. Quod cum fieri non posset, nisi comoediis tragoediisque haud paullo ante dies festos ad finem ductis: tamen interdum brevissimo ante Lenaea et Dionysia temporis spatio carmina confecta videntur esse. Nam de Menandro haec memoriae prodidit Plutarchus [99]) „λέγεται δὲ καὶ Μενάνδρῳ τῷ κωμικῷ συνήθων τις εἰπεῖν· ἐγγὺς

Leips. Literaturzeitung l. l. p. 1618, qui negligentissime ab ipso statim disputationis initio in negotio suo conficiendo versatum sese esse confitebitur, p. 3 seq. Enumerat ille singula testimonia iisque numeratis suum iudicium fert. Sed vide, quo enumeret modo, Thomae Magistri testimonium, quod sibi adversari videbat, praetermisit; quod eo minus erat praetereundum, quia litteris exaratum numerum continet, „τέσσαρα πρὸς τοῖς πεντήκοντα.“ Addidit autem ad suam sententiam stabiliendam verba anonymi de comoedia, de Epicharmo dicta, et ad Aristophanem traxit, idque non errore seductus, sed ratione quadam satis improbabili adhibita. Iam in Acharnensium enim exemplari, cui grammaticos illos praefixit, ea quae recte Grysarius de Dor. com. I, p. 267 ad Epicharmum traxit, ex parte ad Epicharmum, ex parte ad Aristophanem pertinere putavit, quod ex eius adnotatione elucet. Quod quam temerarium sit, quia omnia arcte inter se cohaerent, ac non potuit idem scriptor duplici loco de eodem poëta agere, nunc in fragmentorum editione vitium admissum non correxit, sed auxit, dum ultimam quoque partem ad Aristophanem trahit, ac non solum duplici loco de eodem poëta loquentem facit anonymum, sed diversa adeo tradentem. En! lepidissimum Viri Docti erratum. Unum eundemque hominem duo diversa testimonia diversis locis prodentem facit, ut suam sententiam probet. Et lege, si lubet, quo artificio adeo, si diis placet, quae de Epicharmo dicta sunt, emendaverit. Dindorfianae igitur rationi minus favemus.

99) Plutarch. de glor. Athen. p. 347 E.

οὖν, *Μένανδρε, τὰ Διονύσια, καὶ σὺ τὴν κωμῳδίαν οὐ πεποίηκας; τὸν δὲ ἀποκρίνασθαι· νὴ τοὺς θεοὺς ἔγωγε πεποίηκα τὴν κωμῳδίαν· ᾠκονόμηται γὰρ ἡ σύνθεσις· δεῖ δὲ αὐτῇ τὰ στοιχίδια ἐπᾷσαι.*" Quanquam autem Aristophanes multo magis quam Menander orationis elegantiae et ornatui studuit: tamen eius quoque fabulam, cui nomen est inditum *Εἰρήνη*, ita esse comparatam intelligimus, ut ipsis illis diebus, quibus in scenam commissa dicitur, nata esse videatur. Tam perspicue res extremis diebus gestas poëta tetigit[100]). Quamobrem si qui ex temporibus doctarum fabularum colligere posse credunt, quot mensibus ante fabula inchoata ac res in fabula commemoratae gestae fuerint; illi ne in errores incidant, cavere debent[1]).

---

[100]) Nunc breviter attingo, postea uberius explanabo hanc sententiam.

[1]) Ut exempla afferam, hoc modo Boeckhius loquitur in comment. de festis Bacchicis p. 104 „denn Aristophanes musste sie (Ranas) doch gewiss schon vor den ländlichen Dionysien im Poseideon angefangen haben", et in comment. de Agathonis vita particula I. p. 15 Ritschlius „Quippe parum credibile est, intra unius mensis spatium et componi fabulam potuisse elegantissimam, et doceri histriones et choreutas institui et omnem instrui apparatum scenicum." Talis igitur ratiocinatio incertissima est. Equidem quoniam Boeckhio auctore constat, Lenaea circa vicesimum diem Gamelionis esse celebrata: his diebus vita iam cessisse Sophoclem, censendum duco; ultra autem progredi vix audeo. Non est enim absonum, si Euripides et Sophocles Ol. 93, 3. mortui sunt, quod Lenaeis ex fabula acta perhibetur. Mihi tamen haec contemplanti coniectura nata est, quam hoc loco viris doctis proponere non dubito. Quid? si post Euripidis mortem, quem in confiniis secundi et tertii anni Ol. 93 mortuum esse coniecit Boeckhius, summam comoediae excogitavit poëta, et eam eius partem, quae Aeschyli Euripidisque certamen ante oculos nobis posuit, confecit? et postea Sophocle quoque mortuo eam comoediae suae formam dedisse, qua nos eam accepimus? At nonne iure suo totam fabulam Sophoclis morte tanquam fundamento niti, censet Ritschlius? Fateor, sed utrum ab initio res ita fuerit, dubitamus. Duas esse fabulae partes, unicuique patet. Primum enim Dionysus mortuis poëtis bonis petit inferos, ut Euripidem ad superos referat. Deinde vero apud inferos est ab Euripide certamen atrocissimum contra Aeschylum commotum, ad quod forte Dionysus accedit. Utriusque partis Euripidis mors est fundamentum; eum repetit Dionysus, eum pugnantem videmus apud inferos. Sola in altera Sophoclis mors accedit et eo magis impellit Dionysum, ut delicias suas in terram reducat. Eam sententiam qui probat, cur tribus tantum locis Sophocles commemoretur, intelligit. Sed satis est nunc, sententiam proposuisse; exornandam alibi suscipiemus. *Ceterum* id unum moneo, Aristophanis silentium haud parvi esse momenti ad narrationum fidem elevandam, quae de morte Sophoclis rerumque ad finem vitae gestarum ratione circumferuntur. Huc accedit *illarum* narrationum apud omnes scriptores inconstantia.

Deinde fabulae a poëtis committendae, Boeckhio auctore, antea in solenni concilio praelegi solebant [2]). Cuius rei quoniam rara reperiuntur exempla, quo ea modo, quaque de caussa suscepta sit, et utrum semper, an interdum tantummodo facta, nobis incognitum est. Non diffiteor tamen, me lubenter ab omni quaestione de his praelectionibus instituenda abstinere, quoniam incertissima omnia esse puto [3]).

Posteaquam autem poëtarum fabulae in certamen commissae et aut praemio ornatae aut victae erant ab adversariorum fabulis, chartis sunt interdum mandatae ac publice editae. Ac Susarionem quidem, Euetem, Euxenidem, Myllum suas comoedias, si modo eo nomine dignae censentur, non scripsisse; Epicharmum autem apud Siculos, apud Atticos Chionidem prima evulgasse et servasse sua dramata; Bentleii, Meinekii, aliorumque quaestionibus constat [4]). Quaecunque ex illa aetate nobis comperta habentur, ea omnia aliorum libris debemus, qui iis proverbiorum loco usi erant [5]). Neque tamen omnes posteriores

---

[2]) Boeckh. de Dionys. § 21, p. 102 seqq.

[3]) Iam supra annotavi, voce *ἀναγιγνώσκειν* uti grammaticos, quo modo veteres *διδάσκειν* adhibere solent. Ita in vita Euripidis ab Elmsl. edit. p. 512 „*ἀναγνοὺς δὲ ἐπὶ τραγῳδίαν ἐτράπη*“, cfr. Naeke ad Choerilum p. 89. Apulei. Flor. 16 (Meinek. Menandri et Philem. fragm. p. XLIX) „*forte recitabat*“ cett. Cavendum est, ne talibus locis decipi nos patiamur et de praelectionibus falso cogitemus. Memorabilis est loquendi ratio apud vitae Sophocleae scriptorem. Is enim ita loquitur „*Σάτυρος δέ φησι τὴν Ἀντιγόνην ἀναγιγνώσκοντα καὶ ἐμπεσόντα περὶ τὰ τέλη νοήματι μακρῷ, καὶ μέσην ἢ ὑποστιγμὴν πρὸς ἀνάπαυσιν μὴ ἔχοντι, ἄγαν ἀποτείναντα τὴν φωνὴν, σὺν τῇ φωνῇ καὶ τὴν ψυχὴν ἀφεῖναι, — οἱ δὲ ὅτι μετὰ τὴν τοῦ δράματος ἀνάγνωσιν, ὅτε νικῶν ἐκηρύχθη, χαρᾷ νικηθεὶς ἐξέλιπε*“, quorum verborum in extrema parte nonnisi publica recitatio vel editio dramatis dicta esse potest. In prima possemus de praelectione cogitare, quanquam nihil discriminis scriptor significavit; aut, quod vel potius credo, ita accipere, ut Sophocles *διδασκάλου* partes gesserit, et histriones instituere praelegendo voluerit.

[4]) cfr. Bentl. Opuscul. p. 258 seqq. Meineke Q. Sc. II, p. 6 et 9. Wolf. Prolegg. ad Hom. p. LXIX. Müller, Dorier II, p. 351, Naeke Choeril. p. 6. Grysar de Dor. comoed. p. 76.

[5]) Ita de Myllo proverbium natum est „*Μύλλος πάντ' ἀκούει.*“ Diogen. Prov. VI, 40; de Maesone Megarensi „*ἀντ' εὐεργεσίης Ἀγαμέμνονα δῆσαν Ἀχαιοί.*“ cfr. Mein. Q. Sc. II, 1. Neque aliter explicandos credo versus Susarionis servatos ap. schol. Dionys. Thracis p. 748, cfr. Bentl. Opusc. p. 260 seqq., quos suspicor ab alio quodam poëta

poëtae unamquamque comoediam posteaquam docta erat ediderunt; nominantur potius haud paucae et ex didascaliis cognoscuntur, quarum apud nullum scriptorem fit mentio. Quis enim unquam vidit fragmentum Eupolidis fabulae, quae *Νουμηνία*, fabulae Cratini, quae *Χειμαζόμενοι* inscribitur [6])? Contra commemorantur fabulae nunquam doctae, sed scriptae tantummodo et editae, quas posteriores multo minoris videntur aestimasse [7]); quanquam Aristoteles non necessariam esse actionem histrionum censet atque sufficere dramatum lectionem [8]).

Quodsi probata fuerunt carmina, sine omni mutatione esse edita videntur: quanquam pro arbitrio quivis agere poterat. Minore autem hominum plausu excepta mutata exhibebantur. De Anaxandride apud Athenaeum quae enarrantur, id perspicue docent „*Ὅτε γὰρ μὴ νικῴη*“ ait Athenaeus [9]) „*λαμβάνων ἔδωκεν εἰς τὸν λιβανωτὸν κατατεμεῖν καὶ οὐ μετεσκεύαζεν, ὥσπερ οἱ πολλοί, καὶ πολλὰ ἔχοντα κομψῶς τῶν δραμάτων ἠφάνιζε, δυσκολαίνων τοῖς θεαταῖς διὰ τὸ γῆρας· θαυμάζω οὖν πῶς καὶ ὁ Τηρεὺς παρεσώθη, μὴ τυχὼν νίκης καὶ ἄλλα δράματα τῶν ὁμοίων αὐτοῦ.*“ Inde discimus, doctas fabulas sine editione interiisse; ad servandas comoedias necessariam editionem fuisse. Duplex autem erat via; poëta poterat correctam fabulam iterum in certamen committere, poterat edere solum mutatam. Quare didascaliarum libris amissis saepe nos in maximas difficultates vocamur, instituta quaestione, utrum vere in scenam sint productae necne.

Sed priusquam pergamus, ipsa Athenaei de Anaxandridis fabulis dubitatio nos in aliam eamque gravissimam quaestionem

---

ex Susarionis sententia esse prolatos. Haud scio, an contra me possit Phocylidis consuetudo afferri, qui sententiis suis nomen praemittit, cfr. Dio Chrysost. Or. XXXVI, p. 440 (T. II, p. 79 Reisk.), Iacobs Anthol. Gr. VI, p. 195.

[6]) cfr. Didascal. Acharn. et Meinek. Q. Sc. I, p. 25 et p. 40.

[7]) cfr. Athen. VI, p. 270 a.

[8]) Arist. de arte poët. XII, 10. Andromeda lecta Bacchus ita incitatur, ut Euripidem ex inferis repetendi ceperit consilium, Arist. Ran. 52 seqq.; quae quidem fabula magnum apud antiquos nomen habuisse videtur, ex qua versus nonnullos in ultima coena Alexander recitavit, cfr. Athen. XII, 537 d.

[9]) cfr. Athen. p. IX, p. 374 b. Casaub. ap. Athen.

rapit. Incerti enim haeremus, quem tam infelicem successum putare debeamus, quo commoveri potuissent homines, ut suas fabulas aut emendarent, quod plerique fecerunt, aut comburerent et delerent, ut Anaxandrides. Athenaeus autem aperte ita loquitur, ut de primo solum praemio cogitasse putandus sit „καὶ οἶδα τὸ δρᾶμα τὸν Τηρέα αὐτοῦ μὴ κεκριμένον ἐν τοῖς πρώτοις, ἐκθήσομαι — ἃ εἴρηκε περὶ αὐτοῦ Χαμαιλέων“ cett. Contra Chamaeleontis verba ab eo allata ita sunt comparata (ὅτε γὰρ μὴ νικῴη), ut non necessario eum quoque de primo praemio cogitasse sequatur. Nam primum tenendum est, Chamaeleontem nihil de Tereo fabula pronuntiasse, sed de consuetudine solum locutum esse, qua Anaxandrides ob senilem morositatem multas fabulas deleverit. Ultima igitur verba „θαυμάζω οὖν πῶς ὁ Τηρεὺς παρεσώθη, μὴ τυχὼν νίκης“ sunt Athenaei, non Chamaeleontis [10]). Deinde vero νίκη, νικᾶν et similia non de primo solum, sed de secundo etiam dici solere praemio, ex multo scriptorum usu intelligimus. Ut pauca tantum rei proferam exempla, dum scholiasta ad Aristophanis Nubes 528 adnotat „οὐ γὰρ τότε ἐνίκησεν, ἐπεὶ δεύτερος ἐκρίθη ἐν τῷ δράματι“; argumenti scriptor ad Nubes „Κρατῖνος μὲν“ ait „ἐνίκα Πυτίνῃ, Ἀμειψίας δὲ Κόννῳ“, ad Equites „πρῶτος ἐνίκα.“ Sed accedit alia quoque caussa. Nam Aristophanes quum Nubibus doctis, ut didascaliae docent, tertium detulisset praemium, maxime offensus ac violatus altera Nubium editione reprehendere voluit, atque Vespis vere reprehendit spectatores [11]). Sed prima, quam docuerat fabula, Daetalensibus, secundus fuerat; neque tamen propterea iram ostendit, sed de favore potius spectantium quo illa excepta fuerit gloriatur. Ita enim loquitur [12]):

---

10) Patebit enim unicuique, Schweighaeuserum in errore versari, qui ea omnia ex Chamaeleontis libro esse excerpta putat. cfr. Vol. III, p. 382. Si ita pergere voluisset Chamaeleon, nonne ineptissime verbis adiectis „λέγεται δ' εἶναι τὸ γένος Ῥόδιος ἐκ Καμείρου“ materiam abruptam reliquisset et postea reversus esset?

11) cfr. Nubium et Vesparum parabases et annotationes scholiastarum.

12) Nubb. 528 seqq.

ἐξότου γὰρ ἐνθάδ' ὑπ' ἀνδρῶν, οἷς ἡδὺ καὶ λέγειν,
ὁ σώφρων τε χὠ καταπύγων ἄριστ' ἠκουσάτην —
ἐκ τούτου μοι πιστὰ παρ' ὑμῖν γνώμης ἔσθ' ὅρκια.

Quo ex exemplo, τριταῖα quidem minus honorifica fuisse, δευτεραῖα autem laudem auctori dramatis obtulisse, patet. Sed aliunde quoque idem cognoscimus. Ita Sophoclem, qui eius vitam scripsit, saepissime primum, interdum secundum, nunquam tertium praemium accepisse tradidit. Sed res magis perspicua fiet, si comparamus consuetudinem, quae in Olympicis ludis obtinuit. Binas enim scimus ibi citationes praeconias singulis ludorum diebus fuisse et ad indicationes coronarum binas [13]). Tamen praeterire non licet, maximi fuisse momenti, a quo quis victus superatusque fuerit. Vehementissime enim Aelianus [14]) Atheniensibus irascitur, quia Xenocli primum dederint praemium, Euripidique eum praetulerint.

Neque tanto opere offendissent Aristophanem Athenienses, si Cratino Cratinique similibus poëtis prima praemia concessissent, quanto Amipsia praelato eum violarunt. Quare sine dubio ad Amipsiam potissimum spectant illa Aristophanis,

„ὑπ' ἀνδρῶν φορτικῶν
ἡττηθεὶς οὐκ ἄξιος ὤν·“

ac verissima et aptissima est scholiastae annotatio, quam falso Meinekius, Meierus recte intellexerat „οὐ γὰρ Κρατίνου, ἀλλ' Ἀμειψίου δεύτερος ὤφθη“ [15]). Itaque censeo, nonnisi si neque secundum, neque tertium acceperant praemium, poëtas solitos fuisse sua carmina emendare; Anaxandridemque coniicio Tereo fabula secundum accepisse. Aves Aristophanis, quanquam δευτεραῖα detulit, est

---

13) Faber in Agonistico lib. I, cap. 30, p. 195. Baehr ad Plut. Alcib. p. 118; Schaeferus tamen, vol. I, p. 320, 24; IV, p. 373 in Alcibiade τρὶς retinuit ex Reiskii coniectura, quam Corayus suo iudicio probaverat.

14) Aelianus VV. HH. II, 7, qui nescio quem auctorem secutus, pro Euripide suo, philosopho scenico contra Athenienses pugnat, eosque non minus iniuste tractat, quam antea Aristophanem, quum pro Socrate in certamen descenderet II, 13.

15) Nubb. 524. 525. Meineke Q. Sc. I, p. 14. Meier in Ephemeridd. literarr. Halenss.

tamen nobis servata; neque quidquam de altera editione audimus.

Revertimur ad argumentum nobis propositum. Inter eos, qui tragoedias suas mutatas exhibuerunt, si aut infeliciter gestae erant, aut iuste a Comicis reprehensae, maxime splendet Euripides. Eius enim de Medea argumenti scriptor „τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι γενναιοφρόνως διασκευάσας, ὡς Δικαίαρχος“ cett. [16]). Curarumque eius secundarum vestigia quaedam repperisse sibi visus est Porsonus [17]). Ac profecto ea non sine magna veritatis specie dicta sunt: ita ut ea re non minus Euripidis, atque Aristophanis gloria augeatur [18]). Aliud quid de Hippolyto dicitur „ἔστι δὲ οὗτος ὁ Ἱππόλυτος δεύτερος, καὶ Στεφανίας προσαγορευόμενος. Ἐμφαίνεται δὲ ὕστερον γεγραμμένος· τὸ γὰρ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι.“ Nos igitur secundam accepimus editionem Hippolyti; amisimus autem primam, ex qua versus nonnullos ad aetatem nostram translatos cognovimus [19]). Habemus ita duo exempla, primum Medeae, quae non iterum in scenam producta, sed correctius tantum edita est, deinde Hippolyti, quae duplicem est in theatro recitationem experta. Quodsi igi-

---

16) „In voce γενναιοφρόνως latere puto ὁ Σικυώνιος Νεόφρων“ Beck. ad l. l. Quod argumenti scriptor Dicaearchum et Aristotelem auctores suae sententiae nominavit, haec coniectura admitti non potest. Accedit, quod γενναιοφρόνως aptissime est et pulcherrime a grammatico dictum.

17) Eurip. Medea v. 300 et 1314 (p. 48 ed. 115 ed. Lips.). Non diffiteor tamen, correctionem utriusque loci profectam fortasse esse a criticis sequiorum temporum, qui a Comici reprehensione poëtam liberare cupiebant. In v. 300 σοφὰ fortasse propter sequens σοφός mutarunt; et 1314 metaphoram abolere voluerunt. Quod si verum est, utrumque σοφά et λόγους erat in textu retinendum.

18) Quae supra ex argumenti scriptore excerpsi, sunt primo a Brunckio exhibita. Simul continent iudicia de Medea fabula. Talia autem coniectura non improbabili Lachmannus ad Aristophanem grammaticum referenda esse suspicatus est. Quare quid? si nos haec quoque ad eundem, tanquam primarium auctorem trahimus? Nomen Aristophanis est argumento paullo post scripto in nostris exemplaribus praemissum, cfr. Mus. Rhen. I, IV, p. 317. Reisig. Enarrat. Oed. Colon. p. XIII.

19) cfr. Valck. praefat. in Eurip. Hippolyt. p. XVIII seqq. (p. XX ed. Lips.) qui praeclare priorum erroribus refutatis, quomodo additamenta illa, Ἱππόλυτος καλυπτόμενος, et Στεφανίας, seu Στεφανηφόρος intelligenda sint, docuit. Adde Diatriben p. 148 b. (p. 154 ed. Lips.).

tur duae circumferebantur editiones eiusdem fabulae, ita notabantur, ut *πρῶτον* et *δεύτερον δρᾶμα* nominaretur; quod ipsum in Hippolyto factum esse videmus [20]. Eodem modo duplicem ediderat fabulam Eupolis, *Αὐτόλυκος* inscriptam, de qua Galenus praeclare exposuit [21].

Est tamen in his quoque cautio adhibenda. Interdum enim eodem titulo quidem, sed diverso argumento fabulae sunt exornatae, ut non de repetita editione eiusdem fabulae, sed de nova fabula, priori quoque modo adiuncta, cogitare debeamus. Ita Sophocles duos Oedipos protulit. Quarum quam priore aetate docuit, Regemque [22]) appellant grammatici, eam ne unum quidem versum alteri praereptum editioni continere ipsi animadvertimus. Quid quod Oedipum nobis prorsus tanquam alium hominem proponit ea fabula, quam quem ex Oedipo Coloneo cognoscimus [23]). Praeterea idem poëta duos fecit Philoctetas, quarum prior *ἐν Λήμνῳ* nobis heroëm versantem, posterior *ἐν Τροίᾳ* describit [24]). Quae quum sufficiant ad rem, quam suscepi, demonstrandam, alia quae afferre possem, praetermitto. Errantis duntaxat addo exemplum. Guilielmus Canterus Euripidem eadem ratione duos Hippolytos fecisse coniecerat, qua Sophocles duos Oedipos ac totidem Aiaces perfecisset; quae coniectura, merito a Valckenario reprehensa [25]), at exemplo quoque falso nititur [26]).

---

20) Illa nomina, quae in Hippolytum a grammaticis facta sunt, *καλυπτόμενος* et *Στεφανίας*, praeclare excogitata sunt, sed soli Hippolyto indita. Nobis secundae editionis rationem magis perspicuam reddunt. Fieri poterat, ut quae semel victa erat fabula, iterum vinceretur.

21) Galen. de salubri diaeta ap. Casaub. ad Athen. III, p. 110. Schweighaeus. II, p. 262.

22) Argum. scriptor „*χαριέντως δὲ Τύραννον ἅπαντες αὐτὸν ἐπέγραφον· εἰσὶ δὲ καὶ οἱ Πρότερον αὐτὸν, οὐ Τύραννον ἐπιγράφοντες διὰ τοὺς χρόνους τῶν διδασκαλιῶν καὶ διὰ τὰ πράγματα*“, cfr. Brunckii annotationem. Utramque fabulam ab eodem histrione actam esse, ex Arriano discimus apud Stobaeum S. XCVII, 28.

23) Lachmann. l. l. p. 315.

24) cfr. Fabric. Bibl. Gr. de Sophoclis tragoediis perditis.

25) Cant. Novar. Lection. l. VII, c. XXI, Valck. praef. in Hippolyt. p. XVIII (XX Lips.).

26) Spectant enim Aiaces ad diversos viros, cfr. Argum. ad Aiacem nobis servatum.

Postremo loco monendum esse puto, eas quoque fabulas iterum esse ab Atheniensibus auditas, quae quo tempore primum erant confectae, ei soli conveniebant. Omnia enim Graecorum dramata sunt civibus destinata, qui non solum fictionem poëticam audire, sed etiam bona pro civitatis salute consilia accipere consueverunt; ac propterea magnam rerum praesentium curam gerunt. Quae quum posteriore tempore non semper apta sint et idonea: tamen, ut dixi, ab Atheniensibus iterum iterumque lubenter exaudiuntur. Sophoclis fabula, de qua modo diximus, Oedipus Coloneus dicta, nata erat initio Peloponnesiaci belli; quod contra antiquorum recentiorumque commenta primus vidit Reisigius, quodque nuper eleganti disputatione, quae nescio quid Schleiermacheriani ingenii spirare visa est, Lachmannus non probavit solum, sed etiam extra omnem disputationem posuit [27]). Neque affirmare dubito, ea ipsa aetate eam editam esse [28]). Longe alio autem tempore, quo quae

---

[27]) cfr. Reisig. Enarrat. Oed. Colonei p. V seqq. Lachmannus in Museo Rhenano I, IV, p. 313—335. „Ergo igitur ipso initio belli Peloponnesiaci est facta tragoedia" ait Reisigius p. XI et inter primum et secundum eius belli annum, id est Olymp. LXXXVII, 2—3 fabulae meditationem collocat. Lachmannus ad Pythodorum refert archontem, quo anno Euripidis Medea docta est. De anno quae verior sit sententia, explicare longum est et difficile. Ignoscat Lachmannus, V. D., quod praeceptoris dilectissimi sententiae etiamnum me adhaerere, caussis non allatis, profiteri audeo. Id unum nunc moneo, quia paucis absolvitur. Secundus Sophocles esset iudicatus, si probanda foret sententia Lachmanni; victus ab Euphorione, Euripidis victor. Ac pro ecto Medeam non debere cum Oedipo Coloneo comparari; Euphorionemque Aeschyli fabulam praestantissimam docere potuisse apparet. Tanta autem est fabulae praestantia, tantus virtutum splendor, tanta rerum copia, quae Athenienses in admirationem poëtae summumque favorem rapere debebat, ut vix ac ne vix quidem mihi persuadeam, Sophoclem ab ullo homine Atheniensium iudiciis victoria privatum esse. Accedit quod scholiastae, qui iniustitiae propter Oedipum regem a Xenocle victum eius cives accusant, huius in fabulae argumento, cuius excellentiam bene noverunt, prorsus taceant. Cfr. praeterea quae Suevernius et Boeckhius, a Lachmanno p. 313 laudati, de eadem re disputarunt, quibus addendus est Hermannus praef. ad Oed. Colon. p. IX.

[28]) Cum Lachmanno l. l. p. 334. Nam quae nonnullis imposuit, nota didascalica aperte non est addita, ut doceretur, quo anno docta sit fabula, sed quando mortuus Sophocles. Qui enim in didascaliis reperiebat, Oedipum Coloneum esse archonte Micone (Ol. 94, 2) do-

praesagiverat Sophocles diu irrita facta erant, eam fabulam iterum doctam esse accepimus. Quae qui contemplatur, eos admirabitur, quod eam iterum audire fabulam non dubitabant, qua culpae suae errorumque, quibus solis pristina commoda amissa erant, sensus quam maxime excitabatur [29]).

XXVIII.

Revertentibus nobis ad Aristophanem primo loco ea est attingenda quaestio, utrum omnes poëta doctas fabulas ediderit posteritatique servandas curaverit, necne. Cuius rei quum apud veteres nulla fiat mentio, nos disputationis fundamento destituti caute versari oportet. Extat tamen, ex quo coniicias, cunctas vere esse a poëta editas. Primum enim tenendum est, primam eam, quam Callistrati nomine commiserat; primamque, quam suo nomine agi iusserat; et ultimam, quam suo nomine docuit, edidisse; quibus ex indiciis sequi videtur, vel, ut verius dicam, verisimillimum esse, nullam esse a poëta non vulgatam servatamque. Deinde ipsa poëtae indoles idem docet, quem sine dubitatione nunquam comoediam commisisse affirmamus, quam non ita elaboraverat, ut perfecta esset et digna, quae posteritati traderetur. Accedit, quod fabulam ab eo editam cognovimus, quae male ab Atheniensibus audita, tertium demum ei locum conciliaverat. Quare quae caussa praeterea eum movere potuerit, ut scripta sua deleret, non habemus dicere.

Quae si vere disputata sunt, universe numerus comoediarum cum earum numero, quas posteriores possidebant, conveniet. Sed quoniam libraria mercatura Ptolemaeis demum et Attalis regnantibus efflorescere coepit [30]), et antea singuli tantummodo libris describendis operam dabant, descriptosque con-

---

ctam a *Sophocle*, poterat in errorem abduci, eratque monendus, Sophoclem non patrem fabulam docuisse, sed filium.

[29]) cfr. Lachmann. l. l. p. 334 cum argumento primum a Frider. Thierschio edito, dein ab Elmsleio e membranis Laurentianis descripto.

[30]) cfr. Boeckh. de trag. Gr. princip. cap. I, p. 12.

quirebant [31]): fieri potuit, ut singulae comoediae ad Ptolemaeos Attalosque non perferrentur. Deinde interdum eandem fabulam propter praestantiam bis esse commissam, traditum est. Atque aliae huius generis caussae plures cogitari possunt, quibus ea inter numeros editarum fabularum et didascaliarum convenientia impediebatur. His igitur de caussis illos grammaticorum numeros contemplantibus primum est quaerendum, utrum quot docuerit, an quot posteritati editione tradiderit, significent. Neque tamen dubium est, quin editas grammatici numeraverint. Quorsum enim quattuor Archippo tribui adnotassent, nisi editas solas spectassent [32])? Alia eiusdem rei signa taceo.

Iam quia nullus nominum comoediarum index ad nos pervenit, singula colligere sumus coacti nomina, apud grammaticos laudata: iisque collectis de numero comoediarum iudicare facile poterimus. Ea autem collectio difficultatibus quibusdam obsita est, quas necessario fugiendas is tantum evitabit, qui praeiudicata opinione non seductus, grammaticorum testimonia ponderat. Quare imprimis hanc legem nobis scribimus, ut indagandis scholiastarum erroribus, qui negligenter saepe in fabularum poëtarumque nominibus indicandis versati sunt, summam impendamus operam; simul autem, ut ne quid contra eos, ubi praeterea nullum adest erroris testimonium, nisi quod tradunt aliquid novi et inauditi, statuamus. Nam ut Dindorfii utar verbis [33]), id unum efficere volumus „ut ne eae in posterum Aristophani fabulae tribuantur, quae, etiamsi nihil usquam de numero scriptorum ab eo dramatum proditum esset, alienae ab eo iudicandae forent.“

---

[31]) Exemplis ab aliis allatis Euthydemi addi potest, quem Xenophon tradit, ut sapientiam sine doctore sibi conciliaret, veterum poëtarum sophistarumque libros magna cupiditate collegisse, cfr. Memorab. IV, 2.

[32]) Videndus anon. de Aristoph. vita extr. Magna in numeris diversitas si de fabulis Aeschyli, Euripidis, Sophoclis, aliorumque sermo instituitur, me iudice inde nata est, quod alii doctas, alii editas numerarunt. Ita de Euripidis fabulis Suidas „δράματα δὲ αὐτοῦ κατὰ μέν τινας οέ· κατὰ δὲ ἄλλους ἐνενήκοντα δύο, σώζονται δὲ οζ.“ cfr. Valck. Diatr. p. X (XII Lips.).

[33]) Dindorf. de Arist. fragm. p. 10 seq.

Undecim nobis supersunt Aristophanis dramata, quae numero a grammaticis dicto comprehenduntur. Horum in ordine quinque sunt comoediae, quarum nomina aliis quoque aut re vera indita sunt, aut a nonnullis indita creduntur esse; loquor de Nubibus, Pace, Thesmophoriazusis, Ranis et Pluto; de quibus singulis deinceps agam.

De Ranis fabula haec tradit scriptor argumenti „οὕτω δὲ ἐθαυμάσθη τὸ δρᾶμα διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παράβασιν, ὥστε καὶ ἀνεδιδάχθη, ὥς φησι Δικαίαρχος“, quae ut re ipsa confirmantur, quia ex antiquissimis temporibus ad nostram usque aetatem de illius fabulae praestantia una est omnium consentiens vox; ita Dicaearchi auctoritate, viri in historia eximii et Aristotele praeceptore dignissimi, maxime commendantur. Eadem igitur laus, cuius Aeschylus, Sophocles, et Euripides participes facti celebrantur, Aristophani quoque est oblata a civibus suis. Admiratione dramatis ducti, repeti illud iusserunt et iterum in scenam committi. Qua ex re, nullam esse admissam mutationem, nedum correctionem, recte colligitur. Id adeo prorsus est incognitum, utrum eius repetitionem paullo post aequales poposcerint, an posteriores potius secundam in theatro editionem optarint. Ranae igitur semel tantummodo in comoediarum numerum recipientur[34]).

Difficilior est de secunda Pacis editione quaestio[35]); ad quam solvendam iterum argumenti scriptoris auctoritate nitimur. Is enim hoc modo loquitur „φέρεται ἐν ταῖς διδασκαλίαις καὶ ἑτέραν δεδιδαχὼς Εἰρήνην ὁμοίως ὁ Ἀριστοφάνης. ἄδηλον οὖν φησιν Ἐρατοσθένης, πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν, ἢ ἑτέραν καθῆκεν, ἥτις οὐ σώζεται. Κράτης μέν τοι δύο οἶδε δράματα γράφων οὕτως· „ἀλλ’ οὖν γε ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν, ἢ Βαβυλωνίοις, ἢ ἐν τῇ ἑτέρᾳ Εἰρήνῃ“ καὶ σποράδην δέ τινα ποιήματα παρατίθεται, ἅπερ ἐν τῇ νῦν φερομένῃ οὐκ ἔστιν“. Apertum est, Eratosthe-

[34]) Dindorf. ib. p. 23 seqq., qui eodem modo iudicat „alteram Ranarum editionem, quippe ab priore non diversam, ex indice fabularum exclusimus.“

[35]) cfr. Dindorf. l. l. p. 12 seq., quem non satis caute de hac fabula locutum esse deprehendimus.

nis dubitationem ita ortam esse, ut antea diximus. Utrum comoedia in didascaliis notata edita esset et amissa: an non edita; utrum nova fuerit, au retractata tantummodo, incertus haerebat. At male sit argumenti scriptori, quod suum nobis nomen reticuit et ut de dictorum fide et auctoritate iudicari nequeat, effecit. Adest tamen alia via, quae ad veritatem nos ducet. Ipsas, quas protulit, caussas contemplemur. Non mirandum est, quod Crates fabulam, quam Alexandrini non cognoverant, Pergami in Attalorum bibliotheca repperit. Doctum autem hominem ex illius scriptis haec enucleasse, eundemque antiquis annumerandum esse, facile perspicitur. Non minoris momenti altera caussa est, ex aliorum citationibus petita, qui versus in prima Pace non visas laudarunt; quanquam ex errore ea interdum nascuntur, ac nobis quidem, nisi locos ipsos inspicere licet, nihil certi affirmari poterit. Sed equidem Dindorfio, qui ubicunque apud posteriores grammaticos versus ex Pace laudatos reperit, qui in superstite fabula non leguntur, errores grammaticorum suspicatur, assentiri nolim. Quum enim argumenti scriptor, cui Dindorfius assentitur, singula fragmenta, quae in superstite fabula non legantur, reperiri confiteatur; etsi Pollux, Eustathius, Stobaeus nullum posterioris Pacis possidebant exemplar: poterant tamen, quod sexcenties factum esse omnes scimus, aliorum grammaticorum citata iterum excitare. Iam si singula adimus fragmenta, primum ea esse reiicienda et errore nata, recte iam Casaubonus vidit, quae in Athenaei Excerptis ex Pace laudantur, et Eustathius eodem modo prodidit[36]). Sed si alio loco Eustathius versum ex Pace Aristophanis laudat „*πόθεν τὸ φῖτυ; τί τὸ γένος; τίς ἡ σπορά;*“ ingeniosa quidem est Dindorfii coniectura, haec ex Pherecrate potius, quam ex Aristophane desumpta esse; veram tamen ac verisimilem equidem vix dixerim[37]). At vel multo magis meus ab Dindorfio dissidet animus, ubi ita indicavit. „Denique Pollux X, 188 *ἐν γοῦν τῇ Ἀριστοφάνους Εἰρήνῃ γέγραπται, τὴν δ' ἀσπίδα Ἐπίθημα τῷ*

---

36) cfr. Casaub. ad Athen. XIV, p. 653 f. (Schweigh. Animm. V. VII, p. 614.) Eustath. p. 1573, 20.

37) Eustath. p. 1291, 26.

φρέατι παράθες εὐθέως. Huic igitur soli Pacis alterius exemplum, ab Eratosthene frustra quaesitum, obtigisse credat qui potest", quae qui legit improbat ac philologo indigna censet[38]). Postremo ad Stobaei locum accedo; quem neque cur colore suo tam ab veteri comoedia alienum quam novae similem dicam, neque quo loco ex Aristophanis *Γεωργοῖς* excerptum Gaisfordius suspicatus sit, pro ingenii tenuitate doctrinaeque inopia intelligo[39]). Fragmenta disiungenda esse versus ipsi ostendunt. Quid igitur impedit, quo minus prius fragmentum ad posteriorem, posterius ad priorem Pacem referamus? Stobaei similes collectiones locorum similium antiquiore aetate extitisse, quibus Stobaeus usus est, maxime est verisimile. Ita Clementem Alexandrinum, et quorum ille libros excerpsit, quum furta Graecorum inquireret, tales potissimum ante oculos habuisse libros, iisque suos thesauros debere, puto. Nonne igitur facile, qui duobus diversis locis deinceps collocatis eiusdem fabulae nomen praemissum videbat, ea ita mutare poterat, ut id nomen ante secundum locum resecaret, et priori soli relinqueret. Sed ab ipsis tale vitium oriri potuit librariis. Quibus de caussis non solum secundae Pacis fragmenta suo loco inserere debuisse fragmentorum collectorem, sed etiam argumenti scriptorem non male contra Eratosthenem disputasse censeo. Praeterea Eratosthenes propterea est reprehendendus, quod non statim eam coniecturam fecit, aliam fabulam eodem modo nomine signatam ab Aristophane editam esse. Quoniam enim ex didascaliis vi-

---

38) Non negligendum est, librum Pollucis decimum magna esse cura elaboratum, cfr. Reisig in Mus. Rhen. II, III, p. 454. Ut Eratosthenis librum *σκευογραφικὸν* quaesivit, ita fortasse aliis quoque repertis usus, etiam maiora iis debebat. „Fuere vero de veteribus Grammaticis non pauci, qui in istiusmodi scripta commentarios ediderunt, ipsamve rem opera data illustrarunt," Hemsterh. ad Polluc. ab in. p. 1146.

39) Stobaei vol. II, p. 406 ed. Gaisf. Ibi nihil esse de *Γεωργοῖς* dictum, qui editionem Gaisfordii inspiciet videbit. Fortasse tamen alicubi hanc coniecturam Dindorfius repperit. Si inter se comparo locos ex Eustathio et Stobaeo cognitos, simile quid habere mihi videntur. Quaestiones enim continent simillimas „*πόθεν τὸ φῖτυ· τί τὸ γένος· τίς ἡ σπορά*"; et alter locus „*σοὶ δ' ὄνομα δὴ τί ἐστιν; ὅ,τι; Γεωργία*". Ceterum Pax nobis servata similibus est exornata diis. Ab ingenio Aristophanis dicta minime abhorrere, in sequentibus ostendetur.

debat, secundo praemio ornatam fuisse fabulam: neque correctam iterum in theatro in certamen committere, neque eo modo, quo Ranas bis docuit, repetere poterat. At in his quoque Dindorfius erravit, qui rerum discriminibus non observatis, priorem Pacem multis locis correctam in scena iteratam censuit. Lege modo Pacem nobis servatam, atque eam fabulam facile corrigi alioque tempore tanquam novam repeti potuisse negabis. Quare quum sumere cogamur, Aristophanem eodem nomine docuisse prorsus aliam fabulam: eamque in grammaticorum notitiam venisse videamus: illi numero eam esse comprehendendam, arbitror.

Accedimus ad Thesmophoriazusas secundas[40]); quas eodem modo, quo Pacem comparatas fuisse, clarissime ostendi potest. Nam primum amissae editionis secundae multa supersunt fragmenta, quibus comparatis ne unum quidem vel minimum similitudinis insit vestigium. Accedit Athenaei[41]) testimonium, quo Petitus et Dindorfius recte usi sunt. Is enim tradit „ὅτι Ἀριστοφάνους τὰς δευτέρας Θεσμοφοριαζούσας Δημήτριος ὁ Τροιζήνιος Θεσμοφοριασάσας ἐπιγράφει". Quibus nunc adiiciendo est scholiastae Ravennatis ad nostras Thesmophoriazusas auctoritas[42]), qui ad v. 299 animadvertit „δαίμων περὶ τὴν Δήμητραν· ἣν προλογίζουσαν ἐν ταῖς ἑτέραις Θεσμοφοριαζούσαις ἐποίησεν", quibus ex verbis totam fabulam novam fuisse perspicitur. Petitus igitur[43]), infelici successu primam fabulam actam esse suspicatus, ut solet, infelicem coniecturam protulit. Quare hanc quoque fabulam reliquis adnumerabimus.

Progredimur ad quartam fabularum, quas supra attigimus, ad Nubes, quae in novas nos fert easque subdifficiles quaestiones, quas tamen nunc et hoc loco attingimus potius quam absolvimus[44]). Pendet autem nostra disputatio tota ab Erato-

---

40) Dindorf. de fr. p. 11.

41) Athen. I, p. 29 a.

42) Dindorf. de fr. p. 139 (fr. 300).

43) Petit. Miscell. I, cap. 13.

44) Ea quaestio inter multos agitata est, nominatim a Kustero, Spanhemio, Brunckio, Hermanno, omnibusque reliquis Nubium editoribus tractata;

sthenis sententia, quae ex scholio ad Nubium versum 552 cognoscitur, quo nescio quis grammaticorum ita loquitur: „Ἐρατοσθένης δέ φησι *Καλλίμαχον* ἐγκαλεῖν ταῖς διδασκαλίαις, ὅτι φέρουσιν ὕστερον τρίτῳ ἔτει τὸν *Μαρικᾶν* τῶν *Νεφελῶν*, σαφῶς ἐνταῦθα εἰρημένου, ὅτι πρότερον καθεῖται. λανθάνει δ' αὐτὸν, φησὶν, ὅτι ἐν μὲν ταῖς διδαχθείσαις οὐδὲν τοιοῦτον εἴρηκεν, ἐν δὲ ταῖς ὕστερον διασκευασθείσαις εἰ λέγεται, οὐδὲν ἄτοπον· αἱ διδασκαλίαι δὲ δῆλον, ὅτι τὰς διδαχθείσας φέρουσι. πῶς δ' οὐ συνεῖδεν ὅτι καὶ ἐν τῷ *Μαρικᾷ* προτετελεύτηκε *Κλέων*, ἐν δὲ ταῖς *Νεφέλαις* λέγεται „εἰς τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν τὸν βυρσοδέψην." " Equidem si quid video, aperte ex his verbis perspicitur, Callimachum unam solummodo Nubium editionem cognovisse. Quo enim alio modo didascalias reprehendere potuisset? Reprehendebat autem didascalias Callimachus non propter annum, quo Nubes doctas esse dixerint, sed quo Eupolidis Maricam collocaverint. Eam igitur quam nos possidemus Nubium editionem tribus ante Maricam annis doctam esse ratus, Maricam non cum didascaliis post Nubes collocare voluit, sed contra eas antea doctas esse censuit. Iam quid contra Callimachum Eratosthenes statuit? Num duplicem extare Nubium eamque diversam editionem dixit? Minime. Non dicit „λανθάνει δ' αὐτὸν, ὅτι διτταὶ φέρονται *Νεφέλαι*· ἐν μὲν ταῖς προτέραις οὐδὲν τοιοῦτον λέγεται· ἐν δὲ ταῖς δευτέραις" cett.; sed eum discrimen ignorare statuit, quod intersit inter τὰς διδαχθείσας et τὰς ὕστερον διασκευασθείσας fabulas. Quamobrem uti Callimachus unam solummodo Nubium editionem cognoverat, ita Eratosthenes quoque priores Nubes et posteriores non habuisse censendus est, sed quia sciebat, fabulas infelici successu doctas non eodem modo esse editas, sed correctas et emendatas, didascaliarum libris adiutus, parabasin postea esse additam recte coniecit. Hinc primum iudicare licet de scholiastae temeritate, qui quintum quod est apud Imm. Bekkerum argumentum scripsit [45]). Is enim ita incipit „*Αἱ πρῶται Νεφέλαι* ἐν

---

nuperrime a Guil. Dindorfio in fragm. Aristoph. p. 15—23. Maxime doleo, quod nondum legere potuit Esseri commentationem „de prima et altera, quae fertur, Nubium editione."

45) Arist. Bekk. p. 110. Dindorf. p. 132, 30.

ἔστει ἐδιδάχθησαν ἐπὶ ἄρχοντος Ἰσάρχου", ac deinde ita pergit „αἱ δὲ δεύτεραι Νεφέλαι ἐπὶ Ἀμεινίου ἄρχοντος." Notam ille didascalicam, quam a veteribus grammaticis acceperat, suo additamento polluit. Quum enim ultima verba prorsus falsa sint ac reprehendenda; id quoque quod αἱ πρῶται Νεφέλαι scripsit, eidem tribuemus et apud veteres simpliciter αἱ Νεφέλαι dictum fuisse, merito suspicabimur. Vitii autem origo facile detegi potest. Latet enim, ut saepe factum esse vidimus, in falsa versuum fabulae Aristophaneae interpretatione. Nam antiquo scholio ad v. 31 scripto de Amynia „καὶ οὗτος τῶν ὑπὲρ ἵππους πταισάντων· μέμνηται δὲ αὐτοῦ καὶ ἐν ταῖς Σφηξί" homo ineptissimus pessimum adiecit de lege quadam comicis poëtis scripta commentum[46]). Iocos igitur facetiasque in Aristophane venatus, in foedissimas ineptias incidit. Ceterum affirmare non dubito, eundem utramque annotationem scripsisse hominem[47]). Argumenti scriptor enim alio quoque documento ingenii aciem suam nobis prodidit, perverse locutus „ἀναδιδάξας τὰς δευτέρας" pro „διδάξας τὰς δευτέρας" aut simpliciter „ἀναδιδάξας". Scholiasta autem sera certe se aetate natum esse demonstrat, dum pro Ἀμεινίας scribit Ἀμινίας et υ loco ι positum esse autumat.

Sed tam paucis verbis dictis munere suscepto defungi non possumus. Nam ex quo Aldus Manutius argumenta ad Nubes scripta edidit, usque ad nostram aetatem a Kustero, Beckio, Dindorfio, aliisque ita sunt edita, ut alia multa verba adderentur, quae quoniam omnium sunt gravissima, exscribimus „τοῦτο δὲ ταὐτό ἐστι τῷ προτέρῳ· διεσκεύασται δὲ ἐπὶ μέρους, ὡς ἂν δὴ ἀναδιδάξαι μὲν αὐτὸ, τοῦ ποιητοῦ προθυμηθέντος, οὐκέτι δὲ τοῦτο δι' ἥν ποτε αἰτίαν ποιήσαντος. καθόλου μὲν οὖν σχεδὸν παρὰ πᾶν μέρος γεγενημένη διόρθωσις· τὰ μὲν γὰρ περιῄρηται, τὰ δὲ πέπλεκται, καὶ ἐν τῇ τάξει, καὶ ἐν

---

46) Verisimile mihi videtur esse, eundem esse hunc scholiastam, qui aliis quoque legibus fingendis operam dedit, de quibus antea dictum est.

47) Dindorf. (p. 16) praeterea aliam caussam profert „Vespas cum altera Nubium editione confusas esse", quam non probo. Error cohaerere potius cum eorum opinione videtur, qui Cleonis mortem Aminia, non Alcaeo archonte ponebant, cf. Herm. ad schol. Nubb. 545, p. 355 seqq.

τῇ τῶν προσώπων διαλλαγῇ μετεσχημάτισται· ἃ δὲ ὁλοσχερῆ τῆς διασκευῆς τοιαῦτα ὄντα τετύχηκεν, αὐτίκα ἡ παράβασις τοῦ χοροῦ ἤμειπται, καὶ ὅπου ὁ δίκαιος λόγος πρὸς τὸν ἄδικον λαλεῖ, καὶ τελευταῖον ὅπου καίεται ἡ διατριβὴ Σωκράτους." Quae quum simul cum verbis supra allatis Kusterus legisset, ne ἀντιλογίας reum faceret anonymum, ad interpretationem non ferendam delapsus est [48]). Quam ob caussam Beckius, Hermannum secutus [49]), coniunctas esse excerptas variorum grammaticorum observationes et haec τοῦτο δὲ ταὐτὸ etc. alius esse quam superiora censuit. Ac nuperrime Bekkerus, repertis in Veneto codice argumentis, ea vere seiunxit. Sed quum prima verba apertissime doceant, haec omnia aliis superius dictis adhaesisse; videtur necessarium fuisse Bekkero, locum indicare, cui ea verba coniungi possent. Exempla autem iam satis multa, credo, vidimus, quam temerario modo recentiores scholiastae in veterum adnotationibus in suum adhibendis usum versari soleant. Quare licet sibi ipsi quam maxime contradicat grammaticus: tamen ea coniunxisse putandus est; ita ut nostrum demum sit officium, quae perverse ille coniunxit, ea disiungendi iterum; ac quae disiunxit, coniungendi. Equidem ut dicam quod sentio, non quo magni quid et eximii subodoratus mihi videar, sed ut nihil nisi suspicionem tradere voluisse credar, ita locum restituere audeo: τὸ δὲ δρᾶμα τοῦτο τῆς ὅλης ποιήσεως κάλλιστον εἶναί φησι καὶ τεχνικώτατον. ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἰσάρχου ἄρχοντος ἐν ἄστει· καὶ τρίτος ἦν. πρῶτος Κρατῖνος Πυτίνῃ· δεύτερος Ἀμειψίας Κόννῳ. διόπερ Ἀριστοφάνης διαῤῥιφεὶς παραλόγως, ᾠήθη δεῖν ἀναδιδάξας καταμέμφεσθαι τὸ θέατρον· τοῦτο δὲ ταὐτό ἐστι cett. Aut, quod mihi etiam magis placet, ut „ἐδιδάχθη — Κόννῳ — θέατρον" primum occupent locum; secundum „τὸ δὲ δρᾶμα — τεχνικώτατον"; tertium τοῦτο etc.

Contemplantibus nobis primum quae argumenti scriptor protulit, qui eorum auctor est, duas Nubium editiones inspexisse ipse, atque inde utriusque diversitates enotasse videri

---

48) cfr. Commentt. ad Nubb. ed. Beck. p. 18.
49) Hermann. praef. ad Nubb. p. XXI. Beck. l. l.

potest[50]. At si accuratius singula perscrutamur, ea opinio mox evanescit. Quod priusquam ostendere studeamus, secundus adeundus est testis, quem qui pro duabus Nubium editionibus pugnant, afferre solent. Athenaeus enim, quem merito Dindorfius, ut Eratosthenem, virum in veteris comoediae historia eximie versatum appellat, quia multa ab Eratosthene aliisque accepit nobisque bene servavit, Athenaeus igitur Nubium fabulae pluries mentionem iniecit, sexies ita ut simpliciter diceret *Νεφέλαις*[51]), semel ut adderet *προτέραις Νεφέλαις*[52]), bis ut *Νεφέλαις δευτέραις* scriberet[53]), semel, ut nomen auctoris fabulaeque inscriptionem omitteret[54]). Iam primum maxime est memorabile haec omnia in nostra Nubium editione reperiri. Dein imprimis et Athenaei editores et Nubium illud vexavit, quod *πρότεραι* et *δεύτεραι* nuncupantur Nubes; quare in diversissimas partes singuli abierunt. Plurimi autem Athenaeum duplicem in manibus versasse Nubium editionem crediderunt[55]). Brunckium quidem, qui archonte Aminia, Pronapi filio, Nubes emendatas iterum doctas esse credidit, Athenaei libros corrigentem audire non possumus, quanquam Hermannus suo iudicio correctionem probavit[56]). Dindorfium autem, neque mutationem in Athenaei libris admittentem, neque memoriae lapsum agnoscentem, vere iudicasse credimus[57]); neque tamen viam, quam ille iniit, non vehementer reformidamus. Is enim eventu longe infeliciori ita argutatur: „Qui non cogitasse videntur Athenaeum fortasse nihil aliud significare voluisse quam se, quum illa scriberet, priorum Nubium exemplar versasse, alterarum non inspexisse: quemadmodum“ etc. Talia credat, qui potest. Nos omnia aptissime esse in Athenaei libris scripta censemus. Etenim solis luce clarius apparet, Athenaeum non im-

[50]) Herm. praef. ad Nubb. p. XXIV.
[51]) Athen. II, 64 f. III, 94 f. IX, 374 c. 387 a. XI, 467 b. 497 c.
[52]) Id. IV, 171 c.
[53]) Id. VII, 299 b. VIII, 345 f.
[54]) Id. V, 188 c.
[55]) cfr. Schweighaeus. Ind. Auct. in Athen. IX, p. 56.
[56]) Herm. praef. ad Nubb. p. XXIV.
[57]) Dindorf. Aristoph. fragm. p. 17.

prudenter illum in citandis Nubibus prioribus et posterioribus esse versatum, atque illam ipsam sententiam, quam supra ex anonymo scriptore cognovimus, apprime esse secutum. Omnia enim, quae ex Nubibus, nullo verbo addito, citantur, ex priore sunt parte Nubium desumpta; ita ut ea ad utramque editionem pertinuisse censeam [58]). Eademque est eius loci ratio, qui ex primis Nubibus citatur. Nam quod credere posses, eos versus esse in secundis Nubibus abiectos, id falsum esse ipsa διασκευή, quam manibus tenemus, ostendit. Nihil aliud igitur Athenaeus indicavit, nisi in ea comoediae parte, quae ex priore editione desumpta erat, eos versus legi. At miraris, qua tandem de caussa Athenaeus sexies nihil addiderit, semel priores Nubes commemorarit? Non erit difficile, eam dubitationem solvere. Athenaeus enim consuetudine praeclara maximeque laudanda, neque tamen ita, ut fieri poterat, in philologorum usum conversa, saepe ita diversos Comicorum locos citavit, ut quae fabulae prius doctae erant, eas priore loco poneret [59]). Id igitur hoc quoque loco fecit. Nam quum usum Graecorum vocabuli χρονίνθης explicare cupiat, antequam de Pherecratis fabula, Ἄγριοι inscripta, loquatur, quam eadem qua Vespas Aristophanes Olympiade docuit, nominat Nubes fabulam, eamque simul partem sese significare disertis verbis addit, quae vere docta sit ante Vespas et Agrestes [60]). Quod quidem verissime disputatum esse, quum nemo negare possit, multo facilius apparebit, quid de secundarum Nubium commemoratione censendum sit. Quum enim anonymus dixerit, fere totam mutatam esse parabasin, eamque sola correcta in fabula reperiri, versum ex parabasi petitum Athenaeus tanquam ex secundis Nubibus citavit. Ac postea idem anonymus affirmavit, quae δίκαιος et ἄδικος λόγος

---

[58]) cfr. v. 339, 455, 122 ceterosque a Casaubono citatos versus.

[59]) Eam citandi rationem tenere Athenaeus non potuisset, nisi didascaliarum libris usus esset. Eos igitur ad Athenaeum usque servatos fuisse, inde discimus. Quodsi semper ita locutus esset, facile nunc, locis inter se comparatis, fabularum tempora erui possent. Non dubito tamen, quin si quis locos propter parasitarum nomina indicatos accurate legit, multa inde in mediae comoediae historia accurate constituat.

[60]) cfr. Meinek. Q. Sc. II, 14.

colloquuntur, addita esse; Athenaeumque iterum videmus versum inde petitum eodem modo laudare. Sed quia utroque in loco nulla alia reperiri potest caussa, quae Athenaeum impulit, ut hanc in laudando teneret rationem, nunc ita censendum est, ubi quid in utraque editione extat, simpliciter Athenaeum Nubes in partes vocasse, nisi accurate tempora indicare voluit; si quid in secunda tantum reperiebatur, ibi semper id addidisse. Nunc demum, posteaquam ostendimus, Athenaeum totum ab anonymi iudicio pendere, ac simul anonymum illum antiquioribus grammaticis adscribendum, fideque et auctoritate dignum esse, ad eius verba redimus, eaque intelligere studemus.

Ante omnia quaerendum est, unde comperta habeat, quae memoriae tradidit; Nubiumne utraque editione inspecta diversitates indicarit, an eodem exemplari usus, ex ipsa correcta fabula, quae correcta sint, coniectura reppererit. Quod ut inveniamus, ipsum poëtam adire primum volumus. Eius igitur in fabula, quae ad historiam illius aetatis pertinent, ita sunt comparata, ut uno ea eodemque tempore scribi minime potuerint. Nam Cleonem primum, quum magnus esset, se vehementer aggressum; quum de vita decessisset, ne tetigisse quidem profitetur; eundemque paullo post tanquam vivum perstringit mordetque[61]. Quae quum in diversis parabasis partibus legantur, easdem illas diverso esse tempore conditas patebat. Simul tamen, ubi nova addita erant, antiqua, quorum locum illa obtinent, abiecta esse, facile ac verisimile coniicitur. Quodsi igitur accurate res historicas explanabant, id quidem ipsi poterant reperire, licet primae cuiusdam essent editionis expertes. Sed quid de nostro poëta dicamus, qui ita suam fabulam corrigit, ut intacta relinquat alia, alia mutet, et hac ratione comoediam efficit, sibi ipsi saepe contradicentem? Eum non iterum in scenam induxisse Nubes, certis testimoniis constat; quid? si ne voluisset quidem docere iterum? Alloquitur quidem spectatores suos; sed hoc potuit poëta, etiamsi scriberet tantummodo comoediam suam. Ac Reisigius quidem iam dudum do-

[61]) cfr. Nubb. 549 et 591.

cuit, poëtam sua ipsum gloria se privaturum fuisse, si comoediam, quam omnium pulcherrimam sese confecisse professus erat, mutatam exhibuisset[62]). Ita igitur argumenti scriptorem hoc uno quidem aperte lapsum esse vidimus, quod fabulam in scenam inducere poëtam voluisse, falsa verborum interpretatione deceptus, credidit. Quam tamen opinionem qui semel ceperat, ex Atheniensium more magnas commutationes factas esse, sumere fere coactus erat. Non sufficiente igitur parabasi alias quoque partes aut additas esse totas aut mutatas certe coniiciebat. Accedebat locus Aristophanis ipsius, qui idem ostendere videbatur[63]):

κἀγὼ μὲν τοιοῦτος ἀνὴρ ὢν ποιητὴς οὐ κομῶ,
οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ 'ξαπατᾶν δὶς καὶ τρὶς ταὔτ' εἰσάγων,
ἀλλ' ἀεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι,
οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας καὶ πάσας δεξιάς.

Quae quum legisset anonymus, per totam fabulam correctiones factas esse, uti in correctis fabulis animadverterat, suspicatus est: fortasse simul e variis scripturae generibus, quae in antiquis exemplaribus cernebantur, et quae ad ipsum scriptorem comoediae referebat, idem colligens. Dein alios locos mutatos quaerendo, in versus incidit pulcherrimos, quibus qualis sit comoediae suae sobrietas describit poëta 537—544:

ὡς δὲ σώφρων ἐστὶ φύσει, σκέψασθ'· ἥτις πρῶτα μὲν
οὐδὲν ἦλθε ῥαψαμένη σκύτινον καθειμένον —
οὐδ' εἰσῆξε δᾷδας ἔχουσ', οὐδ' ἰοὺ ἰοὺ βοᾷ,
ἀλλ' αὑτῇ καὶ τοῖς ἔπεσιν πιστεύουσ' ἐλήλυθεν.

Ea legendo mox intellexit, poëtam ludere multaque congessisse, quae vere in eius comoediis reperiantur. Ac quum ipsis hisce in Nubibus δᾷδας et ἰοὺ ἰοὺ legisset, et reliqua omnia non in prioribus sed posterioribus demum fabulis occurrere vidisset, nunc primum in secundis Nubibus ea admisisse poëtam sumebat; aliumque fuisse primarum Nubium exitum coniiciebat. Ut uno verbo dicam, ea omnia a primis Nubibus abfuisse, poëtam

62) Reisig. praef. ad Nubb. p. IV.
63) Ar. Nubb. 545—548.

ipsum testem credebat. Harum rerum omnium testes producere possum. Audiamus enim scholiastas. Ad Aristophanis versus, quibus ille se nihil δὶς καὶ τρὶς εἰσάγειν praedicavit, haec legimus dicta „καίτοι καὶ αὕτη δευτέρον εἰσήχθη, ἀλλ' ἴσως διαφόρως“, quae licet inepta sint, tamen meam sententiam stabiliunt. Ad versus antecedentes, quibus comoediae suae sobrietatem celebrat, haec adnotata sunt „ἰστέον δὲ ὅτι πάντα, ὅσα ἂν λέγῃ εἰς ἑαυτὸν τείνει· τοὺς μὲν γὰρ φάλητας εἰσήγαγεν ἐν τῇ Λυσιστράτῃ, τὸν δὲ κόρδακα ἐν τοῖς Σφηξὶ, τοὺς δὲ φαλακροὺς ἐν Εἰρήνῃ, τὸν δὲ πρεσβύτην ἐν Ὄρνισι, τὰς δὲ δᾷδας καὶ τὸ ἰοὺ ἰοὺ ἐν Νεφέλαις τὸ πρῶτον.“ Ea adnotatio, quanquam intellectu non difficilis, tamen in errores duxit ante Hermannum omnes interpretes, qui ultima verba credebant „in primis Nubibus“ significare [64]). Nihil autem aliud scriptor dicit, nisi faces primum in Nubibus esse adhibitas. Poterat addere ἐν Νεφέλαις δευτέραις τὸ πρῶτον; sed id omisit, sine dubio quoniam unam modo Nubium editionem manu tenebat, primae illius formam coniectura tantum assequebatur. His convenit alia adnotatio hominis, non tam certo omnia docentis, quam priorem locutum audivimus, sed nihilominus eandem sententiam asseculi „οὐκ ἔστι δῆλον, τίνι παρονειδίζει· ἀλλ' ἴσως ἑαυτῷ ἐπεὶ πεποίηκεν ἐν τῷ τέλει τοῦ δράματος καιομένην τὴν διατριβὴν Σωκράτους καί τινας τῶν φιλοσόφων λέγοντας ἰοὺ ἰοὺ, ἐν δὲ ταῖς πρώταις Νεφέλαις τοῦτο οὐ πεποίηκε, ποιήσει δὲ αὐτὸ μετὰ λόγου· οὗτοι δὲ ἀκαίρως.“ Infelicem Petiti emendationem iam dudum Hermannus merito explosit. Dicit igitur scholiasta, in Nubibus primis nihil eiusmodi esse admissum; in posterioribus quidem fabulis admissurum fuisse, sed apte et convenienter.

Restat tertia mutatio, qua totum fertur inter λόγον ἄδικον et δίκαιον institutum colloquium mutasse, cuius rei in scholiis frustra hucusque quaesivi vestigium. Tamen non despero. Constat enim inter omnes, Protagoram inter sophistas Graecos primum τὸν ἥττω καὶ κρείττω λόγον invenisse [65]). Aristophanes

---

[64]) Herm. praef. ad Nubb. p. XXV. qui multa ibi docte et prudenter exposuit.

[65]) Tennemann, Gesch. der Philos. I, p. 508 seq.

igitur, quum ἄδικον et δίκαιον λόγον certantes inter se proponeret, Protagorae disciplinam sibi ante oculos posuisse visus est. Iam quaeritur, qua aetate is primus Athenas venerit, et ab Aristophane irrideri potuerit. Qua in quaestione diiudicanda Athenaei iudicium erit gravissimum. Is autem docet, quoniam Amipsias in Conno in sophistarum choro Protagoram omisisset, Eupolis autem in Adulatoribus fabula eum in scenam produxisset, venisse Athenas sophistam inter Connum et Adulatores doctas [66]. Iam quid apertius esse potest, quam anonymum nostrum, eodem argumentandi genere usum, colloquium inter δίκαιον et ἄδικον λόγον habitum correctae, non doctae fabulae adscripsisse?

His expositis, nemini posse ullam amplius inhaerere dubitationem, omnesque me assentientes habiturum credo, si anonymum illum nullum possedisse primarum Nubium exemplar, sed omnia coniectura assecutum esse pronuntio. Utrum hoc vere fecerit, nec ne, nunc non potest explanari. Quodsi autem hunc nullum Nubium exemplar primarum habuisse evicimus: de reliquis qui idem censuerunt scholiastis et grammaticis, qui variis sunt caussis decepti et in errores coniecti, sermonem instituere longum est, et inutile.

Quae quum ita sint, duas Nubium editiones esse a veteribus grammaticis in comoediarum numerum receptas, equidem non credo; neque timeo, ne hoc iudicium meum in doctorum reprehensionem cadat.

Superest ultima fabula, quae eodem nomine edita esse dicitur, quod una earum tenet, quae nobis servatae sunt. Loquor de Pluto. Neque tamen dubium esse potest, quin eam fabulam, quam nobis servatam gaudemus, a priore prorsus diversam fuisse sumendum sit [67]. Tantum ipsi tempori, quo docta est, inhaeret, ut ab eo, nisi vi summa adhibita, separari nequeat. Quare duo Plutos numero grammaticorum comprehendi, censeo.

---

66) Athen. p. 227, a. seqq.
67) cfr. de Pluti editione duplici Franc. Ritter. Bonn. 1828.

XXIX.

Repertis quattuordecim fabulis, priusquam quas sine dubio iis annumerare debemus recenseam; de aliis disputabo, quas criticorum dubitationes sive merito sive immerito expertas esse scio. Ac primum quidem de Erechtheo dicetur, quam loco, quem diu tenuit, G. Dindorfius nuper pellere studuit [68]). Habemus quidem unum tantummodo, sed eum perquam idoneum et locupletem testem; grammaticum dico Aristophanem; cuius nomen quum inter grammaticos non minus, ac poëtae, cuius vitam scribimus, inter Comicos splendeat, criticorum conatus vehementer coërcet. Neque vero Dindorfius eius testimonium reiicere ausus esset certaque incertis vexasset coniecturis, si Aristophanis scripta possideremus. Sed grammatici magni libris amissis, quoniam ex Eustathii commentariis ad Odysseam explicandam scriptis [69]) eius testimonium cognoscimus; ea Dindorfio videbatur eius auctoritas esse, quam coniecturae subtilitate sua convellere liceret. Verum ne cui videar non sine ira et studio contra virum doctissimum pugnare, Eustathii verba apponam. „Ἰστέον δὲ“ ait „ὅτι ὁ παντελῶς ὀλίγας ἰχθὺς ἄπιχθυς ἐλέγετο παρὰ τοῖς παλαιοῖς, καὶ ἐδήλου τὸν μὴ ἐσθιόμενον. καὶ φέρουσιν ἐκεῖνοι χρῆσιν εἰς τοῦτο ἐκ τοῦ κωμικοῦ. Ἐν μέντοι τῷ Περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν τοῦ γραμματικοῦ Ἀριστοφάνους φέρεται ὅτι ἀπίχθυες κατά τινας οἱ μὴ ἐσθίοντες ἰχθῦς· καὶ φέρει ἐκεῖνος καὶ Ἀριστοφάνους χρῆσιν ἐξ Ἐρεχθέως ταύτην· τοὐνθένδεν ἀπίχθυς βαρβάρους οἰκεῖν δοκῶ· προάγει δὲ καὶ ἄλλας λέξεις“ cett. Quae si vere disputata sunt, quia Eustathius interdum nostro poëtae nomine utitur, interdum simpliciter eum „τὸν κωμικὸν“ appellat [70]); eodem vocabulo

---

[68]) Dind, Aristoph. fragm. p. 7 seq. et p. 201, fr. 480.

[69]) Eustath. ad Odyss. μ, 252; p. 1720, 24—27.

[70]) Tamen in his quoque cautio adhibenda est, quia Eustathius eo vocabulo, ὁ κωμικός, de aliis quoque poëtis usus est. Ita, ut ex eodem, de quo loquimur, libro exemplum prodam ad Od. μ, 89, p. 1715, 24. hoc modo loquitur „εἰσὶ δὲ οἳ τοὺς ἐμπροσθίους πόδας ἀώρους φασί, φέροντες καὶ χρῆσιν τοῦ κωμικοῦ εἰπόντος „οὐ τοὺς ἀώρους““ cett. In Lexx. Seguerr. p. 476, 14 seqq. ea non ad Aristophanem, sed ad Philemonem referuntur. Meinek. ad Phil. p. 415.

duplici notione usum esse Aristophanem discimus. Idque aliis a grammaticis confirmatur. Extat enim liber „συναγωγὴ λέξεων χρησίμων ἐκ διαφόρων σοφῶν τε καὶ ῥητόρων πολλῶν“ inscriptus, cuius primam eamque praestantissimam partem Imm. Bekkerus primum edidit, repetiitque nuper, reliquis additis partibus, Lud. Bachmannus[71]). In illo haec reperimus dicta „ἀπίχθυς· τοὺς μὴ ἐσθιομένους ἰχθῦς· Ἀριστοφάνης Ὥραις“ vel, ut in codice scriptum est, „ἀπιχθύς· τοὺς οὐκ ἐσθ.“ cett. [72]). Accedit Pollucis auctoritas [73]) ita locuti „καὶ ἀπόσιτος, ὁ ἀπεστραμμένος ἀπὸ σιτίων, ὡς ἄπιχθυς παρὰ Ἀριστοφάνει ὁ ἰχθύων ἄγευστος· οὗτος δὲ καὶ ἀσιτίαν ἀπαστίαν ὠνόμασεν.“ Quibus auditis et inter se comparatis, quicunque praeiudicata opinione non est impeditus, de testimoniorum constantia et firmitate valde gaudebit. Non ita G. Dindorfius. Is enim firma convellendi cupidus, Eustathium erroris, Pollucem negligentiae accusavit, coniecitque versum esse ex Euripidis Erechtheo desumptum. Quae quidem coniectura tanquam fundamento nititur similitudine, quam inter versum ab Eustathio ex Aristophane excitatum et Euripidis verba, apud Clementem Alexandrinum [74]) enotata, intercedere credit. Sunt autem haec:

ἐν ἀστρώτῳ πέδῳ
εὕδουσι, πηγαῖς δ' οὐχ ὑγραίνουσιν πόδας.

Equidem vereor, ne nimio quae sententiae semel animo inhaerenti adversari cernebat removendi studio seductus, nimis multa ex eo loco collegerit. Adest testis rei locuples. Erechthei, Atheniensium regis, historia ita comparata est, ut Comico satis amplam praebere potuerit risum excitandi materiam [75]). Quod Euripides tragicam fabulam Erechtheum condiderat, Aristophani

---

[71]) Bekk. Anecdd. I, 319—476. L. Bachm. Anecdd. I, 1—422; praef. p. VI.

[72]) Bekk. I, p. 425, 3. Bachm. p. 121, 13. Eustathius μὴ ἐσθιομένους, non οὐκ ἐσθ., quod praetulit Dindorf. ll. ll.

[73]) Poll. Onom. VI, 41. Cfr. Ar. Nubb. 621 „θεῶν ἀπαστίαν“ schol. „νηστείαν, ἀσιτίαν“ ap. Brunck. Id quum recte notaverit, eo minus erat negligentiae accusandus.

[74]) Clem. Strom. VI, 2, p. 739 ed. Potter.

[75]) cfr. Etym. Magn. p. 371, 29 seqq. ed. Sylb. s. v. Ἐρεχθεύς.

ridendi materiam auxit[76]). Fuisse Comicum, qui Erechtheum fabulam scripserit, testimonio lapidi inciso compertum habemus[77]). Neque praeterea est quidquam, quod nos impediat, quo minus talem fabulam ab Aristophane compositam esse credamus. Quamobrem cum Brunckio et Boeckhio[78]) Aristophani et Polluci obsequi, quam adversari cum Dindorfio malo, Erechtheumque in Aristophanearum fabularum numerum a grammaticis receptam esse duco.

Quoniam collectionis utilium verborum ab Imm. Bekkero, Bachmannoque ex Parisino codice editae mentionem inieci, ad Tereum fabulam, ab illius libri auctore solo commemoratam, transgredi iuvabit. Ibi enim haec dicta sunt[79]): *Ἁλμυρίδες: τόπος τις περὶ τὰς ἐσχατιὰς τῆς Ἀττικῆς. Ἀριστοφάνης Τηρεῖ·*

ἔδει δὲ γέ σε βληθεῖσαν εἰς Ἁλμυρίδας
— — τηδὶ μὴ παρέχειν σε πράγματα,

quae Dindorfio[80]) quidem nihil negotii faciunt. Nomen enim fabulae videtur ei incorruptum esse; fabulam autem non esse ab Aristophane scriptam liquere ait; sed cui sit tribuenda, quod Anaxandridem, Cantharum et Philetaerum hoc nomine fabulas edidisse Athenaeus prodiderit, in medio relinquit. Sed neque cur poëtae nomen corruptum, neque cur fabulae incorruptum dicat, nobis audiendi cupidissimis recludere voluit. Age igitur fabulae quoque nomen in dubitationem vocemus corruptelaeque adeo fontem indicare studeamus. In Etymologico Magno[81]) vocis *ἁλμυρός* de origine disputatur hoc modo „*ὥσπερ παρὰ τὸ τόλμη γίνεται τολμηρὸς καὶ ἄτη ἀτηρός· οὕτω καὶ παρὰ τὸ ἅλμη ἁλμηρὸς καὶ τροπῇ τοῦ η εἰς υ ἁλμυρός, ὡς τηρὸς τυρός.*“ Nonne verisimillimum est, lexici nostri auctorem sua

---

76) Ita Euripides et Aristophanes Phoenissas ediderunt; cfr. Valcken. ad Eurip. Phoenissas p. VI. Dind. Arist. fragm. p. 195 seqq.

77) Boeckh. Corp. Inscriptt. p. 353.

78) Brunck. in fragm. Aristoph. et Boeckh. l. l. Ita non necessaria erit Dindorfii mutatio, *τοὐνθένδ'* pro *τοὐνθένδεν* scribentis, ut tragoediae convenirent numeri.

79) Bekk. Anecdd. I, 383, 16. Bachm. p. 75, 7.

80) Dind. Arist. fragm. p. 9.

81) Etym. M. p. 69, 18.

ex libro excerpentem, in quo de vocis origine similia legebantur, in errorem incidisse et ex caseo fabulae nomen effecisse? Profecto nihil impedit, quo minus hoc lepido reperto nostro valde gloriemur, nisi quod iusta caussa dubitationis deest. Quae si adesset, sane non posset ineptum dici, si quis pro „Ἀριστοφάνης Τηρεῖ“ scribendum esse coniiceret „Φιλεταίρος Ἀριστοφάνους, Τηρεῖ“ aut cum Seidlero „Ἀρ. Γήρᾳ“ praeferret [82]).

Lexici scriptorem antiquioribus esse adnumerandum grammaticis, ex ipso habitu codicis, in quo servatus est, Montefalconio, Ruhnkenio, Villoisone, Bekkero iudicibus, colligitur [83]). Quaecunque autem ex Aristophanis fabulis tradidit, omnia sunt accurate et diligenter notata; quantum nobis iudicare licet, qui non omnes, quas ille noverat, fabulas inspicere possumus. Laudat enim Acharnenses quinquies [84]), Pacem bis [85]), Thesmophoriazusas nostras semel [86]), Equites bis [87]), Lysistratam bis [88]), Nubes bis [89]), Plutum bis [90]), Vespas ter [91]), Ranas semel [92]); versusque ab eo excitatos sine difficultate reperimus. Tamen, ne quid dissimulem, unus locus extat, in quo quae laudantur, frustra in superstite fabula quaesieris. Etenim quam brevissime notatur tanquam ex Nubibus petita forma verbi „ἀντιλογῆσαι“

---

[82]) Seidl. de fragm. Arist. p. 24 seq. „proclive quidem est, coniicere Γήρᾳ pro Τηρεῖ, sed nihil decernam.“ Ea coniectura scribendi consuetudine Γήραι, quam teste Bachmanno praef. p. X tenet codex, confirmari poterat.

[83]) Bekk. Anecdd. III, p. 1065. Bachm. praef. p. XI seq.

[84]) Acharnn. p. 394, 33. Bekk. (p. 19, 20 Bachm.) quae leguntur v. 309 seq.; p. 429, 10 (126, 4) v. 459; p. 459, 5 (159, 10) v. 181; p. 473, 29 (174, 24) v. 709; denique apud solum Bachmannum, qui alios locos indicavit, alios omisit, p. 393, 1, v. 74.

[85]) Pac. p. 358, 7 (46, 20) v. 1 apud solum Bachmannum 422, 8 v. 702.

[86]) Thesm. p. 451, 1 (150, 20) v. 244—245.

[87]) Equitt. p. 444, 24 (143, 16) v. 1094; p. 469, 32 (170, 20) v. 527.

[88]) Lysistr. p. 335, 12 (20, 5) v. 885 seq.; p. 333, 23 (75, 14) v. 403.

[89]) Nubb. p. 407, 23 (102, 2) ἀντιλογῆσαι; p. 449, 11 (148, 26) v. 821.

[90]) Plut. p. 351, 33 (39, 25) v. 673; p. 368, 5 (57, 25) v. 823.

[91]) Vespp. p. 439, 4 (137, 2) 330 seq.; p. 459, 15 (159, 22) v. 1299. 461, 22 (161, 31) v. 257.

[92]) ap. Bachmann. solum p. 369, 6 v. 522.

'Ἀριστοφάνης Νεφέλαις", quam nostris in exemplaribus nusquam legimus. Neque tamen vitium admissum, neque ad priores Nubes esse confugiendum censeo. Legitur enim in Nubibus hic versus 1040:

καὶ τοῖς νόμοις καὶ ταῖς δίκαις τἀναντί' ἀντιλέξαι,

in quo ut ab initio, ita in fine codices manuscripti diversas scripturas praebent, dum alii ἀντιλέγειν, alii ἀντιλέγων, alii ἀντιλέξας habent. Mihi vix dubitandum esse videtur, quin iam veteres scripturam ἀντιλογῆσαι habuerint, idque propter metricam difficultatem esse ab aliis mutatum in ἀντιλέξαι. Metrici enim in tetrametris catalecticis pedes catalecticam syllabam praecedentes anapaestum, nisi in proprio nomine, non admittere statuerunt[93]). Cetera omnia nihil difficultatis nobis excitant. Inter ea, quae ex fabulis amissis laudantur, pleraque apud alios quoque grammaticos et lexicographos leguntur. Ita locos ex Anagyro, Danaidibus, Lemniis, Tagenistis, Thesmophoriazusis Suidas servavit [94]), ex Phoenissis Athenaeus [95]), ex Holcadibus Photius aliique [96]), sed alia fragmenta sunt ab eo solo nobis servata, e Senectute, Daetalensibus, Thesmophoriazusis, Proagone et Telmessensibus[97]), e quibus colligendum esse statuimus, auctorem lexici esse antiquum et ex antiquis scriptoribus sua excerpisse.

His explicatis, quum fides et auctoritas huius lexici firmata sit et stabilita, non minus ei credere cogemur, ubi non nova solum ex fabulis, quas novimus, fragmenta, sed novas etiam nobis fabulas suppeditat. Neque id nos turbabit, quod inter-

93) cfr. Pors. ad Hecub. praef. p. XLII. ed. Lips.

94) cfr. Dind. fr. 149 (p. 94) fr. 250 (p. 123) fr. 255 (p. 125) fr. 328 (p. 150) fr. 417 (p. 178) fr. 308 (p. 142).

95) cfr. Dind. fr. 473 (p. 196).

96) cfr. Dind. fr. 360 (p. 160).

97) cfr. Dind. fragm. Arist. fr. 186 (p. 105) fr. 31 (p. 52) fr. 82 (p. 71) fr. 453 (p. 188). Leguntur quidem ea verba, quae e Telmessensibus notantur, alibi quoque, sed ex Aristophane et Telmessensibus ea esse petita, ex hoc solo scriptore discimus. Ceterum, nisi fallor, unum fragmentum ex Thesmophoriazusis secundis petitum Dindorfius praetermisit, cfr. p. 410, 16 „καὶ κατ' Ἀγάθων' ἀντίθετον ἐξευρημένον", quod iam dudum Ritschelius mihi indicavit.

dum scripturae vitia in codice illo occurrunt, ut scriptum est pro ἐν Ἀχαρνεῦσιν, ἐγχαρνεῦσιν, pro Σφηξί, aut Σφιξί aut Σφιγξί et alibi alia [98]). Nam quia alibi vitia occurrunt, num propterea ubivis ea suspicari iustum est? Hactenus universe de scriptore, qui novam nobis ostendit fabulam, disputavimus. Restat, ut rem ipsam aggrediamur, et videamus, utrum in ea sit, quod Aristophani denegare Terea fabulam cogat. Similes locutiones apud Aristophanem reperiuntur; in Equitibus, v. 1362:

ἄρας μετέωρον ἐς τὸ βάραθρον ἐμβαλῶ
ἐκ τοῦ λάρυγγος ἐκκρεμάσας Ὑπέρβολον,

et in Nubibus 1448 seqq.

ἢν ταυτὶ ποιῇς,
οὐδέν σε κωλύσει σεαυ-
τὸν ἐμβαλεῖν ἐς τὸ βάραθρον,

aliisque in versibus [99]). Ne tamen credas, eam ipsam ob caussam quod toties de barathro sermo sit apud Aristophanem, non concedi posse aliam loquendi rationem poëtae: diversitatem quandam inter hanc et illam locutionem intercedere moneo. Ἐς βάραθρον enim abiicitur, quem interficere volunt, ἐς Ἁλμυρίδας, qui iam est mortuus. Ἁλμυρίδες autem raro inveniuntur apud scriptores commemoratae. Maxime memorabilis locus est Hesychii „Ἁλμυρίδες, αἰγιαλοί· καὶ τόπος ἐν τῇ Ἀττικῇ παρὰ τὰς ἐσχατιάς, οὗ τοὺς νεκροὺς ἐξέβαλον“, qui loco nostro apprime convenit, ut Hesychium quoque eosdem animo tenuisse versus credibile sit [100]). De Tereo in Avibus multa dixit; semel eum in Lysistrata attigit [1]). Imprimis autem a Suevernio, viro eximio, monitum est, saepe esse ab Aristophane factum, ut quae antea Aristophanes in aliis fabulis paucis tetigerit, iis ad peculiarem fabulam condendam postea uteretur argumentis.

---

98) cfr. Anecdd. Bachm. p. 174, 25; p. 159, 22; 161, 31. Adde ταλμισσεῦσιν pro τελμισσεῦσιν p. 78, 7 aliaque exempla, quae notare infructuosum est.

99) cfr. Plut. 431, 1109. Rann. 574. Alexis in Ulysse texente ap. Ath. p. 303 a.

100) Imprimis conferendus est de hac voce Schneiderus in lexico s. v. Ἁλμυρίς et Boeckh. Corp. Inscriptt. I, n. 103 p. 141 seq.

1) Lysistr. v. 563. Avv. 15 et postea saepe.

Quamobrem profecto non absurdum est, si sumimus post Aves doctas Aristophanem in fabula quadam Terei historiam proposuisse; praesertim cum Tragicos, ut Sophoclem, idem argumentum proposuisse et propterea ab Aristophane irrisos esse sciamus [2]). Neque si Philetaerus Comici filius eodem nomine fabulam edidit, id cuiquam mirum videbitur, quod Nicostratum quoque, quem tertium filium appellant, Plutum docuisse, ut patrem, certo testimonio edocti sumus [3]). Praeterea non male de Procne versus intelligi possunt. His omnibus de caussis equidem, nisi alia vitii signa ab aliis indicantur, Terea fabulam Aristophani denegare nequeo. Hoc unum addo. Multa sunt nobis servata poëtae fragmenta, quae cum voce ἅλμη cohaerent. Nam ex Holcadibus Athenaeus „ἐν ἅλμῃ"; Antiatticista „ἁλμαίαν πιών"; e Senectute Athenaeus „ἁλμάδας"; idemque ex alia fabula „ἁλμάδες" et „ἁλμάδος", denique e Babyloniis Antiatticista ἁλυκόν [4]). Deinde ob eandem caussam versus ex superstitibus fabulis laudati, ut ab Antiatticista ex Vespis propter „ὀξάλμην", et a nostri lexici scriptore ἁλυκόν e Lysistrata [5]). Nonne coniectura iure nobis arridet, ex qua ab eodem omnes illas voces a grammatico antiquo ex Aristophanis fabulis collectas esse sumo. Sed quomodocunque de hac re statuis, quam tenuem esse ipse video, si Tereum fabulam ab Aristophane factam lexicographo credo, eamque in numero inclusam fuisse censeo, crimine credulitatis nemo me accusabit.

A lexicographo transimus ad Antiatticistam, ab Imm. Bekkero eodem volumine comprehensum; qui duas fabulas inauditas protulit, Metrophontem et Andromedam: „Διδοῦσιν, οὐ διδόασιν· Ἀριστοφάνης Μητροφῶντι. Λείψας ἀντὶ τοῦ λιπών. Ἀρ. Ἀνδρομέδᾳ" [6]). Ac de Andromeda quidem iam Seidlerus du-

---

[2]) cfr. Aristoph. Avv. v. 100 seq. „τοιαῦτα μέντοι Σοφοκλέης λυμαίνεται ἐν ταῖς τραγῳδίαισιν ἐμὲ τὸν Τηρέα" ubi memoratu digna est scholiastae annotatio: „ἐν γὰρ τῷ Τηρεῖ Σοφοκλῆς ἐποίησεν αὐτὸν ἀπορνιθωμένον καὶ τὴν Πρόκνην, ἐν ᾧ ἔσκωψε πολλὰ τὸν Τηρέα."

[3]) cfr. Suid. s. v. Νικόστρατος κωμικός.

[4]) cfr. Dind. Arist. fragm. fr. 366, 190, 845, 65.

[5]) Bekk. Anecdd. p. 110, 26; 333, 20. Bachm. p. 20, 5; 75, 14.

[6]) Bekk. Anecdd. p. 88, 24; 106, 24.

bitavit [7]). „Nec facile inducar, ut Antiatticistae credam“; de utraque fabula Dindorfius [8]) „διδοῦσιν et λείψας ad Aristophanem auctorem referenda esse, propter ipsam harum formarum pravitatem plane est incredibile.“ Sed caussae e formarum pravitate incerte petuntur, quia ionicas formas, qualis est διδοῦσιν, apud antiquos Atticos [9]), et aoristum verbi λείπειν ἔλειψα [10]) apud posteriores invenimus, ut qua aetate eae non dici potuerint, definire difficile sit [11]). Via certissima progrediemur, si prius de scriptoris fide disceptatum erit; quam quaestionem eo minus declinamus, quia simul propter Nubes, de quibus antea diximus, est suscipienda.

Inter inedita grammaticorum scripta, quae Ruhnkenius quum Lutetiae viveret, reppererat, rettulit librum, cui titulus erat inscriptus Antiatticistae; eumque edere paratus, veterum dramatum rationi novum lumen esse allaturum credidit [12]). Quod quidem quum ipse non perfecisset consilium, nuper Imm. Bekkerus eius partes in se suscepit [13]). Hunc libellum contemplantibus nobis primum scripturae vitia plurima sese offerunt; quorum collectionem qui Bekkeri commentarios inspicit, sibi potest ipse facere. Antiphontem et Antiphanem esse in codice confusos, quum iam Ruhnkenius animadvertisset; vitii originem esse ultimas litteras praetermittendi consuetudinem indicavit nuper Bekkerus, hac ex codice enotata scriptura „Ἀν-

---

7) Seidl. de Arist. fr. p. 24.

8) Dind. Arist. fr. p. 9.

9) cfr. Buttm. Ausführl. Griech. Sprachlehre I, p. 523. II, p. 426.

10) Ib. II, p. 181.

11) Accedit, quod Aristophanes interdum formis usus esse videtur, ut eas irrideret; quas imprimis e tragicis aliisque poëtis petebat, „τὸ σὺν δόρει καὶ σὺν ἀσπίδι, ὅπερ Ἀριστοφάνης παρεμφαίνει ἐν Εἰρήνῃ ἐν μώμῳ Σοφοκλέους προκείμενον, ὡς ἀπὸ τοῦ δορός ἐστιν“ Choerobosc. ad Theodos. in Bekk. Anecdd. p. 1364. cfr. Pac. 354. Vespp. 1081. — Ac praeterea homines loquentes inducit, qui dialecto minus Attica utuntur. Haec et plura etiam, quominus omnis difficultatis in iudicando expertes simus, efficiunt.

12) Bergmann praefat. ad Dav. Ruhnken. Opusc. p. XIX seq. ed. Friedem.

13) Bekk. Anecdd. I, 75—117. III, 1074 seqq.

τιφ. ="[14]). Eodem modo ex Aristophanis nomine Aristarchi effectum est „κόβαλος: ὁ σκιραπώδης καὶ ἀειδής· Ἀρίσταρχος Βατράχοις"[15]). Imprimis crebro syllabae litteraeque sunt aut additae aut abiectae; abiectae, ut in hac annotatione „βότινον Ἀρ. Βατράχοις" pro βολίτινον[16]); additae ut in γενέθλιον, pro qua voce legitur γενεσθιαῖον[17]). Litterarum mutatarum exempla innumera reperiuntur.

Deinde ea adeamus, quae ex Aristophanis fabulis laudavit. Quae ex Acharnensibus afferuntur, in nostro libro extant[18]). De quattuor locis e Ranis fabula petitis nullum non repperi[19]), Pacem quoque quater commemoravit, et tribus in locis vera dixit[20]); semel erravit, nam vocem, quam ter occurrere ait, quater invenimus adhibitam[21]). E Thesmophoriazusis, quas sexies nominavit, tres loci reperiuntur[22]); tres ad secundam editionem referendi sunt[23]). Quae ex Equitibus laudantur, ibi leguntur[24]). Inter quattuor locos e Nubibus excitatos unus

---

14) Ruhnkenius in van Spanii disput. de Antiph. p. 178 ed. Fried. Bekk. Anecdd. III, p. 1074.

15) Bekk. Anecdd. I, p. 101, 6.

16) Bekk. I, p. 68, 8. Arist. Rann. 295.

17) Bekk. I, 68, 18. III, 1075.

18) Bekk. I, 97, 17. Acharnn. 1063.

19) Bekk. I, 86, 8. Rann. 295; B. 101, 6; R. 1013; B. 114, 31; R. 174. Restat p. 89, 18 „δοκήσει ἀντὶ τοῦ δόξῃ. Ἀρ. Βατράχῳ", quod pertinet ad v. 735, ubi δοκήσετε scriptum est.

20) B. 86, 29. Pac. 557; B. 84, 15, P. 1070; sed 79, 10 haec leguntur „ἁμαρτωλία Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, Εὔπολις Μαρικᾷ" quibus sine dubio tetigit Pac. 415 „καὶ τοῦ κύκλου παρέτρωγον ὑφ' ἁρματωλίας", quod scholiastae annotatione confirmatur „δέον εἰπεῖν ὑπὸ ἁμαρτίας, ἀντὶ τοῦ ἁμαρτάνοντες, εἶπεν ὑφ' ἁρματωλίας ἀντὶ τοῦ φειδόμενοι τῶν ἁρμάτων αὐτῶν." Bentl. illo in loco legere vult „ὑφ' ἁμαρτωλίας", cfr. Intptt. Adde Runkel, Fragm. Eupol. fr. 178. Bast ad Gregor. Corinth. p. 904.

21) Bekk. 79, 14 „τρὶς κέχρηται", cfr. 259, 265, 269, 282, nisi vitium scripturae sumendum est.

22) Bekk. 83, 9, ἀφασία, v. 904; 84, 29, βουλίαν, v. 809; 98, 12, ἤνεγκον, v. 743.

23) Bekk. 88, 28 διαλέξασθαι. Dind. fr. 321; B. 96, 25 ἐκπανορθώσασθαι; 78, 24 ἀμεινόνων. Ultimo de loco tacuit Dindorfius. Fortasse extat in nostris Thesmophoriazusis et me quaerentem fugit.

24) Bekk. 80, 30; 81, 5. Equitt. 396, 262.

reperitur, tres a nostris exemplaribus absunt [25]). E Vespis *ὀξάλμην* recte excitatum est [26]). E Pluto denique quicunque loci laudantur, uno excepto, ad alteram videntur pertinere fabulam [27]). Postremo *ἐκκερδικίσαι* in Ecclesiazusis inveniri contendit et propterea maxime est a Dindorfio reprehensus; qui unum propter errorem, quia vox in Avibus legitur, parum accuratum hunc grammaticum vocat [28]).

Praeterea enim non pauca ex amissis fabulis servata sunt, quorum quae ex Amphiarao, Babyloniis, Gerytade, Daetalensibus, Dramatibus, Thesmophoriazusis secundis, Holcadibus et Pluto secundo petiit, inter fragmenta Aristophanis Dindorfius rettulit, quia plurima ab aliis scriptoribus confirmantur [29]). Sed contra alia fragmenta dubitationes movit; de quibus deinceps exponamus. Ac primum quidem de Nubibus dicendum est, e qua fabula tres notantur voces, *βρῦν*, *ζυμήσασθαι* et *κόλασμα*; duae posteriores ex Nubibus, nulla addita voce; prima ex secundis Nubibus excitata [30]). *Ζυμήσασθαι* autem ita est comparata, ut fere indubitanter eam corruptam esse affirmem; quia talis verbi apud alios scriptores nullum vestigium. Nam nemo facile cum Schneidero, quum nulla reperiatur scripturae varietas, pro *ζυμήσασθαι* *ζωμήσασθαι* scribet eamque verbi formam cum alia in eodem libro reperta, *κρέα ἐζωμευμένα*, componet et ad verbum *ζωμεύω* réferet. Quare restituendam esse credo *ζυγώθρισον* for-

---

[25]) Bekk. 83, 1. „*ἀρχαϊκῶς: ἀντὶ τοῦ ἀρχαίως*“, quibus si conferuntur, quae 22, 30 leguntur „*ἀρχαϊκὰ φρονεῖν· ἀντὶ τοῦ εὐήθη καὶ μωρὰ φρονεῖν· τὸ γὰρ ἀρχαῖον ἐπὶ τοῦ εὐήθους· ἔλεγον δὲ τοὺς ἀρχαίους καὶ Κρόνους καὶ Κόδρους*“ et 449, 10 „*ἀρχαιϊκὸν καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα διὰ τῶν δύο ιι. Νεφέλαις Ἀριστοφάνης· ὡς παιδάριον εἶ καὶ φρονεῖς ἀρχαιϊκά*“, nemo dubitabit, in his omnibus locis grammaticorum dictum esse de vs. 821. De voce *ἀντιλογῆσαι* iam supra locutus sum. Bekk. 78, 5. De duobus reliquis locis et secundis Nubibus paullo post exponamus.

[26]) cfr. 110, 26; Vespp. 331.

[27]) Bekk. 84, 6. Ar. Plut. 325.

[28]) B. 97, 14; Avv. 773; Dindorf. Ar. fragm. p. 19.

[29]) B. 82, 15; Dindorf. p. 76; B. 80, 14; D. p. 62; B. 107, 23; D. 115; B. 104, 28; D. 52; B. 105, 21; D. 133; B. 88, 28; D. 147; B. 82, 23; D. p. 163; B. 78, 11; D. 79; B. 113, 11; D. Ib. et p. VI.

[30]) Bekk. 98, 1; 105, 2; 85, 28.

num; de qua saepe grammatici exposuerunt [31]). Multo minus negotii facit *κόλασμα*. Ea enim vox quum apud Atticos reperiatur scriptores nihilque miri et singulare contineat, sine dubio scripturae vitio, non errore scriptoris invecta est. Scribendum est *κολάσαι*, eaque vox notata propter Atticas formas *κολᾷ* et *κολωμένους* alibi apud Aristophanem repertas [32]). Restat *βρῦν*, quae in nostris Nubibus occurrit [33]); et ex eadem parte est petita, quam ut supra vidimus Athenaeus et quem secutus est, grammaticus post doctam fabulam mutatam esse ab Aristophane crediderunt. Ac propterea maxime magni est hoc momenti, quod quanquam ea pars ab illis nondum est indicata; necessario tamen ex illorum sententia mutatio sumenda est. Nam si colloquium inter *ἄδικον* et *δίκαιον λόγον* postea est invectum, quaecunque cum eo cohaerent, non minus sunt ad alteram editionem reiicienda. Omnia autem, quibus pater a filio primum verberatur, dein verbis superatur, spectant ad *λόγον ἥττω*, ut ea res nostram sententiam supra expositam confirmet. Quae si vere sunt a nobis disputata, propter Nubes certe non erat grammaticus reprehendendus negligentiaeque accusandus. Reliquis autem abusum esse, ut suam firmaret reprehensionem, Dindorfium, omnes, puto, confitebuntur. Quis enim illi assentietur, si *ἐπανορθώσασθαι* a Thesmophoriazusis secundis excludit, quoniam in Lysistrata *ἐπανορθώσαιμεν* legitur? Cui cum Dindorfio *καταλαλεῖν* ex *Γήρᾳ* laudatum in ea fabula non lectum fuisse videbitur, quia *καταλαλεῖν* in Ranis occurrit? Denique quod ex *Πελαργοῖς* „*ὀβολίας ἄρτους*“ excitatur, notaturque apud Athenaeum ex *Γεωργοῖς* „*ἄρτος ὀβολίας*“: propterea nemo antiatticistam erroris arguet [34]). Restat igitur ex vitiis ab Dindorfio repertis unum tantum modo *ἐκπερδικίσαι*, quod non ad Ecclesiazusas, sed ad Aves pertinet.

---

31) cf. Schneid. in Lex. s. v. *ζωμεύω*, et Ar. Nubb. 735. Adde Suid. s. h. v. aliosque grammaticos, ab Interpretibus indicatos.

32) cfr. Nubb. v. 7. Equitt. 454. Vespp. 244 et Intpp.

33) cfr. Nubb. 1382. Nam *βρῦν* esse pro *βρῦ* scribendum ipsum illud *πιεῖν* ostendit.

34) Dindorf. Arist. fragm. p. 19.

Quae quum ita sint, scriptoris scripturaeque erroribus non deficientibus, profecto cautio erit adhibenda; ne Metrophonte et Andromeda laudatis decipiamur. Ipsum autem scriptoris consilium, formas e diversis scriptoribus, contra normam Atticam adhibitas, conquirendi, non raro effecit sine dubio, ut lubenter arriperet, si quo in loco diversa scriptura extabat. Quam ob rem eo minus hanc solam ob caussam fabularum nomina ad alium poëtam ferre debemus. Exemplo rem declarabo. In Ecclesiazusis est vulgata scriptura v. 1145: „καὶ μὴ παραλείψῃς", quam recentiore aetate Invernizius revocavit; alii autem correxerant „καὶ μὴ παραλείψεις". At nonne facile formae ἔλειψα usum ex hoc loco posses demonstrare velle? Nihil igitur caussae est, Andromedam Aristophanis fabulam non agnoscendi. Sed eius nomen in Thesmophoriazusis occurrit, ubi Aristophanes Euripidis Andromedam eludit. Ibi hunc legimus versum 1134:

μέμνησο Περσεῦ μ' ὡς καταλείπεις ἀθλίαν.

Quanquam nulla est in nostris libris varietas scripturae; tamen non mirum foret, si in veteribus exemplaribus ita scriptum extaret:

μέμνησο Περσεῦ μ' ὡς καταλείψας ἀθλίαν

quod exquisitum loquendi genus quum optime versui conveniat, si Aoristi usus certior esset, vix me cohibere possem, quin hanc veram esse et a poëta profectam scripturam censerem. Id autem quanquam me facile obtenturum esse spero, ad hunc locum spectare nostrum grammaticum potuisse; tamen ut in sola coniectura positum ipse non accipio.

Metrophontis nomen ne simili quidem artificio labefactari potest. Revocat mihi in memoriam historiam de Metrophane a Suida narratam[35]). Qua re quanquam incertos esse fabularum titulos, Metrophontis et Andromedae semel modo commemoratos video: tamen equidem eos excludere numero minime audeo.

---

[35]) Is enim talia narrat „*Μητροφάνης, ἔκγονος Λαχάρους· ὢν δὲ ἐν παισὶν ἔτι νήπιος ἀνεφθέγξατο βοῶν· ἐγώ εἰμι, ἔφη, Ἀριστοφάνης ὁ φαλακρός. οὔπω τι τῶν τοιούτων ἀκηκοώς· ἐπεὶ δὲ οἱ ἀκούσαντες ἀνέκρινον ὅ,τι εἴποι, μηδὲν εἰδέναι τῶν εἰρημένων διϊσχυρίζετο.*"

XXX.

Pergimus in recensendis fabularum Aristophaniarum nominibus. Quo in negotio non dici potest quoties in magnum errandi periculum coniiciamur et de fontium tenuitate queri cogamur. Quaecunque enim comperta habemus, ex grammaticorum et lexicographorum libris accepimus didicimusque, qui propter rerum tractatarum excitatorumque locorum copiam et multitudinem, licet accuratissime et diligentissime in tam utili instituto versarentur, erroribus erant obnoxii. Verum vel frequentius mala vetustarum membranarum conditione impedimur. Quam ob caussam hac tota in quaestione quasi inter Scyllam et Charybdim pendemus; dum pari diligentia fugere debemus et in reiiciendis testimoniis temeritatem et in defendendis anilem superstitionem. Hoc igitur quam maxime exoptamus, ut medium quoddam sequamur, quod ab utroque vitio pariter sit seiunctum. Sensi autem has difficultates cum saepe, tum imprimis illo tempore, quo de Aristophanis Glauco quaerebam, de quo Dindorfius ita loquitur[36]) „sequitur *Γλαῦκος* fabula nimis quam levi munita auctoritate unius Pollucis, grammatici minime accurati, qui III, 43 verbi *διαπαρθενεύειν* usum explicans „*Ἀριστοφάνης*" inquit „*Γλαύκῳ, Καλύψας καλύμματος τριβωνίῳ διαπαρθένευσα*". Qui nisi in nomine fabulae erravit, erravit autem hoc modo saepissime, Aristophanem pro Eubulo, cuius hoc nomine fabula extitit, nominasse videtur. Aristophani tamen si quis credulus tribuere perget" etc. Ac primum quidem vellem ab imperita et temeraria scriptoris reprehensione abstinuisset, cui antiquitatis amici et perscrutatores magnam rerum utilissimarum cognitionem debemus; quemque brevi ante Glaucum commemoratum recte Thesmophoriazusas Aristophanis excitasse viderat[37]). Deinde in minorem vituperationem incurreret, si modo unam dubitationis suae caussam dixisset. Sed nihil omnino attulit, quod oratione dignum esset; ac ne difficultatem quidem totam explicavit. Nam quanquam idem Pollux *Γλαῦκον*

---

36) Diadorf. Arist. fragm. p. 8.

37) Arist. Thesmoph. v. 480.

fabulam alibi Eubulo tribuit, versusque ex ea laudat quattuor[38]: tamen apud Athenaeum in Epitoma eosdem versus Antiphani tributos reperimus, idque ita, ut Antiphanes Eubulo opponatur[39]. Schweighaeuserus autem apud Athenaeum versus Eubulo tribuendos ex eiusque *Γλαύκῳ* petitos, erroremque ab Epitomatore admissum esse suspicatur[40]; alii editores aliam viam ingressi sunt[41]. Quid autem, si utrumque et Antiphanem et Eubulum eo nomine fabulas scripsisse coniicimus? Age, eius rei ostendendae periculum faciamus. Glauci nomen non rarum est apud poëtas. Euanthis, poëtae epici, *εἰς τὸν Γλαῦκον ὕμνος* commemoratur[42]. Est Aeschyli fabula, *Γλαῦκος Πόντιος* inscripta, quae ad eum Glaucum spectat, qui ex piscatore marinus deus factus esse fertur; ac nude interdum *Γλαῦκος* appellatur, quem eundem Pindarus quoque carmine celebravit[43]. Iam inter Antiphanis fabulas, ab Athenaeo excitatas, quum una inveniatur *Ποντικός* inscripta[44]; quanquam inscriptio, collata cum eiusdem poëtae Physiognomico, Protreptico, aliisque multis, nihil inepti et miri habet: nonne coniecturam, ex qua pro *ἐν Ποντικῷ* scribimus *ἐν Ποντίῳ*, ut *Γλαύκῳ* omissum putetur, non prorsus improbabilem mecum erunt qui statuant. Tamen nihil decernam; si in altera inscriptione *ἐν Ποντικῷ* esset, quod offenderet, aut si ulla scripturae varietas in Athenaei libris notaretur, confidentius locuturus.

Praeter Eubulum et Aristophanem *Γλαῦκος* fabula Cratino tribuebatur apud Athenaeum[45]. Sed iam dudum Schweighaeuserus notavit, membranas ibi non *γλαύκῳ* habere, sed *γλαῦκον*,

---

38) Pollux, VI, 67.
39) Athenaeus I, 28, d.
40) Schweigh. Ind. Auct. IX. p. 34.
41) Id. Animadvv. I, p. 211 seqq.
42) Athen. VII, 296, c. Non inutile erit, ut credo, cum versibus ab Athenaeo Antiphani, a Polluce Eubulo tributis, comparasse, quae ib. p. 295, c. ex Antiphanis *προβατεῖ* excitantur.
43) cfr. Strabo p. 447 (686 seq.). Paus. Boeot. cap. XXII extr. Phoc. c. 4. Athen. III, 87 a. cfr. Interpp. Add. Herm. Opuscc. II, p. 64 seqq.
44) Athen. VII, 302, f.
45) Ibid. II, p. 68, a.

eamque scripturam suo iudicio probavit. Quare neque Casaubonus recte scripsit:

οὐ παντὸς ἀνδρός ἐστιν ἀρτῦσαι καλῶς

neque Valckenarius, cui Schweighaeuserus assentitur, iure suo γε particulam addidit, et hanc commendavit scripturam:

οὐ πρός γε παντός ἐστιν ἀρτύσαι καλῶς,

neque Meinekius, qui numeros esse trochaicos detexit, bene ita scribendum monuit:

γλαῦκον οὐ πρὸς παντός ἐστιν ἀρτύσαι καλῶς υ —.

Nam vix dubitare possumus, quin locum recte ita restituamus:

γλαῦκον οὐ πρὸς παντὸς ἀνδρός ἐστιν ἀρτύσαι καλῶς

coniunctis Casauboni Meinekiique coniecturis[46]).

Maiore iure Γλαῦκος adscribitur Anaxilae, comico poëtae, apud Pollucem[47]); quare Schweighaeuserus erravit, cum argumentum tragoediae magis, quam comoediae, idoneum esse contenderet. Inter Romanos Cicero poëma in Glaucum edidit[48]).

Redimus ad Aristophanem. Verba ipsa, quae notavit Pollux, ab eo proficisci potuerunt. Sed quia verisimile est, ex errore aut a Polluce aut ab Epitomatore Athenaei commisso Glaucum fabulam esse Eubulo Antiphanique tributam: hoc quoque in loco fortasse Antiphanis nomen restituendum esse suspicari possemus. Haud absque magna dubitatione eam rem manere, quum nemo non videat[49]); equidem non possum quin Glaucum quoque Aristophani adscribam.

Ab Glauco ad alias fabulas in Pollucis libro Aristophani

---

46) cfr. Valck. ad Herodot. VII, 153; Schweigh. ad Athen. T. I, p. 464; Meinek. Q. Sc. I, p. 22 seqq.

47) Pollux IX, 29.

48) Plut. Cicer. Vit. cap. 2 „καί τι ποιημάτιον ἔτι παιδὸς αὐτοῦ διασώζεται Πόντιος Γλαῦκος, ἐν τετραμέτρῳ πεποιημένον". Erravit igitur Scherpez. ad Strabon. p. 447 „forte Aeschyli drama in Latinam linguam transtulisse Ciceronem" suspicatus. Nec ad Aeschyli imitationem carmen composuisse putandus est.

49) Ipsum illud vocabulum „διεπαρθένευσα" Aristophani, qui similia finxit, praeclare convenit. Ac quod plures comici poëtae mediae novaeque comoediae Aristophanis reperta imitantur, et idem argumentum tractarunt, sumi potest aptissime.

adscriptas transeundum est. Agonistas nihil esse, sed in Tagenistas mutandos, ex Falcenburgii codicis vera scriptura constat [50]). Erat, qui Callippidem fabulam Aristophanis esse putaret [51]), idque ex his Pollucis verbis suspicaretur „οἷον τὸ κόρημα· καλεῖται δὲ οὕτω καὶ τὸ σκεῦος καὶ τὸ κάθαρμα τὸ κορούμενον· (τὸ δὲ ῥῆμα κορεῖν ἂν λέγοις) καὶ τὸ μὲν σκεῦος (καὶ ῥῆμα) ὑπὸ Εὐπόλιδος εἴρηται ἐν τοῖς Κόλαξι „τουτὶ λαβὼν τὸ κόρημα τὴν αὐλὴν κόρει". τὸ δὲ κορούμενον ἐν Σκηνὰς καταλαμβανούσαις Ἀριστοφάνους

„ὥσπερ ἐν Καλλιππίδῃ
ἐπὶ τοῦ κορήματος καθίζομαι χαμαί.""

Sed accurate verba contemplanti omnia ad Aristophanis fabulam, *Σκηνὰς καταλαμβάνουσαι* inscriptam, pertinere videbuntur; in quam sententiam ipsius Hemsterhusii animus propendebat. Quae ad proverbialem locutionem intelligendam necessaria sunt, omnia Pollucis editorum protulit diligentia. Minus apte igitur Meinekius Strattidis nomen invehere voluit, quod Dindorfius quoque assensu suo probavit [52]). De fabulis *Ἀγήρως*, *Ἀσκληπιός*, *Ἡνίοχος*, *Κότυλος*, *Ὄβριμος*, aliisque a Brunckio merito sublatis non est quod loquamur.

A Polluce ad Athenaeum progredimur; cuius in libris Aristophanis nomen cum nomine Aristophontis confusum legitur; quae confusio facile oriri poterat, si quod supra factum esse vidimus, ultimae litterae omittebantur. Hac ratione *Ἰατρὸς* fabula in Epitoma; et apud ipsum Athenaeum *Πυθαγοριστὴς* et *Φιλωνίδης* Aristophonti demptae dataeque erant Aristophani [53]). Fabula *Ἰατρὸς* inscripta [54]) praeterea tribuitur Antiphani, cum quo simili de caussa saepe nostri Comici nomen commutatum est [55]). Quae quum omnia facili negotio absolvantur, alia

---

[50]) cfr. Poll. VII, 168; Dindorf. Arist. fr. fr. 436 p. 182.

[51]) Kühn ad Polluc. X, 28 „de huiusmodi hominibus fabulam edidisse videtur Aristophanes inscriptam „*Καλλιππίδης*". Ad quem Callippidem Strattidis fabula pertineat, docuit Meinekius Qu. Sc. II, p. 66.

[52]) Dindorf. de fragm. Arist. p. 175 seq.

[53]) cfr. Athen. VI, 238; IV, 161; XI, 262; Dindorf. p. 10.

[54]) cfr. Athen. IV, 175, a.

[55]) Ita *Πρόγονοι* Athen. VI, 238. *Κιθαρῳδὸς* VIII, 342 Antiphani erant ereptae; contra falso tributa *Ποίησις* VI, 222.

sunt, quae maiores nobis difficultates excitent. De Delia fabula ita loquitur Dindorfius „non plus negotii facit Delia apud Athenaeum VIII, p. 378, a. Etenim ipsum Deliae nomen indicio est, novae comoediae fabulam designari, sive ea Antiphanis, sive alius fuit“, quibus in verbis brevis sane est Vir Doctus, sed tam parum accuratus, ut novae comoediae Antiphanem annumeraverit, quem mediae omnes comoediae poëtam appellarunt. Verba autem ipsa scriptoris, qui nominatus est, nihil nobis argumenti praebent, ex quibus aliquid certi colligi possit. Nos primum de Aristotele Deliorumque civitate, dein de grammatico Aristophane cogitavimus; sed nihil eruere potuimus. Quare neque reiicere, neque probare hanc fabulam audemus.

Ipse Athenaeus incertus haeret, cui *Πόλεις* et *Σκηναί* tradendae sint[56]); quare nos quoque, quorum sint ea dramata, non discernimus; id tamen sine omni dubitatione affirmamus, grammaticorum numero ea esse includenda. Nam si eas receperunt comoedias, quas spurias esse ipsi sciebant, nonne absurdum fuisset, eas non recipere, quas Aristophaneas esse non certo compererant? Quare de his quoque minus recte disputavit Dindorfius[57]), qui sui ipsius consilii oblitus, de eorum auctore vero, non de comoediarum numero Aristophanis loqui instituit.

Multo prudentius de Dramatibus fabula G. Dindorfius exposuit, difficultatesque plurimas superavit[58]). Quia enim quinque modis grammatici loqui solent, *Δράματα*, *Κένταυρος*, *Νίοβος*, *Δράματα ἢ Κένταυρος*, *Δράματα ἢ Νίοβος*· duas fuisse fabulas suspicatur, duobus titulis inscriptas, quarum altera *Δράματα ἢ Κένταυρος*, altera *Δράματα ἢ Νίοβος* plene appellanda fuerit. Ut omissis *πρῶτος*, *δεύτερος*, dicunt fere semper *Θεσμοφοριάζουσαι*, ita *Δράματα* nude et simpliciter dixisse censendi sunt. Codicis Veneti secundum Niobum optime ex scripturae vitio explicavit, Hermanni ingeniosa coniectura adiutus.

---

56) cfr. Athen. III, 86, e; IV, 140, a; XIV, 628, a.

57) Ita enim loquitur „sed hi quidem et fluctuatione inter diversos poëtas auctoritatem suam elevant, nec satis idoneas suarum opinionum caussas habuisse videntur“, quae iure suo reprehendit Hermannus, Leips. Literaturz. l. l. p. 1621.

58) cfr. Arist. fragm. p. 13 seqq. add. p. IV et p. 85.

Superest ut de Aëolosicone secundo verba faciam; quam ex Athenaeo Dindorfius quum recepisset, nuper Hermannus reiecit[59]). Ac profecto ingeniosa est et Grauerti, qui fragmentum, quod primum est apud Dindorfium, cum decimo quarto coniungere voluit, et Hermanni sententia, qui qualis fuerit ea coniunctio ostendit. Quare quanquam quae ab Hermanno praeterea adiiciuntur caussae, eae omnes non multum valent, ut magnum ego eius coniecturae fundamentum reperire non potuerim; hanc tamen fabulam incertioribus adnumerare satius duxi.

Postquam hac via quae ab Athenaeo solo Aristophani tradita reperiuntur, pertractavimus dramata, pauca, quorum nomina apud alios existant, brevi perstringere animus est; *Βοηθοὺς* enim, *Αὐτόλυκον* et *Νίκας* aliis condita esse a poëtis, satis est cognitum[60]). Memoratu autem dignum est Basilii scholion ad Gregorium Nazianzenum[61]), quod Bastius edidit in praefatione ad Greg. Corinthium p. LIII. „*στιβὰς, στρωμνὴ, χαμαικοίτιον, ὡς Εἰρηναῖος ὁ ἀττικιστὴς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Στρατείαις ὁ κωμικὸς καὶ ἐν Δραπέτισι Κρατῖνος*“. Qui ex his verbis fabulam „*Στρατεῖαι*“ inscriptam efficere vellet, ex Dindorfii sententia mirum quantum a veritate aberraret. Quid? si Basilius, qui nomen Irenaei scripserat, ubi ad Aristophanem venit, pro Pace (*Εἰρήνη*) ioco *Στρατείας* nominabat fabulam. Tamen nos non audemus, titulum reiicere.

Nunc demum, posteaquam omnia accurate percensuimus, Aristophanearum fabularum indicem apponamus hunc:

I) *Αἰολοσίκων.*
II) *Ἀμφιάρεως.*
III) *Ἀνάγυρος.*
IV) *Ἀνδρομέδα.*
V) *Ἀχαρνῆς.*

---

59) Hermann. Leipz. Literatz. l. l. p. 1619.

60) Dindorf. p. 6 et 9.

61) Dindorf. p. 10 „antiquioris grammatici, ex quo haec deprompta sunt, haec fuit sententia, *στιβάδος* etiam in militia usum fuisse“. Eam coniecturam propterea non probo, quia tota orationis indoles fabulae Aristophaneae nomen postulat.

VI) Βαβυλώνιοι.
VII) Βάτραχοι.
VIII) Γεωργοί.
IX) Γῆρας.
X) Γηρυτάδης.
XI) Γλαῦκος.
XII) Δαίδαλος.
XIII) Δαιταλῆς.
XIV) Δαναΐδες.
XV) Δηλία.
XVI) Δράματα ἢ Κένταυρος.
XVII) Δράματα ἢ Νίοβος.
XVIII) Εἰρήνη προτέρα.
XIX) Εἰρήνη δευτέρα.
XX) Ἐκκλησιάζουσαι.
XXI) Ἐρεχθεύς.
XXII) Ἥρωες.
XXIII) Θεσμοφοριάζουσαι πρότεραι.
XXIV) Θεσμοφοριάζουσαι δεύτεραι.
XXV) Ἱππῆς.
XXVI) Κώκαλος.
XXVII) Λήμνιαι.
XXVIII) Λυσιστράτη.
XXIX) Μητροφῶν.
XXX) Ναυαγός.
XXXI) Νεφέλαι πρότεραι.
XXXII) Νεφέλαι δεύτεραι.
XXXIII) Νῆσοι.
XXXIV) Ὁλκάδες.
XXXV) Ὄρνιθες.
XXXVI) Πελαργοί.
XXXVII) Πλοῦτος πρότερος.
XXXVIII) Πλοῦτος δεύτερος.
XXXIX) Ποίησις.
XL) Πόλεις.
XLI) Πολύϊδος.
XLII) Προάγων.

XLIII) *Σκευαί.*
XLIV) *Σκηνὰς καταλαμβάνουσαι.*
XLV) *Στρατεῖαι.*
XLVI) *Σφῆκες.*
XLVII) *Ταγηνισταί.*
XLVIII) *Τελμησῆς*
XLIX) *Τηρεύς.*
L) *Τριφάλης.*
LI) *Φοίνισσαι.*
LII) *Ὧραι.*

Apparet igitur primum, nondum omnia nos Aristophanis dramata novisse. Sed quod maximum est, protinus aliud quid perspicitur, quod ad hoc usque temporis momentum prorsus incognitum fuerat. Nam primum aptum est, quod grammaticus Bekkeri annotavit „*Ἀριστοφάνης ἐν τῷ θ' Γήρᾳ*", quia vere nona est haec fabula [62]); ac deinde non minus consentaneum, quod argumenti scriptor de Avibus protulit „*ἔστι δὲ λε'.*" Iam videmus, frustra Sueverniun ex illo numero tempus, quo *Γῆρας* docta fuerit, eruere suscepisse; frustraque Dindorfium eos numeros correxisse [63]). Omnia optime cohaerent, atque se invicem confirmant. Monemus tamen, nos *Νεφέλας δευτέρας* quanquam dubias, ut numeros aptos redderemus consulto non omisisse. Mihi verisimillimum est, excidisse fabulae inscriptionem, adhuc nobis incognitam.

Quae quum ita sint, maiorem numerum quinquaginta quattuor fabularum tuenti mihi, nisi egregie fallor, nemo in posterum adversabitur. De singulis rebus a me tractatis dubitatio oriri potest; universe nemo aliter statuet.

XXXI.

Aristophanis vita ab historia Atheniensium animo et cogitatione separari nequit videturque mihi perbeata simul et infelicissima fuisse. Beatam enim illius vitam praedico, qui in urbe habitavit, quae rerum gestarum magnitudine et splendore nulli infe-

---

[62]) Bekk. Anecd. I, p. 430, 15 seq.
[63]) Sueveraius de Senect. p. 24. Dind. Arist. fragm. p. 104 et p. 37 seq.

rior est; qui tempora vidit maximorum virorum proventu ornatissima; cui per vim ingenii patriae saluti consulere, viros inhonestos iusta irrisione et reprehensione coërcere, honestos summis laudibus celebrare licuit; qui denique ab inexhausto verae poësis fonte instructissimus omnes omnium popularium animos capere ac delinire, et ut res optimas quasque patriaeque urbis salutem maxima cura sequerentur, incitare et inflammare potuit. Quarum omnium rerum quum participem esse factum Aristophanem inter eruditos constet; iis auditis ne nos decipi patiamur, eidem viro quae evenerint tristia et iniucunda, contemplari non dubitabimus. Quodsi enim quae Aristophanis aetas vidit, perpendimus omnia memoriaque singula repetimus Atheniensis reipublicae mala; si quae poëta vehementissime exoptavit conatusque est eximia animi indole sua efficere non obliviscimur: mediis in lusibus facetiisque fundendis dolore eum pressum deiectumque ipsi simul cum eo dolentes animadvertimus. Quanquam enim lubentissime est ab Atheniensibus in theatro visus et auditus: tamen frustra suo eos consilio ad optima quaeque cohortatum esse, urbis historia docet. Itaque quod Aristotelem, summum philosophum, quem Athenis recedere coëgerant, dixisse ferunt [64])

Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ,

id is quoque, qui huius viri virtutes contemplatur, propter ipsum non exclamare non poterit. At profecto quemcunque bonum reique publicae Athenis, dum bellum Peloponnesiacum gerebatur, vivere videmus virum: eum magna quidem cum vi prodeuntem admiramur; sed mox senescentem et post brevem vitam concidentem et evanescentem conspicimus.

Non procul a Cimonis morte natus, felicissimoque ita ac iucundissimo rerum contra Persas bene gestarum adspectu privatus; quum tandem ad eam aetatem pervenisset, qua poterat prima comoedias docere: illum quoque magnum virum de vita decedere vidit, qui etsi a vetere disciplina remotus ipse, tamen res Atheniensium suo nutu praeclare gesserat et gubernarat [65]). Dilecta deinde patria, quietis antea et tranquillitatis plenissima,

---

[64]) cfr. Vita Aristotelis ab Ammonio scripta p. 4.

[65]) cfr. Plut. Pericl. c. 39. Thucyd. II, 65.

nunc pessimis turbulentissimorum hominum consiliis tradita, Cleonibus, Hyperbolis, Agyrrhiis misere afflicta et in maximas tempestates mediumque omnium rerum certamen atque discrimen coniecta: tanto coepit opere perturbari, ut omni, quam obtinuerat, splendore et maiestáte sensim exueretur. Virilis autem aetatis prima initia ut in tempora a disciplinae optimae laude desueta inciderant: ita, malis et infortuniis semper auctis et amplificatis, vitae exitus post institutam Antalcidae pacem in tristissimam venit patriae conditionem. Tamen vitae eius duas maxime partes fuisse, quarum altera felicior, altera infelicior putanda est, paullo accuratius omnia contemplati videbimus.

Praeclare est a Niebuhrio, Viro Magno, observatum [66]), belli Peloponnesiaci historiam a Thucydide usque ad Siculam cladem ita esse descriptam, ut scribendi genus Thucydidium rerum gestarum sublimitatem totam exprimat; postea ubi historiae splendor desinit, non temere, sed consilio ab eodem scriptore longe tenuiorem orationem esse adhibitam. Addi potest, septem illos libros Thucydidiae historiae priores ab ipso scriptore non obscure inter se coniunctos et ab octavo esse separatos. Non frustra enim, ut credo ad eam sententiam, a qua quum primum librum scriberet inceperat, sub fine septimi libri rediit [67]). Nam quum ab initio affirmasset „μέγαν τε ἔσεσθαι πόλεμον καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων“ sese praevidisse: Sicula clade enarrata, ita loquitur „ξυνέβη τε ἔργον τοῦτο Ἑλληνικὸν τῶν κατὰ πόλεμον τόνδε μέγιστον γενέσθαι· δοκεῖν δ' ἔμοιγε καὶ ὧν ἀκοῇ Ἑλληνικῶν ἴσμεν καὶ τοῖς τε κρατήσασι λαμπρότατον καὶ τοῖς διαφθαρεῖσι δυστυχέστατον“ [68]). Tota autem

---

66) Niebuhr's kleine histor. und philolog. Schriften I, p. 469.

67) Thucyd. I, 1; VII, 87.

68) Eandem sententiam alibi quoque esse ab Thucydide pronuntiatam, scholiasta coniectura assequitur, ab interprete propterea vituperatus, cfr. Thucyd. exempl. Bipontinum, T. V, p. 379. VI, p. 280 seq. Scriptum enim esse ab Thucydide „καὶ οὐδενὸς ἐλάττων τῶν ἐν τῷ Ἑλληνικῷ πολέμῳ ἐγένετο“ suspicatus erat, pro vulgata scriptura „ἐν τῷ Σικελικῷ“ cett. Utcumque de his sentis, — profecto autem ego hanc coniecturam probandam esse, minime dixerim — quae supra notavi, scholiastas quoque intellexisse, e versibus in septimi libri

eius historiae praefatione eandem sententiam explanandam sibi sumpsit. Qua ex re recte, nisi fallor, annos ab initio belli ad Siculam usque cladem elapsos belli summam continere, et primam eamque splendidissimam esse eius partem a Thucydide existimatam colligimus. Altera belli pars quo modo est a viro praeclaro scribi coepta, videmus; quam autem tenuisset in perficiendo opere rationem, si ad exitum ducere opus maximum fortuna permisisset, e Xenophontis quidem supplemento vix potest ac ne vix quidem conici, quia ille celeberrimus Socratis discipulus a Thucydidis sentiendi ratione animique magnitudine nimis est alienus. Nihil obstat tamen, quo minus cum Niebuhrio, qui vir animo et cogitatione, si talis comparatio non nefas habenda est, Thucydidis simillimus esse mihi videtur, sumamus, ad sublime dicendi genus eum rediturum fuisse, quibus rerum gestarum magnitudo temporibus renovata est. Iam si verum est, quod verum esse affirmavimus, Aristophanis vitam ab Atheniensium aut secunda aut adversa fortuna totam pendere; eiusdem comoediae non minus quam Thucydidis historia, modo rerum angustias et asperitates, modo splendorem et maiestatem, utcumque tempora postulant, prae se ferent. Ut enim imperatoris vita, si pugnas quas commisit, si bella quae confecit, audimus, nobis cognoscitur: ita vitam comici poëtae, qualis fuerit, nisi quas docuerit comoedias et quo consilio eas ediderit compertum habemus, non possumus nobis cognitam appellare. Aristophanes autem per totam vitam Dionyso altori suo studiorumque patri fidus alumnus mansit; sed prima tantum parte belli Pelo-

---

fine positis conicio, quos quoniam sententiam meam affirmant, adscribam.

Αἱ πρὶν μέγισται φανερῶς εὐπραξίαι,
τὰ συνεχῆ τρόπαια καὶ ναυκρατίαι,
αἱ τῶν μεγάλων πραγμάτων εὐπραγίαι,
ὑφ' ὧν ἀνηνέχθησαν εἰς ὕψος θράσους
Περσοκρατῶν Ἕλληνες οἱ πάλαι γόνοι
Πρὸς δυστυχίας τῆς πανωλέθρου χάος
Ἄρτι κατηνέχθησαν, ἀντιπνευσάσης
τῆς εὐτυχίας εἰς μακρὰν ἀτυχίαν.

Qui quidem versus quo tempore nati factique sint, sua indole docent; sunt tamen, si solum argumentum spectamus, loco aptissimo positi.

ponnesiaci totum comoediae munus, ut exoptabat, explere poterat, altera autem poëtica sua indole in patriae salutem uti minus valebat. Age igitur opus haud exiguum aggrediamur et pro virili parte quod nobis proposuimus absolvamus; ac primum quidem res priore vitae tempore a poëta gestas describere conemur.

XXXII.

Quum Aristophanes infelici successu Nubes docuisset: eius comoediae editionem paraturus, ut quam auditam visamque minus probaverant Athenienses, scriptam legentes melius cognoscere possent; et de dramatis praestantia magnifice sentiens: a reprehendendis spectatoribus sese abstinere non debere ratus est. Quare eos, qui poëmatis pulchritudinem minus perspexerint, vituperat, neque tamen desperare sese profitetur, sed prudentes iudices propter reliquorum imprudentiam prodere nolle promittit. Ex quo tempore enim fabula illa, in qua duo iuvenes, quorum alter ὁ σώφρων, alter ὁ καταπύγων appellatur, prodierint, optime sit audita, quam alii puellae docendam clam tradiderit: firmo quodam, ait, sese cum prudentibus fabularum spectatoribus vinculo consociatum teneri [69]). His auditis, nemo non colliget, eam ipsius fabulam, quae describitur magis et significatur, quam accurate nobis monstratur, primam cum laude esse a popularibus auditam. Neque minus erit verisimilis coniectura, primam eam omnium ab Aristophane confectarum publiceque licet ab alio doctarum comoediarum extitisse. Quare scholiastis grammaticisque, id disertis verbis docentibus, lubentissime obsequimur [70]); quanquam nescii, utrum eam rem mera coniectura assecuti, an nuntiis certis ex antiquitate acceptis affirmaverint. Neque est quod assensionem iis praebere nostram dubitemus, si eam fabulam *Δαιταλῆς*, Daetalenses inscriptam fuisse perhibent. Fragmenta enim ex Daetalensibus ad nos per-

---

[69]) Arist. Nubb. 528.

[70]) Schol. ad v. 529 „πρῶτον δρᾶμα γράψας ὁ ποιητὴς ἐξέθηκε τοὺς Δαιταλεῖς“ „διόπερ ἐστὶ μὲν αὐτὸ πρῶτον τῶν δραμάτων,“ ad v. 531 „τοὺς Δαιταλεῖς πρῶτον αὐτοῦ δρᾶμα.“

lata[71]) — nam ipsa fabula ad nostram aetatem non pervenit — duo illos iuvenes, modestum et immodestum, re vera oculis nostris proponunt. Sumimus igitur, primam comoediam ab Aristophane confectam et publice editam Daetalenses fuisse.

Iam quo tempore Daetalenses docti sint, si quaeritur; id nonnullos annos ante Nubes factum esse ex ipsa Aristophanis commemoratione fabulae intelligitur. Certiora ex anonymi libello de comoedia scripto discimus. Is enim archonte Diotimo primam esse Aristophanis comoediam editam affirmat: qui annus primus est Olympiadis octogesimae octavae, qua Dorieus Rhodius pancratio iterum vicerat[72]). Quae quidem sententia cum ipsius poëtae verbis ut praeclare convenit, ita omnibus quae aliunde scimus confirmatur, est igitur sine ulla dubitatione a nobis comprobanda. Deinde quibus festis diebus haec comoedia in scenam producta sit, quaerentibus nobis multo maior obstat difficultas, quoniam nullum eius rei testem cognovimus. Tamen fortasse locus erit coniecturae non ineptae. Quum enim inter Lenaea et Dionysia nobis eligendum sit: nonnullis rationibus ad prius festum reiicimur. Ac primum quidem quia is qui Aristophanis loco fabulam edidit, a poëta παῖς vocatur et, ut inde colligendum est, eo tempore primam in theatrum produxit fabulam; si is, quapropter gloriatur poëta, tamen ut sua doceretur fabula impetravit[73]): vix cogitari potest, Dionysiis, quo festo dramata docere honorificentissimum erat, obscuro homini scenam fuisse concessam[74]). Deinde accedit, quod fabula ita est comparata, ut mox docebimus, ut magis ad Atheniensis reipublicae conditionem internam spectet, quam universe res Graecorum tetigerit. Permulta enim ostendunt, quum Lenaeis soli

[71]) Imprimis de illis loquor fragmentis, quae Galenus servavit in praefat. lexici Hippocratici p. 404 ed. Franz. Dind. fr. p. 41 seqq. Petr. Victor. ad Arist. Rhet. I, 1, p. 60.

[72]) Thucyd. III, 8. Ceterum cum his conferenda sunt, quae supra disputavimus.

[73]) Boeckh. de Dionys. p. 21.

[74]) Ita poëtae verba interpretor „ὑμεῖς δ' ἐξεθρέψατε γενναίως κἀπαιδεύσατε“ „vos concessistis, ut doceri posset edique publice fabula mea.“

Athenienses theatrum adirent, eo festo talia proferre dramata Comicos solitos fuisse, quae ad Athenienses solos pertinuerint. Dionysiis contra praeterea saepe ita erant confectae comoediae, ut Graecis omnibus destinatae esse viderentur. His caussis commoti, archonte Diotimo Daetalenses doctos esse, affirmamus; idque Lenaeis factum esse suspicamur.

Sed accedimus ad aliam quaestionem, cui poëta homini primam fabulam suam publice docendam dederit; quam ut iam antea in disceptationem vocatam brevi absolvimus [75]). Anonymo enim, eum Callistratum fuisse qui docet, cur adversemur, iusta non extat caussa. Morari enim non possumus scholiastas, qui ubi poëta ipse unum tantummodo nominavit, duorum nomina Philonidae et Callistrati posuerunt [76]). Universe illi, per quos poëtas sua dramata docuerit, acceperant; de Daetalensibus autem nihil scientes, dubitabant.

Caeterum ipse Aristophanes de bene audita fabula gaudet. Neque grammaticorum sententiae quidquam obstat, qua secundum accepisse praemium asserunt [77]). Qui poëtae cum Aristophane in arenam descenderint, primumque et tertium praemium acceperint, incertum est. Quia Aristophanes iudicium de sua fabula latum laudat, inde colligi potest, et merito alii primum esse delatum praemium et eum non Eupolin aut Phrynichum aut Hermippum fuisse, quos ab Aristophane reprehensos esse scimus, sed Cratinum aut Cratetem aliumve, quorum exempla sibi imitanda proposuerat.

His expositis praemissisque, quibus in rebus fabulae argumentum versatum sit, exponendum est; quam quaestionem, quoniam fabula, fragmentis nonnullis exceptis, nobis amissa est, ita aggredimur, ut errare nos posse confiteamur, quaeque repperisse nobis visi sumus, modeste prudentioribus peritioribusque viris ad iudicandum proponamus. Nusquam enim minus decet,

---

75) cfr. cap. XVIII huius commentationis. Elmsleius ad Arist. Acharn. v. 355 vere statuit, qua est vir ille doctissimus in rebus historicis diligentia.

76) Dind. de Arist. fragm. p. 40. Meineke Sc. Q. II, p. 40.

77) Schol. ad v. 529 „οὐ γὰρ τότε ἐνίκησεν, ἐπεὶ δεύτερος ἐκρίθη ἐν τῷ δράματι.“


tanquam de Apollinis tripode loqui. Sed est nobis a fabulae compositione exordiendum.

Nomen ipsum, quod fabulae a poëta impositum est, convivarum et comessatorum multitudinem in theatro convenisse docet [78]). Ac qui fragmenta propius inspicit, multis e verbis ad rem cibariam pertinentibus idem cognoscat. Non potest dubium esse, quin chorus e convivis constiterit, quia omnes fabulae, quas illa aetate noster poëta docuit, ut Acharnenses, Equites, Nubes, Vespae aliaeque, a choro nomen duxerunt. Adest autem huius rei testimonium [79]), quod praebet Orion grammaticus, qui ita loquitur „καὶ Δαιταλεῖς δρᾶμα Ἀριστοφάνους, ἐπειδὴ ἐν ἱερῷ Ἡρακλέους δειπνοῦντες καὶ ἀναστάντες χορὸς ἐγένοντο", quibus e verbis simul discimus, in templo Herculis eos comedisse, dein chori personam gessisse. Idem ab Etymologo confirmatur, qui haec habet „λέγεται δὲ δράματα καὶ τὰ ὑπὸ τῶν θεατρικῶν μιμηλῶς γινόμενα ὡς ἐν ὑποκρίσει, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης, ἐπειδὴ ἐν ἱερῷ Ἡρακλέους δειπνοῦντες ἐγίνοντο χορός", ubi ultima verba a voce „ἐπειδή" male seclusit Dindorfius tanquam huc illata de explicatione vocis Δαιταλῆς [80]). Nam si verba, ita ut dicta in Etymologico Magno reperiuntur, accipimus: Aristophanes voce δρᾶμα ea notione usus erat, ut comoediam in comoedia significaret. Equidem eam rem ita cogitandam esse suspicor. Primum in theatro convivae comparebant, rebusque variis in coena gestis risum spectatorum excitabant; dein illi ipsi in chorum mutati aliud drama spectantes introducebantur, quod eo nomine, δρᾶμα, appellabat poëta. Ceterum, ut saepe fit, in Etymologico Magno nomen

78) Ita vocem recte explicant grammatici, quorum Dindorfius verba exscripsit fragm. p. 39. Casaubonum aliter sentientem redarguit Brunckius in fragmentis Daetalensium. Ceterum cave, ne vocem ab Aristophane primo formatam credas, quae verbi caussa apud Aeschylum legitur.

79) Id cum Brunckio primus communicarat Larcherus; reperitur in Orionis Etymologico a Sturzio edito, p. 49, 8. „χορός" scripsi pro χοροί ex Etymologici loco allato, praeeunte Dindorfio, p. 127 et in Add. p. IV.

80) Dind. l. l. p. 127. Mihi certe haec ratio, quae non intelligimus quomodo dici potuerint secludendi, improbabilis esse videtur.



fabulae, quo ea ratione hac voce usus sit poëta, omissum erat; quod nos ex Orione facile supplebimus. Haec, quae dixi, vera esse, Suidas ostendit; qui hoc modo loquitur s. v. *Δαιταλεῖς*· „*δαιτυμόνες καὶ θιασῶται καὶ συμπόται καὶ οἷον συνδαιταλεῖς*· *οὕτως Ἀριστοφάνης· ἐπιδείπνιον βασιλεὺς θέαν τοῖς Δαιταλεῦσιν ὥσπερ ἀξιόλογον χαριζόμενος τοῦτ' ἐδείκνυε.*" Ita certe in Frobeniano Suidae exemplari legitur. Profecto miror, ea verba neque a Brunckio esse neque a Dindorfio inter Aristophanea fragmenta relata, quae quo praeterea trahant, non habent. Sunt quidem corrupta, sed ita, ut facillimam admittant sanandi rationem, faciliorem, quam multa alia, quae apud alios scriptores inveniuntur fragmenta. Nam si ipsa per se contemplamur, ita corrigenda videri possunt:

ἐπιδείπνιον βασιλεὺς θέαν
τοῖς δαιταλεῦσιν, ὥσπερ ἄξιον λόγου
χαριζόμενος — — — τοῦτ' ἐδείκνυε.

Quae si comparantur cum Etymologici dictis, *δρᾶμα*, de quo expositum est, bene potest aptari ad *ἐπιδείπνιον θέαν* et, ut dicam quod sentio, tertio versui addi:

χαριζόμενος τὸ δρᾶμα τοῦτ' ἐδείκνυε.

Haec igitur esse credo *τὰ ὑπὸ τῶν θεατρικῶν μιμηλῶς γινόμενα, ὡς ἐν ὑποκρίσει*; hanc *ἐπιδείπνιον θέαν*. Neque dubium esse potest, quale illud *δρᾶμα* fuerit. Ipse enim Aristophanes duo iuvenes descriptos summam fabulae effecisse indicat. Summo iure igitur sumimus, illud filiorum cum patre suo, sene, colloquium esse a Daetalensibus, ab epulonibus, tanquam novam comoediam, auditum; eademque ratione in comoedia fuisse receptum, qua *ἄδικος* et *δίκαιος λόγος* in Nubibus producuntur. Quae si vera sunt, duas dramatis partes esse discernendas videmus, quarum altera convivas comedentes, altera spectantes habuit, quae posterior primarium continet fabulae argumentum.

Sed sunt, quae longiorem orationem desiderent. In templo Herculis epulones collecti comedunt: ac *βασιλεὺς* epulonibus praepositus iis donat aliquid; accedit, quod ex Galeno discimus, qui ita loquitur „*προβάλλει γὰρ ἐν ἐκείνῳ τῷ δράματι ὁ ἐκ τοῦ δήμου τῶν Δαιταλέων πρεσβύτης τῷ ἀκολάστῳ*

νίει" cett., quae neque cum Casaubono[81]) de pago Daetalensi, neque cum Brunckio[82]) de uno epulonum homine plebeio interpretari poterimus. Erunt fortasse, qui cogitatione sua mecum ad Atheniensium parasitos ferantur, de quibus plurima lectuque dignissima veterum legum scriptorumque excerpta Athenaeus servavit. Nam Clidemus in Atthide dixerat „*καὶ παράσιτοι δ' ἡρέθησαν τῷ Ἡρακλεῖ*", quocum Philochorus in libro *Τετράπολις* inscripto consentit, de quo ita loquitur Athenaeus „*μνημονεύων τῶν καταλεγομένων τῷ Ἡρακλεῖ παρασίτων.*" Accedit Polemonis, qui Stelocopas cognominatus est, testimonium, qui quum columnae, quae in Cynosarge in Herculis templo erat, inscriptionem tradidit, simul nobis ubi illud Herculis templum fuerit ostendit. Quae quum ita sint ad Regem progredimur, quem dixerit poëta inquirentes. In Regis autem lege ita scriptum erat „*Ἐπιμελεῖσθαι δὲ τὸν βασιλεύοντα — καὶ τοὺς παρασίτους ἐκ τῶν δήμων αἱρῶνται — τοὺς δὲ παρασίτους ἐκλέγειν — ἑκτέα κριθῶν δαίνυσθαι τοὺς ὄντας Ἀθηναίους ἐν τῷ ἱερῷ κατὰ τὰ πάτρια*" [83]). Quibus e verbis Regem ex officio suo totius rei procurationem habuisse, intelligimus videmusque, quos Aristophanes convivas introduxerit, non ipsos parasitos, sed ab iis convivatos Athenienses, qui non *νόθοι* erant, sed *ὄντες Ἀθηναῖοι* ac veri cives. Ex eorum igitur grege senex cum filiis duobus prodiit. Accuratiorem autem singulorum fragmentorum rationem explicare, non est huius loci. Id unum moneo, Herculem ipsum mihi videri in illa coena praesentem fuisse. Nam in Vespis[84]) ubi quid non exspectandum sit spectatoribus exponit, bis sine dubio sua ipsius carmina spectavit. Nihil igitur impedit, quo minus eum quoque versum, quo de Hercule loquitur, ad Daetalenses suos spectasse sumamus. Dicit enim

οὐδ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος

---

[81]) Casaub. ad Athen. III, 32.

[82]) Brunck. in fragmentis *τῶν Δαιταλέων*. Dindorfius de his ne hilum quidem protulit.

[83]) Athen. VI, p. 235, 236.

[84]) Vespp. v. 60.

quem ad versum explicandum ita agit scholiastes „ἐν τοῖς πρὸ τούτου δεδιδαγμένοις δράμασιν εἰς τὴν Ἡρακλέους ἀπληστίαν πολλὰ προείρηται. ποιοῦσι δὲ τὸν Ἡρακλέα τοῦ γελοίου χάριν κεκλημένον εἰς δεῖπνον καὶ δυσχεραίνοντα διὰ τὸ βραδέως αὐτῷ παρατιθέναι τὰ ὄψα.“ Talia in Daetalensibus quoque facta esse, sunt quae ostendere videantur. Ita enim explicari possent optime

φέρ' ἴδω τί σοι δῶ τῶν μύρων; ψάγδαν φιλεῖς

et alibi

ταχύ νυν πέτου καὶ μὴ τροπίαν οἶνον φέρε

et quod heroës in fabula occurrebant et Aegeus et Erechtheus vocabantur[85]). Sed satis est, rem tetigisse; explanabimus nova fragmentorum maximam partem collectorum interpretatione instituta.

His praemissis, facilius quod fabulae argumentum poëtae propositum fuerit, explicabitur. Alteram enim partem, quae colloquium inter filios patremque continet, seriam magis; alteram iocosam fuisse apparuit; summamque rei partem seriam continere, rei ipsa ratio poëtaeque verba, quibus id diserte affirmat, docuerunt. In ea autem duo erant adolescentes cum patre propositi, quorum alter priscae Atheniensium vivendi rationi adsuetus, alter novae traditus eiusque in vitia et errores immersus. Hos irridere, illorum rationem revocare magno poëta conatu voluit; propterea ita utrumque depingit simul, ut instituta ab omnibus comparatione optimum quisque sibi eligat. Verisimillimum est, modestum iuvenem natu maiorem, immodestum minorem fuisse, ut quo modo idem pater filios indole tam diversos educare potuisset intelligatur. Natu minor igitur, qui in molesta belli inciderat tempora morumque corruptionis, non tanta cura, quam maior ille, erudiri potuerat. Patrem enim ipsum simul cum malo filio reprehendi, mihi haud dubium est. Huc refero ea fragmenta, sine dubio coniungenda[86]):

---

85) cfr. Aristoph. fragm. Dindorfiana 7, 13, 22, 42. Adde Pausan. Attic. I, 5, 2.

86) Fragmm. 15 et 8 apud Dindorfium, recte corrigente Elmsleio.

εἰς τὰς τριήρεις δεῖ μ' ἀναλοῦν ταῦτα καὶ τὰ τείχη,

et, quod Athenaeus servavit,

ἀλλ' οὐ γὰρ ἔμαθε ταῦτ' ἐμοῦ πέμποντος, ἀλλὰ μᾶλλον
πίνειν, ἔπειτ' ᾄδειν κακῶς —.

Est igitur ipse quidem veteri disciplinae deditus, eamque laudat et ut a filiis teneatur optat, sed id non efficere potuit, et fortasse temporum incommodis pressus pravae educandi rationi inserviit. Nisi fallor igitur, hac ipsa iam fabula belli Peloponnesiaci mala ostendebantur a poëta, pacis per totam vitam fautore; bellum igitur opprimendi, summum consilium habuit, idque nunc neglecta puerorum educatione malisque inde oriundis demonstravit. Iam quae fuerit utriusque hominis indoles, videamus.

Immodesti iuvenis ingenium primum voce καταπύγων [87]), qua eum Aristophanes appellat, designatur; quo cum vitio reliqua omnia arcte cohaerent. Voluptatibus enim deditus est; didicit

πίνειν, ἔπειτ' ᾄδειν κακῶς, Συρακοσίαν τράπεζαν
Συβαρίτιδας εὐωχίας καὶ Χῖον ἐκ Λακαινᾶν,

praeterea studio citharam pulsandi tibiisque utendi abreptus est, qui de se dicit [88])

ὅστις αὐλοῖς καὶ λύραισι κατατέτριμμαι χρώμενος,

neque tamen bonorum poëtarum callet carmina, Anacreontis et Alcaei, sed male canentibus utitur [89]); neque fortia adhibet, sed mollia instrumenta, quibus αὐλοί [90]), τρίγωνοι [91]) et alia adnume-

---

[87]) Arist. Nubb. 529. Galenus „τῷ ἀκολάστῳ υἱεῖ."

[88]) Fragm. Dindorf. 4.

[89]) Fragm. Dindorf. 2.

[90]) Fortasse loquitur inter tibiarum genera de his imprimis, quae apud Athenaeum commemorantur IV, 182 „εἰσὶ δ' οἱ αὐτοὶ τοῖς παιδικοῖς καλουμένοις, οἷς οὐκ οὖσιν ἐναγωνίοις πρὸς τὰς εὐωχίας χρῶνται· διὸ καὶ τέρενας αὐτοὺς κέκληκεν ὁ Ἀνακρέων." Ex eodem Athenaeo discimus, quorum hominum in consuetudinem illis studiis vocatus est iuvenis. Arti enim tibiis cantandi quam maxime studiosos inter Athenienses Chamaeleon Heracleotes vocaverat Calliam Hipponici filium et Critiam Callaeschri, Athen. IV, 184 d. Duris autem, ut idem narrat, in libro de Sophocle et Euripide, Alcibiadem dixerat apud Pronomum, artis magistrum clarissimum, didicisse, qui eius praeceptor apud nostrum poëtam non raro reprehenditur.

[91]) cfr. fragm. Dindorf. 38.

rantur. Huc praeterea pertinet vox λυρωνία[92]), ex hac fabula enotata. Alia praetermitto. Inter poëtas Homerum, Hesiodum, Alcaeum, Anacreontem aut non noverat omnino aut contemnebat; neque enim voces insolitas, quae apud Homerum Hesiodumque reperiuntur[93]), explicare, neque Anacreontis et Alcaei scolia[94]), carmina a sapientibus tantummodo decantata et utilissima, canere poterat. Alia ipse studia est secutus. Epulas effusas amabat; variaque ludorum[95]) genera callebat; calidis gaudebat balneis[96]), imprimis autem legum studio tenebatur, ut posset cives Athenienses coram iudicibus accusare et sycophantarum arte adhibita pecuniam arripere. Plura ad haec studia merito referuntur fragmenta, ut

ἐθέλω βάψας πρὸς ναυτοδίκας ξῆν' ἐξαίφνης[97]),

deinde

ἔσειον, ᾔτουν χρήματ', ἠπείλουν, ἐσυκοφάντουν,

denique

εἰ μὴ δικῶν τε γύργαθος ψηφισμάτων τε θωμός[98]).

Postremo quam maxime id perspicitur ex fragmentis a Galeno servatis, de quibus praeclaram Seidleri habemus disputationem, qui quo modo in fragmentis corrigendis versari debeamus, ex-

---

92) cfr. id. fragm. 34.

93) cfr. id. fragm. 1 et 28. Hesiodi glossam enim iuveni esse a patre propositam suspicor. Male Dindorfius quia verba allata versus heroici exitum continent in vicinia lectum fuisse oraculum, hexametro versu proditum, coniicit p. 51. Ea quam maxime sunt inter se separanda.

94) cfr. id. fragm. 2 et quae praeterea ab Athenaeo XV, p. 694 traduntur. Adde Ilgen. disquisit. de Scoliorum poësi.

95) cfr. id. fragm. 9.

96) cfr. id. fragm. 39; Süvern, über Aristoph. Wolken p. 29.

97) Scripsi e coniectura ξῆναι, a voce ξαίνειν, quia ξένην aperte corruptum est. Erat quum γένη coniicerem; sed id abieci postea ipse. Pessime Dindorfius κλεῖν invexit, et hoc modo sane vix Brunckius superasse censendus est. Utrumque seduxit Suidae locus, nisi fallor, ita scribendus, „βάψας τὴν κώπην ἢ κλεύσας ἐθέλω πρὸς τοὺς ναυτοδίκας," ut Hesychius vice versa: „βάψας, δεύσας, κλεύσας ἢ τὴν κώπην βάψας." Non raro enim ε et η, ἐθέλω et ἐλθὼν commutantur inter se. Ita Suidas cum reliquis omnibus optime convenit.

98) cfr. fragm. Dindorf. 16. 20. 19.

emplo praestantissimo demonstravit[99]). In his studiis adiutus est iuvenibus aliis, qui eadem sequebantur, et ab Aristophane eodem in fragmento Galeni nominantur. Pendebant illi quam maxime a rhetoribus et advocatis; iisque sese erudiendos praebebant. Nominatim autem Lysistratum et Alcibiadem perstringit, alibi quoque ob eadem studia non raro notatos. Memorabilia sunt, quae deinde sequuntur verba. Postquam enim Alcibiadem nominavit senex, eius filius ita pergit:

τί ὑποτεκμαίρει καὶ κακῶς ἄνδρας λέγεις
καλοκἀγαθίαν ἀσκοῦντας;

quibus iterum respondet verbis pater:

οἴμ' ὦ Θρασύμαχε
τίς τοῦτο τῶν ξυνηγόρων γηρύεται;

si Brunckii verissimam coniecturam sequimur [100]). Alcibiadis commemoratio iam ipsa per se nos ad Socratem vocat: idque eo magis efficit, ut de eo cogitemus, quem non raro de *καλοκἀγαθίᾳ* locutum esse scimus [1]). Neque mirum foret, eo iam anno, quo Daetalenses docti sunt, si Socratem docentem Athenis reperiremus: quem ante Nubes diu inter Athenienses exsplenduisse, maxime est probabile[2]). Tamen nihil decernam. Sed id quoque quaeritur, quae vox a filio dicta patri irridenda visa sit. Credo equidem, non ad *καλοκἀγαθίαν*, sed ad *ὑποτεκμαίρεσθαι* patris pertinuisse risum. Iam quum quaerat, quis *τῶν ξυνηγόρων* ea utatur voce, non absonum est de Antiphonte cogitare, qui illo tempore iam fuit iuvenum in rebus ad dicendi genera pertinentibus praeceptor. Id potius vellem, quam quod coniecit Suevernius, qui quod tempora vetare videntur, Thrasymachum Chalcedonium irrisum esse suspicatur [3]). Ipsa enim

---

99) cfr. Seidl. de fragm. Arist. p. 12. Adde Süvern, über Aristoph. Wolken p. 26 seqq.

100) Antea enim legebatur „*τίς τούτων τῶν ξυνηγόρων τηρεύεται*,“ quod Marius Nizolius ita in Latinam sermonem transtulit „o Thrasymache, quis horum patronorum te liberat?“

1) cfr. Xenoph. Oeconom. VI, 10.

2) cfr. quae dixi in Seebode's krit. Biblioth., a. 1828, mens. April. p. 246 seqq.

3) cfr. I. A. Becker, Dionys. v. Halic. über die Rednergewalt des De-

Galeni quae praecedunt verba, ad Antiphontem nos rapiunt [4]).

Cum his studiis filius reprehendendus immodestiam et irreverentiam erga patrem coniunxit. Neque enim patri obloqui solum et cum eo certare audet, quod tota oratione ostenditur et Thrasymachi nomine, quod pater ei imposuit, optime significatur, sed aperte imprecatur, dicens:

ἀλλ' εἴ σ' ὀρέλλη· καὶ μύρον καὶ ταινίαι [5]),

itaque luculento suam ipse improbitatem ostendit testimonio. Hac indole erat instructus, qualis fuerit magna iuvenum illa aetate quae vixit viguitque pars: quorum tamen altera floruit, quae antiquae disciplinae se totám dedidit. Ea quas rationes secuta sit, e contrariis intelligimus. Nam Homerum, Hesiodum, Alcaei et Anacreontis scolia callebat; Solonis in interpretandis legum formulis minus erat exercitata; a voluptatibus abhorrebat; litibus inferendis non studebat; tibiis lyrisque totam vitam non dicaverat; frigida amabat balnea.

Quodsi postremo ad eam dramatis partem vertimur, in qua convivantes in Herculis templo proponuntur: in ea quoque, quanquam maxime ad risum spectante, Athenienses notati esse videntur, ut luxuriae dediti. Omnes enim aequales illa aetate cupidinem edendi bibendique auctam esse maxime, ostendunt [6]). Eo plura ducunt fragmenta.

---

mosthenes p. 14 seqq. Spengel, Συναγ. τεχνῶν, p. 94 seqq. Foss de Gorgia, p. 57. De Antiphontis aetate ipse alibi dicam.

4) Antiphontem enim ait antea docuisse, quo modo nova verba formanda sint. Alii ξυνήγοροι alibi memorantur, ut Cephisodemus in Acharn. 705.

5) Recepi scripturam ab Elmsleio propositam recteque a Dindorfio probatam. Nam quod Seidlerus Sueverniusque tenuerunt „ἅλις“ errori deberi, haud dubium esse potest. In Latina versione, quae Venetiis prodiit a. 1545, a Mario Nizolio facta, reperitur ἄλις ὀρέλη, spiritu leni, qui ipse quod volumus demonstrat; cfr. Galeni extraordinaria opera, p. 73. Ceterum ut his in verbis σ ad ὀρέλη quod pertinet, tractum est ad ἀλλ' εἴ, ita postea ἥδονσ' ὀρέλη scriptum est. Ceterum recte credo Suevernium monuisse „καὶ μύρον καὶ ταινίαι“ non bene cum σορέλλη coniungi, quare ea interpunctione separavi, ut ad sequentia trahantur.

6) cfr. Thucyd. II.

Haec omnia si vera sunt, aptissime illo tempore hanc esse ab Aristophane confectam comoediam, nemo infitiari poterit. Iis imprimis malis et incommodis, quae bello erant invecta, rerumque discriminibus sese obiecit, monitis Atheniensibus, ut ad priscam Solonisque legibus praescriptam vivendi iuvenesque erudiendi rationem redirent, suamque ipsi simplicitatem revocarent. Imprimis ad agriculturam eos revocabat[7]). Qua in re cum prudentissimis hominibus consentit, „*Βέλτιστος γὰρ δῆμος ὁ γεωργικός ἐστιν*“, ait Aristoteles de civit. VI, 4, p. 710, et quae sequuntur. Thetes a militia revocabat, „*ὁ γὰρ βίος φαῦλος*, ait idem p. 714, *καὶ οὐδὲν ἔργον μετ' ἀρετῆς, ὧς μεταχειρίζεται τὸ πλῆθος τό τε τῶν βαναύσων καὶ τὸ τῶν ἀγοραίων ἀνθρώπων καὶ τὸ θητικόν.*“ Absterrebat a luxuria nimia; ad modum modestiamque incitabat. De instrumentis musicis tibias[8]) lyrasque iuventuti denegavit, ut Aristoteles, qui VIII, 6 ita loquitur „*δῆλον δ' ἐκ τούτων καὶ ποίοις ὀργάνοις χρηστέον: οὔτε γὰρ αὐλοὺς εἰς παιδείαν ἀκτέον, οὔτ' ἄλλο τεχνικὸν ὄργανον, οἷαν κιθάραν*“ cett. et Athenienses post Medicum bellum tibiis quoque usos postea eas abiecisse perhibet, ut alia quoque instrumenta, quorum in numero postea *τρίγωνον* quoque legimus. De nimio litigandi more vix est quod dicamus pluribus.

XXXIII.

Post Daetalenses quam proxime fabulam docuerit poëta, incertum est. Etenim si verum est, quod antea indicavimus, Lenaeis esse editam Daetalenses, eodem anno Dionysiorum festo,

---

7) Meiners Gesch. der Wissensch. p. 83.

8) Sermo est, Alcibiadem tibias abiecisse ap. Plut. De Minerva rem tradit Aristoteles, c. 7. l. l. quod Meinersius ad Alcibiadem torquet male, p. 67. Quum illud *τὸ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων καλῶς μεμυθολογουμένον* vocet, haec fabula ad Alcibiadem postea videtur tracta esse, quem similia multa fecisse narraverant. Quoniam hoc nostro in loco Aristophanis cum iuvene malo Alcibiades tanquam studiorum socius notatur, vix credere eam narrationem nobis licet. Ceterum non dubium est, Medico bello peracto studia illa ita floruisse, ut Themistocli res vere opprobrio a quibusdam verti possit; quod contra Meinersium p. 67 not. moneo; qui non satis accurate legisse Aristotelis verba id aperte docentis videtur.

mense Elaphebolionis secundam edidisse fabulam est probabile. Nihil tamen certi neque traditum a quoquam repperimus, neque ipsi detegere potuimus.

Sequente igitur anno, archonte Eucle, si quam Lenaeis comoediam docuit, eius nomen non accepimus. Quia hieme illius anni ineunte, Thucydide teste, iterum pestis in urbem ingressa est[9]), belli que mala temporumque discrimina vehementer auxit: posset aliquis in eam cogitationem incidere, ut crederet, Athenienses tot infortuniis pressos vexatosque a comoediis tragoediisque spectandis abstinuisse. Quanquam ea erat illorum civium indoles, ut ea de caussa vix videndi audiendique cupiditatem suam reprimerent. At quomodocunque id est, eiusdem anni urbanis Dionysiis iterum Callistratum in scenam prodire iussit, ac per eum Babylonios docuit. Eius rei multa possunt eaque certissima afferri documenta. Suidas et Photius disertis verbis rem enarrant, dicentes: „τοὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου Ἀριστοφάνης ἔτεσι πρὸ τοῦ Εὐκλείδου κέ ἐπὶ Εὐκλέους“[10]). His optime congruunt, quae a scholiastis ad Acharnenses docentur, quae eo archonte docta est, cui sive Euthydemo sive Euthymeni nomen est, qui Euclem excepit. In Acharnensibus enim quum a poëta, quae superiore anno edita sit commemoretur, sed nomen omittatur: uno omnes scholiastae consensu Babylonios in partes vocarunt, simulque ex ipsis poëtae verbis, eam Dionysiis urbanis actam esse, ostendunt[11]). Pere-

---

[9]) Thucyd. III, 87. Diodorus autem XII, 58 minus accurate, eundem morbum Euthydemo demum archonte saevisse enarrat. Ita is saepe quod ad duo archontes pertinet, in alterius historia explicat.

[10]) Ita numeros correxit Bouhier. Dissert. de Prisc. Graec. et Lat. Litt. p. 573, assentiente Wesselingio ad Diodor. XII, c. 53, p. 510. Elmsleius ad Acharn. v. 355 breviter ait „κδ' corrigunt,“ quae est Clintoni correctio in fastis p. 67, minus accurate instituta, ut recte Dindorfius Aristoph. fragm. p. 56. Suidae enim et Photii codices praebent καί; Suidae Frobenianum exemplar κά. Sine dubio ε absorptum est sequente ε in ἐπί; eoque numero omisso α et αι ex errore additum, cfr. Dindorf. l. l. Ceterum merito Diodori archon Euclides, teste Aristotele, est iam a Wesselingio l. l. improbatus; qui recte nomen levi vitio deformatum vocat, non ipsum Diodorum, ut Elmsleius l. l. reprehendit. Optime igitur L. Spengel, Τεχν. Συναγ. p. 63 Εὐκλέους pro Εὐκλείδου in textum recepit.

[11]) cfr. Schol. ad v. 356 et v. 502. Adde Elmsleium ll. ll.

grinos enim illo tempore Athenis commoratos simul cum Atheniensibus comoediam audiisse, de qua re questus erat Cleo, non negavit ipse poëta.

De fabulae nomine haud difficilis est quaestio. Quum enim Hesychius doceat: *Βαβυλώνιοι, οἱ βάρβαροι πρὸς τοῖς Ἀττικοῖς*, fragmentumque a Photio servatum sit, quo ita Aristophanes dixisse perhibetur[12]):

ἦ που κατὰ στοίχους κεκράξονταί τι βαρβαριστί,

nemo dubitabit, quin barbarorum multitudinem in scenam poëta induxerit et chorum efficere iusserit[13]). Barbari autem vix poterant aliter, quam servorum loco prodire. Idque vere factum esse compertum habemus. Alio enim loco eosdem Hesychius vocat[15]) „*τοὺς ἐκ τοῦ μυλῶνος Βαβυλωνίους*"; loquiturque alibi de servis aperte[15]) „*Ἀριστοφάνης ἐν Βαβυλωνίοις τὰ μέτωπα τῶν οἰκετῶν Ἰστριανά φησιν, ἐπεὶ ἐστιγμένοι εἰσίν.*" Constat igitur chorus e servis in pistrina degentibus, barbaris misereque afflictis et ora notis compunctis. Servi enim apud veteres ita puniri solebant, ut verberibus caesi in pistrina coniicerentur[16]), quibus fruges molis circumactis comminuebantur. Horum praeterea fronti varia signa inscripserant. Quare eos ex hostibus captis constitisse probabile est. Hinc quod, Eustathio teste, vocibus *στίγων* et *πέδων* pro *στιγματίας καὶ πεδήτης* usus est poëta, id recte ad nostram fabulam Dindorfius traxit[17]). Quum in scenam ingrederentur, his verbis iussi[18]):

---

[12]) Photius p. 546, 5. Dindorf. Arist. fr. 45 p. 57.

[13]) *κατὰ στοίχους* ad chorum pertinere, cognitum est, cfr. Kosterum de parabasi p. 4 seq.

[14]) Hesych. s. v. *Σαμίων ὁ δῆμος.*

[15]) Id. s. v. *Ἰστριανά.*

[16]) Terent. Andr. I, 2, 28. Lysias in Apolog. p. 93. Ruhnken. epist. crit. p. 208.

[17]) Dindorf. Arist. fr. 46, p. 58. Eustath. „*οὕτω δὲ καὶ ὁ γράψας, ὅτι στίγων καὶ πέδων δοῦλος ὁ στιγματίας καὶ πεδήτης παρὰ Ἀριστοφάνει, μετ' ὀλίγα λέγει, ὅτι τριπέδων ὁ τρίδουλος,*" ita enim pro *τριπαίδων* scribendum esse suspicor.

[18]) Id ib. fr. 47.

Ἵστασθ᾽ ἐφεξῆς πάντες ἐπὶ τρεῖς ἀσπίδας,

tres ordines effecisse videntur. Maxime autem memorabilis est versus de iisdem dictus:

Σαμίων ὁ δῆμός ἐστιν; ὡς πολυγράμματος!

de quo quod traditum est, accuratius erit explanandum. Plutarchus in Periclis [19]) vita rebus in Samio bello gestis enarratis, postquam quomodo sese invicem hostes contumelia affecerint exposuit, „πρὸς ταῦτα τὰ στίγματα" ait „λέγουσι καὶ τὸ Ἀριστοφάνειον ᾐνίχθαι." Contendit igitur, ex quorundam opinione servos illos propterea cum Samiorum populo conferri et comparari, quia servi Samiique sunt „ἐστιγμένοι". Sed neque ipse se eam interpretandi rationem probare, neque omnium esse eum sermonem, scriptor significat. Non mirum igitur, quod alibi alia legimus. Sunt enim qui non tam ad στίγματα comparantem spectasse, quam Samiorum civitatem, tanquam e servis compositam, irridere voluisse perhibeant, eiusque rei probandae caussa ad Aristotelem provocent. „Οἱ γὰρ Σάμιοι" Photius et Suidas aiunt [20]) „καταπονηθέντες ὑπὸ τῶν τυράννων σπάνει τῶν πολιτευομένων ἐπέγραψαν τοῖς δούλοις ἐκ πέντε στατήρων τὴν ἰσοπολιτείαν, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Σαμίων πολιτείᾳ." Eam tamen versus interpretationem doctam et ingeniosam esse quanquam nemo negabit, nimis equidem quaesitam et comoediae, utpote ex interiore alieni populi historia petitam, minus accommodatam esse arbitror. Sed praeterea aliam viam alii ingressi sunt, „ἢ ὅτι παρὰ Σαμίοις εὑρέθη πρώτοις τὰ κδ´ γράμματα ὑπὸ Καλλιστράτου," quorum opinio Frid. Aug. Wolfii assensionem tulit [21]). Neque ego rem veram esse posse praefracte negaverim. Plutarchea enim, quam eandem Suidas Photiusque ultimo proferunt loco, versus interpretatio ad primam verborum partem pertinet, ad quaestionem Σαμίων ὁ δῆμός

---

19) Plut. Pericl. c. 26, p. 166 d.

20) Uterque s. v. Σαμίων ὁ δῆμος iisdem fere verbis eadem tradunt.

21) Wolf. Prolegg. ad Hom. p. LXIII „Eo pertinuit dicterium Aristophanis in Babyloniis." Quid sibi velit Dindorfius Ar. fragm. p. 57, non satis perspicio. Breviter hanc interpretationem ab ipsis grammaticis refutatam esse ait.

ἐστιν; altera ad alteram ὡς πολυγράμματος? pertinere potest. Si minus omnes, nonnulli tamen haud dubie vim totius dicterii intelligebant; duplicemque eius notionem perspiciebant. Saepe enim Aristophanes ita ludit. Non dissentio igitur a Brunckio, ita versum transferente: „Samiorumne video populum? quam multis notis compuncti sunt"[22]), sed simul γράμματα ita dicta esse credo, ut pluribus illos litteris uti, quam Athenienses aliosque Graecos, innuatur.

Quo consilio autem Aristophanes choro e servis composito usus sit, in fragmentorum servatorum paucitate explicatu est difficillimum. Quum primum in theatro apparerent, qui primus eos vidit, eorum adspectu est perterritus nec quales essent illi homines perspexit. Verba enim illa qui dixit, erat καταπληττόμενος τὴν ὄψιν αὐτῶν καὶ ἐπαπορῶν[23]). „Τάττεται δὲ" inquit Suidas[24]) „ἐπὶ τῶν δεδιότων (?) τινὰς ἀνηκέστους κακῶν συμφορὰς, παρόσον Ἀθηναῖοι τοὺς Σαμίους ἔστιξαν." Ad eundem timorem Michaël Apostolius alludit „μαστιγίας" dicens: „ἐπὶ τῶν περιδείλων"[25]). Fortassis igitur propter aliquam rem provocati servi, quia mala multa passi erant, vel maiora et foediora timentes prodibant. Quapropter autem in scenam ducti sint, ex Athenaeo licet suspicari, qui de voce ὀξύβαφον locutus[26]) „ὅταν ὁ Διόνυσος λέγῃ περὶ τῶν Ἀθήνησι δημαγωγῶν,

---

[22]) Brunck. in Arist. fragm. Βαβυλ. XV. Toup. ad schol. Theocrit. p. 217. Schaef. ad Pericl. Plut. p. 271, 1 (v. IV, p. 356). Interpres Plutarchi illam alteram interpretandi rationem in ipsum intulerat Plutarchum. Ceterum interrogandi signum post ἐστιν ponendum esse credo, quod Brunckius in interpretatione Latina posuit; Plutarchi editores in Graeco quem vocant textu, Schaefero non excepto, non fecerunt. Hesychii verba mihi id demonstrare videntur.

[23]) Hesych. s. v. Σαμίων ὁ δῆμος.

[24]) Mirabuntur fortasse nonnulli, quod haec verba huc traxi. Exemplaria enim nostra a voce Σαμαίνα novam vocem a Suida explicari sumunt, et quae inde sequuntur, a voce Σαμίων ὁ δῆμος distrahunt. Male! Nam Σαμαίνα si non cohaereret arctissime cum praecedentibus, hoc loco propter litterarum ordinem poni non potuisset. Photii lexicon docet, ea esse coniungenda. Ut Plutarchus, ita hi lexicographi, vocem Σαμαίνα commemoratam explicant. Postquam igitur apud Suidam de vocis origine disputatum est, notio quae ei subest peculiaris explicatur.

[25]) cfr. Dindorf. fr. Babyl. 1.

[26]) Athen. XI, 494 d. Dindorf. fr. Babyl. 6.

ὡς αὐτὸν ᾔτουν ἐπὶ τὴν δίκην ἀπελθόντα ὀξυβάφω δύο," quibus e verbis, in illa fabula iudicium actum esse, Dionyso praesidente, intelligitur. Non absonum igitur erit, si ad hoc iudicium servos esse vocatos sumimus. Audeo meam coniecturam de hac re proponere, audacem sane, sed, ut puto, verisimilem totique fabulae rationi accommodatam; sed nihil esse, nisi coniecturam, ipse scio. Pericle mortuo, quum plures homines civitate indigni rempublicam gererent rebusque omnibus praeesse conarentur: primus inter eos, teste Aristophane, per tempus aliquod suum est assecutus consilium Eucrates, Melitensis [27]). Is saepe irrisus ac reprehensus ab Aristophane haud dubie in hac quoque fabula est morsus, in qua, ut scholiastae dicunt, „πολλοὺς κακὰ εἶπεν· ἐκωμῴδησε γὰρ τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχὰς καὶ Κλέωνα" [28]). In Equitibus poëta de oraculi responso loquitur, in quo dictum erat:

ὡς πρῶτα μὲν στυππειοπώλης γίγνεται
ὃς πρῶτος ἕξει τῆς πόλεως τὰ πράγματα,

quod de Eucrate scholiastae explicant. Eum qui sequitur προβατοπώλης, a Cleone excipitur. In eadem fabula paullo post, quae eius sors fuerit, exponitur. Dicit enim poëta de Cleone [29]):

εὐλαβοῦ δὲ μὴ 'κφύγῃ σε· καὶ γὰρ οἶδε τὰς ὁδούς,
ὥσπερ Εὐκράτης ἔφευγεν εὐθὺ τῶν κυρηβίων,

ad quae verba scholiasta haec addidit: „ἔνθα αἱ κάγχρυς φρύγονται· κάγχρυς δέ εἰσιν αἱ λελεπισμέναι κριθαὶ, ἀφ' ὧν ἡ πτισάνη· σκώπτει δὲ καὶ τὸν Εὐκράτην, ὡς τοιαύτην τέχνην ἔχοντα· ἐν ἄλλοις γοῦν φανερωτέρως φησί

καὶ σὺ κυρηβιοπῶλα Εὔκρατες στύπαξ.

Praeterea in Γήρᾳ eundem perstrinxerat et Μελιτέα κάπρον vocaverat, quam rem dupliciter explicant Photius et Hesychius [30]), aut propter eius δασύτητα, aut ὅτι μύλωνας ἐκέκτητο, ἐν οἷς σῦς ἔτρεφεν.

---

[27]) Arist. Equitt. v. 129.
[28]) Schol. ad Ar. Acharn. 356.
[29]) Ar. Equitt. 254.
[30]) Photius p. 256, 7. Hesychius s. v. Μελιτεὺς κάπρος. Suevern. de

Quae qui inter se componit, Eucratem iudicio esse a civitate gerenda non solum remotum, sed etiam vix fuga vitam suam sibi servasse, malis adiutum, intelliget. Eius caussa quando acta sit coram iudicibus, incertum est; quoniam de eo praeter nostrum poëtam scriptores tacuerunt, quia breve gessit imperium neque quidquam magni perfecit. Est tamen, unde aliquid coniicere possis. Nam aestate ea, quae hanc fabulam nostram praecessit, quum Mitylenaeorum caussa Athenis ageretur, Cleo, Cleaneti filius, primum a Thucydide commemoratur[31]) diciturque „τῷ τε δήμῳ παραπολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατος.“ Quare ante hoc tempus fortasse ab ipso Cleone Eucrates potestate sua est exutus. Memorabile est, illo ipso tempore Diodotum, Eucratis filium, fortasse huius nostri, produci, ut Cleonis adversarium, ac sententia sua meliore victoriam deportasse. Iam quum Pericles duobus circiter annis mortuus esset, illo ipso fortasse tempore vel brevi ante caussa Eucratis acta est. Nam quem secundo loco rempublicam capessivisse poëta dicit, is tam parum notus est, ut eius nomen scholiastae aut Calliam dicant aut Lysiclem[33]); qua ex re colligendum, brevissimo tempore eius imperium inclusum fuisse.

His rebus adductus, caussam Eucratis in hac fabula esse a poëta propositam coniicio; cuius molarum possessio effecisse videtur, ut in servos molitores eius inquireretur. Ac profecto inter fragmenta, quae ad nostram aetatem pervenerunt, sunt quae talis caussae contra Eucratem actae testimonia haberi possint. Ego certe huc referre audeo duo. Primum enim Priscianus[34]) „Aristophanes“ ait „in Babyloniis ἐννεύει με φεύγειν οἴκαδε. Nos quoque similiter, annuit me fugere domum,“ quae ab ipso Eucrate dicta esse arbitror. Deinde a Polluce[35]) „περὶ

Arist. Γῆρᾳ p. 12. Dindorf. Ar. fr. Γῆρ. 16 n. 193. Fortasse κάπρος et ἄρκτος simul ad nomen Eucratis alludit. In Ranis v. 502 eum intelligi posse, supra conieci.

31) Thucyd. III, 26.

32) Ib. c. 41.

33) Schol. ad Arist. Equitt. 287.

34) Dindorf. in Arist. fragg. Babyl. 16. n. 58.

35) Id. ib. 17, n. 59. In Polluce est scripturae varietas ἔχειν pro εἰς; sed Kuhnius et Hemsterhusius recte εἰς receperunt.

τῶν τῆς κλίνας ἐπόντων," haec proferuntur „εἴποις δ' ἂν οἶμαι καὶ χνοῦν καὶ μνοῦν, ἐπὶ τῶν μαλακῶν, Ἀριστοφάνους εἰπόντος μὲν ἐν Βαβυλωνίοις „εἰς ἄχυρα καὶ χνοῦν,"" quae cum prioribus illis cohaerere credo. Id elucebit nobis eo magis, si versum supra ex Equitibus allatum comparamus et scholiastarum adnotata addimus. Κυρήβια enim illic ita explicantur „κυρήβια δέ εἰσι τὰ πίτυρα καὶ ἄχυρα τῶν πυρῶν ἢ κριθῶν" cett. Quare iure meo me haec ad eandem rem trahere posse puto. Eucrates igitur lite sibi illata, quum se eam amittere vidisset, domum fugit, ibique se occultavit, deinde urbem clam reliquit itaque perniciem sibi paratam evitavit. Quae si vera sunt (verisimilia esse nemo infitiabitur), non ineptum est, aliam his adiungere coniecturam. Hesychius enim, ubi Babylonios servos molitores vocat, ait „φησί τις περὶ τῶν Ἀριστοφάνους, τοὺς ἐκ μυλῶνος ἰδών; interpretes variis rationibus locum vexarunt[36]): equidem non ineptum esse puto, reliquis intactis relictis, scribere: περὶ τῶν Εὐκράτους.

Haec fabula nostra quum iam Suidae aetate non superesset amplius, non mirum videbitur, quod ubi Eucrates memoratur, non memorant, eum in Babyloniis irrisum esse prae ceteris. Quanquam versus „καὶ σὺ κυρηβιοπῶλα Εὔκρατες στύπαξ" ex ipsa hac fabula petitus esse potest. Hinc nihil nisi Cleonem potissimum vexatum esse censent, ex lite ab illo Aristophani illata id colligentes[37]). Tamen non dubito affirmare, eius quoque magnas in ea fabula partes fuisse. Nam in Eucrate accusando haud dubie Cleo quoque versatus est; ac sine dubio aliorum ipse criminum a poëta accusabatur.

Praeter chorum autem, quibus personis usus fuerit poëta, non constat. Bacchi praecipuas partes fuisse, ex Athenaeo vidit Brunckius[38]), atque post eum Dindorfius[39]), sed quales fue-

---

[36]) Steph. dedit „παρὰ τῷ Ἀριστοφάνει." Heinsius „τῶν παρ' Ἀριστοφάνει". Salmasius „φησί τις παρὰ τῷ Ἀριστοφάνει." Τις pro τι indubitanter recepi.

[37]) Alioqui enim Cleo non tam fortiter contra Aristophanem pugnasset, eiusque comoediam removere studuisset.

[38]) Brunck. de Arist. fragmm. Babyl. n. 15.

[39]) Dindorf. ad Ar. fr. Babyl. n. 6. Idem utrum recte coniecerit, Dio-

rint, nemo exposuit. Quare quum quaestionem de externa dramatis forma satis incertam relinquere cogamur, ad argumentum, quod sibi proposuerat poëta, inquirendum, de quo plura accepimus, lubentissime transimus. In parabasi non est de se suisque meritis locutus[40]).

De argumento fabulae proposito dubitantes ad ipsum poëtam reverti possumus, qui fabula sequente anno ac Lenaeis quidem docta multa de se ipse locutus exposuit. Loquitur enim ita[41]):

φησὶν δ' εἶναι πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιος ὑμῖν ὁ ποιητής,
παύσας ὑμᾶς ξενικοῖσι λόγοις μὴ λίαν ἐξαπατᾶσθαι,
μήθ' ἥδεσθαι θωπευομένους μήτ' εἶναι χαυνοπολίτας.
πρότερον δ' ὑμᾶς ἀπὸ τῶν πόλεων οἱ πρέσβεις ἐξαπατῶντες
πρῶτον μὲν ἰοστεφάνους ἐκάλουν· κἀπειδὴ τοῦτό τις εἴποι,
εὐθὺς διὰ τοὺς στεφάνους ἐπ' ἄκρων τῶν πυγιδίων ἐκάθησθε.
εἰ δέ τις ὑμᾶς ὑποθωπεύσας λιπαρὰς καλέσειεν Ἀθήνας,
εὕρετο πᾶν ἂν διὰ τὰς λιπαράς, ἀφύων τιμὴν περιάψας.
ταῦτα ποιήσας πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιος ὑμῖν γεγένηται,
καὶ τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξας, ὡς δημοκρατοῦνται.

Atque interpositis quibusdam de sua laude, quam sibi inde contraxisset[42]), pergit ita[43]):

ἀλλ' ὑμεῖς τοι μή ποτ' ἀφῆθ', ὡς κωμῳδήσει τὰ δίκαια·
φησὶν δ' ὑμᾶς πολλὰ διδάξειν ἀγάθ', ὥστ' εὐδαίμονας εἶναι,
οὐ θωπεύων, οὐδ' ὑποτείνων μισθούς, οὐδ' ἐξαπατύλλων,
οὐδὲ πανουργῶν, οὐδὲ κατάρδων, ἀλλὰ τὰ βέλτιστα διδάσκων.

Quae quicunque legit, non potest non admirari poëtam, qui

---

nysi ex concione redeuntis verba fuisse, quae Athenaeus III, 86 f. servavit, non decernere audeo. Vellem vir doctus caussas coniecturae proposuisset.

40) De Daetalensibus et Babyloniis id ipse profitetur in Acharnn. v. 628 seq.

41) Arist. Acharnn. 633—642.

42) De his versibus multa diximus, de patria poëtae disserentes.

43) Arist. Acharnn. v. 655—658.

ut virum ingenuum nobilemque decet, libere animi sententiam profiteatur. Non potest dubium esse, quin ipsos Athenienses eorumque praesides Babyloniis acerrime iustissimeque vituperaverit, summamque poëticae indolis vim et pondus, ut eos a vitiis retraheret et removeret, adhibuerit. Iam quaeritur, quae vitia potissimum in eius reprehensionem inciderint. Ea nunc, quanta poterimus diligentia, explicabimus.

Ac primum quidem Athenienses poëta obiurgavit, quod adulationibus facile se decipi paterentur, ipsique ἰοστέφανοι vocati et splendidas Athenas vocatas audientes non resistere possent, sed legatis ab urbibus missis sese traderent, et quidquid illi peregrina dicendi oratione poscerent, id concederent omne. Acharnenses igitur quum docerentur, se effecisse gloriatus est, ut ne amplius in illud inciderent vitium. Quae quidem reprehensio quo pertinuerit, haud est explicatu difficile. Neque credo quenquam mihi adversaturum, si imprimis Gorgiam eiusque Siculam legationem tangi contendo. Proponenti autem mihi hanc sententiam sua sponte ad Suevernium, virum eximium, litteris nuper et civitati nostrae morte ereptum, animus delabitur, cui si viveret maxime dicari vellem has de Aristophaneis fabulis quaestiones, ab ipso non sine laude magna exceptas. Quae vivo Suevernio ab initio huius commentationis scripseram, ea post eius mortem reliqui intacta, quia quae illo tempore iudicabam, ea nunc quoque meam animi veram continent sententiam. Multa ille in Aristophanem beneficia contulit, cum ipse scribens et exponens de eius carminibus, tum alios ut in idem argumentum ingrederentur, sua ingenii ubertate excitans et inflammans. Illius igitur sententiae partim praebentes partim eripientes assensionem, semper tamen non sine ingenii eius eximia indole agnoscenda versamur. Is autem Suevernius iam pridem recte ex uno nobis servato versu[44]):

---

[44]) Etymol. M. p. 311, 1. Suevern. de Avibus p. 29. Foss. Gorgias, p. 29. Dindorf. Arist. fragm. n. 56 p. 60 seq. Sine dubio tamen recte Dindorfius Iacobsii coniecturam, qua sequentia verba „ῥητορικὴ ταράττων καὶ ἐμποδίζων“ cum illis coniungit et ῥήτωρ εἰκῇ ταράττων scribit, refutavit. At si ea verba falso sunt Aristophani tributa, longe incertior est Suevernii de Gorgia coniectura; ac fortasse

ἀνήρ τις ἡμῖν ἐστιν ἐγκινούμενος,

Gorgiam in hac fabula esse irrisum collegerat. De qua re eo magis assentior viro eximio, quo graviore testimonio, vel nullo fragmento servato, idem ostendere mihi licet. Ipse enim poëta id aperte ostendit versibus supra appositis.

Initio eius anni, cuius archon erat Eucles, Leontinorum urbis in Sicilia sitae, legati, duce Gorgia, oratore apud populares celebratissimo Athenas pervenerunt, ut Atheniensium auxilia contra Syracusanos impetrarent [46]). Quae quidem legatio aptiore Athenas non pervenire poterat tempore. Vetere enim disciplina desueti, *τὴν μὲν ἐπιχωρίαν παιδείαν* illi reliquerant, illaque relicta novis rebus studebant. Id ipsum superiore anno poëta vituperaverat vehementer, suosque aequales ut ad veteres mores redirent, eosque unice amplecterentur, admonuerat. Siculae mensae multiplici instructae dapum et voluptatum genere

reprobanda esset, nisi alia accederent graviora testimonia. Qui versus ad Gorgiam trahit, iis in quaestione de Gorgiae legatione uti debebit. Est enim incertum, utrum posteaquam consilium suum assecutus erat, Leontinus orator redierit, an Athenis manserit; qua de re multis Fossius disputavit, Gorg. p. 20 seqq. Ac profecto Fossius bene usus est loco Diodori, de quo eodem non aliter iudicat Leonh. Spengel, *Τεχν. Συναγ.* p. 64. Sed quod Platonem quoque, ut suam probet sententiam, in partes vocat, in ea re quam maxime fallitur; quoniam is in Hipp. mai. p. 282 d. H. St. Athenas iterum esse a Gorgia relictas ait, nihil autem de redito ad Leontinos commemorat. Fortasse autem contra Diodori sententiam is potest locus afferri. Nam si vere Diodorus dixisset, postquam consilium assecutus fuerit, Gorgiam in patriam urbem rediisse: quia statim Lachete duce classis in Siciliam missa est, vix intelligi potest, quomodo Plato dicere potuisset „*καὶ ἰδίᾳ ἐπιδείξεις ποιούμενος καὶ συνὼν τοῖς νέοις χρήματα πολλὰ εἰργάσατο.*“ Eo Platonis loco profecto confirmantur, quae a Troilo sophista dicta Spengelius protulit „*τὸν δὲ Γοργίαν Ἀθηναῖοι κατέσχον καὶ τοὺς ἑαυτῶν παῖδας παρέσχον αὐτῷ μαθησομένους,*“ quocum convenit schol. Hermogenis apud Matthiaeum ad Dionys. iud. Lys. p. 458, citatus a Fossio p. 23. Tertium testem, Plutarchum de Socrat. VIII, p. 305, qui ut Fossius p. 21 bene explicavit, reditum eius in aliud tempus transfert, adducere licet. Accedit, quod mox revertisse Gorgiam, ipse Fossius sumere coactus est. Neque per se est improbabile, Gorgiam reliquos legatos Leontinos remisisse, ipsum Athenis mansisse. His igitur omnibus caussis adductus, Gorgiam eo, quo Babylonii docebantur, tempore Athenis commoratum esse etiam tum, censeo. Ceterum conferendum est cum hoc fragmento aliud ex Holcadibus petitum, apud Dindorfium n. 362.

46) Diod. XII, 53. Thucyd. III, 86. Foss. Gorgias p. 18.

am erant receptae[46]); rhetoricae artis studio iuvenes iam dudum animos suos dicaverant; quid igitur impedire poterat, quo minus Gorgias Siculae eloquentiae indole Athenienses totos deliniret ac caperet? Ita profecto divino consilio factum est, ut optima poëtae nostri praecepta ab aequalibus non audirentur. Neque tamen mirum est, quod qui propter illa studia Athenienses accusaverat, Gorgiae quoque conatus toto animo suo exstinguere volebat. Hoc autem in Babyloniis factum esse, praeclare ostendit Diodori et Aristophanis in singulis adeo vocibus consensus. Is enim loco celebratissimo haec de Gorgia enarravit „Οὗτος οὖν καταντήσας εἰς τὰς Ἀθήνας καὶ ταραχθεὶς εἰς τὸν δῆμον διελέχθη τοῖς Ἀθηναίοις περὶ τὰς συμμαχίας καὶ τῷ ξενίζοντι τῆς λέξεως ἐξέπληξε τοὺς Ἀθηναίους, ὄντας εὐφυεῖς καὶ φιλολόγους, διαφέρουσιν ἀντιθέτοις καὶ ἰσοκώλοις καὶ παρίσοις καὶ ὁμοιοτελεύτοις καὶ τισιν ἑτέροις τοιούτοις, ἃ τότε μὲν διὰ τὸ ξένον τῆς κατασκευῆς ἀποδοχῆς ἠξιοῦτο, νῦν δε“ cett. Eademque ratione Aristophanes, ξενικοῖσι λόγοις[47]) ut ne iterum fallerentur Athenienses, sese effecisse dixerat; sed id semel tantummodo tetigit et uno verbo. Aliam igitur caussam vel maiorem Athenienses impulisse, ut legatis optata concederent, credidit. Adulatos esse Siculos legatos Atheniensibus, urbemque λιπαρὰς et ἰοστεφάνους appellasse et ita auxilia accepisse contendit. Neque id contra nostram opinionem afferri potest; quia idem tum Gorgiam fecisse, ut per se est probabile, ita eius eloquentiae genere ostenditur. Docet enim Aristoteles[48]) „ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς δεῖ τὸν λόγον ἐπεισοδιοῦν ἐπαίνοις, οἷον Ἰσοκράτης ποιεῖ· ἀεὶ γὰρ

---

46) Haec omnia superiore capite exposuimus. Hoc loco usus sum Leonhardi Spengelii verbis aptissime dictis in Art. scriptt. p. 68.

47) Ita Aristophanis verba intelligo, ut strictiore sensu capiantur, quam quo capi voluit scholiasta „τοῖς ἀπὸ τῶν ξένων πρέσβεων λεγομένοις.“ Thucydides neque Gorgiam commemorat, neque de eius orationis genere eiusque vi magna quidquam protulit: ex consuetudine sua. Quodsi Thucydides Gorgiae discipulus fuisset, haud dubie hanc non praetermisisset, eum honore afficiendi, consuetudinem; ut Antiphontem laudavit. Quanquam qui Gorgiae imitatorem eum vocat, propterea reprehendi non debet, cfr. Foss. Gorg. p. 60.

48) Arist. Rhetor. III, 17, p. 209.

τινα εἰσάγει· καὶ ὃ ἔλεγε Γοργίας, ὅτι οὐχ ὑπολείπει αὐτὸν ὁ λόγος, τοῦτό ἐστι· εἰ γὰρ Ἀχιλλέα λέγει Πηλέα ἐπαινεῖ, εἶτα Αἰακὸν, εἶτα τὸν θεόν· ὁμοίως δὲ καὶ ἀνδρίαν, ἢ τὰ καὶ τὰ ποιεῖ" cett. Idemque alibi[49]) nobis proponit „λέγεται δὲ τὰ τῶν ἐπιδεικτικῶν προοίμια ἐξ ἐπαίνου ἢ ψόγου, οἷον Γοργίας μὲν ἐν τῷ Ὀλυμπικῷ λόγῳ· ὑπὸ πολλῶν ἄξιοι θαυμάζεσθαι, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες· ἐπαινεῖ γὰρ τοὺς πανηγύρεις συνάγοντας." Idemque de encomio in Elienses scripto dicit, quod ita coeperat „Ἦλις πόλις εὐδαίμων." Ea omnia licet de epideictico dicendi genere dicta, ad has quoque, credo, orationes trahi possunt, quibus Atheniensibus, ut bellum Siculum susciperent, persuadebat. Neque id omitti potest, quod Gorgiam dicunt[50]), non solum quid sit pulchra oratio, ostendisse, sed simul, quo in loco quidque adhibendum sit docuisse. Nam Athenis adulatum esse oratorem, inde ex Atheniensium indole intelligimus. Quare de supra dictae sententiae veritate dubitari non posse censeo. Aristophanes igitur in Babyloniis propterea reprehenderat Athenienses, quod Gorgiae oratione decepti, naves in Siciliam miserant, et bellum cum Peloponnesiis gerendum ita amplificaverant.

Qua re licet reperta, tamen nondum explicata sunt omnia. Alia quoque ratione inita, qualis sit Atheniensis respublica, et quam libere comici poëtae animi sententiam proponere possint, sese demonstrasse profitetur[51]). Quae enim in verbis supra laudatis de se ipso celebrat, ea a Cleone ceterisque demagogis aliena esse in Babyloniis contenderat. Id ut ipsius poëtae versus, ita scholiastae docent, demonstratque lis comoediae doctori a Cleone illata, et ostendunt fragmenta. Sunt vero haec. Se ait optima docere cives suos, neque adulantem, neque merce-

---

[49]) Id. ib. 14, p. 197.

[50]) Spengel, Artt. scriptt. p. 80 seq.

[51]) Ita Aristophanis locum „καὶ τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξας, ὡς δημοκρατοῦνται" intelligendum esse arbitror. Eodem modo scholiasta „ἀντὶ τοῦ τὴν ἡμῶν αὐτῶν πολιτείαν ἐπιδείξας ταῖς συμμάχοις πόλεσι, τουτέστι διδάξας τοὺς συμμάχους ὡς χρὴ δημοκρατεῖσθαι." Tacent interpretes. Brunckius transfert „tum etiam ostendit sociarum civitatum incolas, ut populari regantur imperio."

dem pollicentem neque fallentem neque alia admittentem facinora unquam deprehendi posse. Inter ea quod maximum est demagogis obiectum crimen, id pluribus apparet fragmentis: demagogos non urbis caussa, sed sui ipsorum gratia administrare rempublicam et suum praeter quaestum nihil quaerere amplius; propptereaque non urbi servandae omnem curam diligentiamque impendere. Huc igitur pertinet, quod Athenaeus narrat [52]) „κἂν τοῖς Βαβυλωνίοις οὖν τοῖς Ἀριστοφάνους ἀκουσόμεθα ποτήριον τὸ ὀξύβαφον, ὅταν ὁ Διόνυσος λέγῃ περὶ τῶν Ἀθήνησι δημαγωγῶν ὡς αὐτὸν ᾔτουν ἐπὶ τὴν δίκην ἀπελθόντα ὀξυβάφω δύο· οὐ γὰρ ἄλλο τι ἡγητέον εἶναι ἢ ὅτι ἐκπώματα ᾔτουν." Huc trahendum praeterea, quod Pisandrum dixit pecunia corruptum bello oriundo ansam dedisse, his versibus corruptis [53]):

ἢ δῶρ' αἰτοῦντες ἀρχὴν πολέμου πορίσειεν
μετὰ Πεισάνδρου

quo ex fragmento simul perspici posse videtur, novum Siculum bellum exortum esse, largitionibus quoque factis. Eodem traho versus a Polluce servatos [54]):

δεῖ διακοσίων δραχμῶν.
πόθεν οὖν γένοιντ' ἄν; τὸν κότυλον τοῦτον φέρε.

Eosdem demagogos fortasse ut ignavos homines risit, quo ducere videntur fragmenta, quibus voce δύσριγος [55]) usus esse fertur et prooemio τὴν αὑτοῦ σκιὰν δέδοικεν" [56]). At omnibus abstinere coniecturis praestat, ne quae certa sunt incertis additis ipsi diminuamus. Id quidem, credo, apparuit, hanc fabulam totam esse ex intima civitatis conditione petitam, neque ullo alio consilio, quam ut urbs patria bearetur et a pernicie, qua obrui videbatur, retineretur susceptam. Nemo unquam obtinere aut voluit aut potuit, poëtam haec odio in singulos

---

[52]) Diod. fr. Babyl. VI, p. 58.
[53]) Ib. n. VIII, p. 50.
[54]) Ib. n. XI, p. 53.
[55]) Ib. n. XXIV, p. 66.
[56]) Ib. n. XX, p. 62.

homines singulari permotum scripsisse; sed quo postea modo coram civibus suis de se ipso loqui poterat, is ingenuum hominem omnia animi nobilitate motum aggressum, nullo timore absterritum, urbis patriae salutem solam spectasse. Severam hanc indolem ubique animadvertimus.

Aristophaneae autem comoediae proprium est, non irridere solum et mordere malos, sed laudibus afficere etiam bonos et reipublicae utiles cives. Ita quanquam hac quoque fabula nihil antiquius poëta habuit, quam ut a bellis abstraheret cives suos: tamen ubi boni urbisque splendore digni militis meminerit, haud dubie eum esse laudatum sumere possumus. Non igitur solum flagellat Cleonem, sed etiam laudat Phormionem, qui bis navali proelio Lacedaemonios vicerat. Eumque prorsus contrariae indolis fuisse quam illos, quos suis poëta exagitavit comoediis, discimus e multis comoediis, quibus est ab Aristophane aliisque Comicis commemoratus. Maxime autem huc faciunt, quae enarrat scholiastes „ὁ δὲ Φορμίων οὗτος Ἀθηναῖος τῷ γένει, υἱὸς Ἀσωπίου, ὃς καθαρῶς στρατηγήσας πένης ἐγένετο“ [57]).

His omnibus expositis, ad fabulae inscriptionem redeundum est. Hemsterhusius enim ad Pollucem [58]) de argumento fabulae ita disputat: „scholiastes ad Rhetoricam Aristotelis scriptam eam refert in Babylonios, cuius ingenii comoedias non paucas in scenam esse datas, quibus alicuius populi vitam agendique modum risui exponerent, pluribus ad Pollucem aperuimus.“ Eodem aliorum quoque grammaticorum adnotata ducere videntur. Nam Photius et Suidas s. v. Σαμίων ὁ δῆμος dicunt, dici haec ab Aristophane in irrisionem servorum „ἐπισκώπτων τοὺς ἐστιγμένους“ sed quae ab initio protuli, ostendunt, rem sese aliter habere. Non est difficile intellectu, cur Graeci Babyloniorum nomine utebantur, ut universe barbaros signi-

---

57) cfr. schol. ad Pac. 347, ap. Dind. in Addendd. ad Arist. fr. p. V. Adde Equitt. Ar. 560. Lysistr. 804 cum scholl. et Interprett.

58) Hemst. ad Poll. X, 38. Schweigh. ad Athen. Animadvv. II, p. 86 promisit, de argumento fabulae se in indice Auctorum loqui velle, sed promisso non stetit.

ficarent, quorum gloria ab antiquissimis temporibus repetenda sine dubio iam diu ante Persarum in Graeciam irruptionem nota erat. Accedit fama de magna eorum mollitudine vitaque, quam agebant, deliciosa, qua reliquos omnes populos longe superarunt. Sine dubio *Σεμιράμιδος ἔργα* iam dudum Athenis quoque in proverbium abierant [59]). Quidquid igitur magni in Asia gestum est, id Babyloniis, utpote omnium populorum celeberrimo videtur esse delatum [60]). Accuratiorem autem Babyloniorum cognitionem plebi Atheniensi non possumus adscribere [61]); Aristophani Graecisque cultioribus possumus, imprimis ex quo Herodoti historia legi atque amari coepit, quod iam tum factum esse nemo infitiari neque volet neque poterit.

XXXIV.

Quum Callistratus Babylonios docuisset, ut antea vidimus, a Cleone accusatus in magnum periculum incidit, et vix ex eo evasit. Litem autem poëtae illatam solum nostrum poëtam spectasse; neque totam comoediam eiusque indolem esse a Cleone impugnatam, ex Aristophanis ipsius dictis sequitur. Errat igitur scholiasta, qui certae rerum cognitionis ignarus, id factum esse [62]) suspicatur „*ἐψηφίσατο γὰρ ὁ Κλέων μηκέτι δεῖν κωμῳδίας ἐπὶ θεάτρων εἰσάγεσθαι, ὅτι δὴ ξένων παρόντων πολίτας ἔσκωπτον.*“ Cleo tamen, quanquam populo Atheniensi amicissimus, victus litem amisit [63]), neque impedire potuit, quo mi-

---

59) In Avv. 552 „*περιτειχίζειν μεγάλαις πλίνθοις ὀπταῖς, ὥσπερ Βαβυλῶνα*“, cfr. Herod. I, 187. Diod. Sic. II, 7. Curt. V, 1.

60) Fortasse propterea, quia dialecti, quam Semiticam vocamus, barbara indoles maxime mira Graecis visa est; Babylonii autem omnium eorum locorum principem tenebant locum, cfr. Heeren's vermischte histor. Schriften III, 332.

61) In ipsa Atheniensi historia Athenienses famam saepe falsam sequebantur.

62) Schol. ad Arist. Vespp. 1282. Adde Dind. Arist. fragm. in Addendd., cuius tamen opinionem non amplector. Meram haec verba scholiastae continent coniecturam.

63) Demagogi vel populo dilectissimi tamen saepe suam non poterant perferre sententiam. Hoc ipso tempore frustra Mitylenaeorum caedem voluit Cleo efficere; frustra accusavit Aristophanem; ipse tamen ab Equitibus accusatus, quinque talenta solvere est coactus, Acharn. 5.

mus paucis mensibus praeteritis, sequente anno iterum laceraretur et perstringeretur. Tota igitur comoediae licentia servata est.

De tempore, quo Acharnensium docuerit poëta fabulam, quaestio haud difficilis ad respondendum esse videtur, quanquam quae nobis tradita est et post argumentum legitur didascalica nota varie est a viris doctis agitata. Est autem haec: „ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυμένους ἄρχοντος ἐν Ληναίοις διὰ Καλλιστράτου· καὶ πρῶτος ἦν· δεύτερος Κρατῖνος Χειμαζομένοις· οὐ σώζονται [64]). τρίτος Εὔπολις Νουμηνίαις.“ Iam quum Ios. Scaliger [65]), vir summus, ex reliquis scriptoribus unum tantummodo Euthymenem archontem cognovisset, indubitanter didascaliam secutus, in Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Ol. 85, 4 fabulam rettulit; quod fabulae argumento, ex primis Peloponnesiaci belli annis aperte petito, toto caelo repugnat. Aliam viam ingressus Frischlinus non minus a veritate aberravit. Is enim in occasione fabulae demonstranda [66]), postquam reliqua omnia exposuit, ad Siculum usque bellum descendit eoque tempore, quo fabula docta sit, Lamachum iam mortuum fuisse contendit. Quae opinio ne cui ineptissima videatur, erit monendum, eum ut verisimile est, non sine iudicio in illud tempus delapsum, sed seductum esse Thucydidis aliorumque scriptorum silentio, qui Lamachum nonnisi illius expeditionis initio et decursu, raro

---

[64]) Recepi e codice Ravennate scripturam „οὐ σώζονται“ pro „οὐ σώζεται“ cum Dindorfio et Bekkero, qui pluralis numerus a voce Χειμαζόμενοι pendet. Nam ne hac quidem scriptura inducor, ut Elmsleio assentiar qui haec verba alio loco exhibet et post Eupolidis Numenias contra libros manu scriptos reiicit. Is autem non contentus, in notis ad Acharnensium fabulam verba scholiastae mutasse, ad Medeam p. 71 adeo male fecisse huius argumenti scriptorem iudicat, quod solam Cratini fabulam non extare monuerit. Aeque enim ignotam Eupolidis fabulam ac forsan nunquam editam esse censet; de qua re cfr. Meineke Q. Sc. I, p. 40. Elmsleio cautius de hac re locutus est Boeckhius de Lenaeis p. 86. Equidem vere Eupolidis fabulam non editam esse propter tertium, quod accepit, praemium censeo. Id ipsum sciebat scholiastes, ac propterea nihil omnino addebat. Cratini Χειμαζομένους, quoniam edi potuerant, non extare notabat. Iam dubium manet, utrum edita non sit, an edita interierit.

[65]) Scal. in Olymp. Anagr. p. 321 a. Eandem opinionem Musgravius in Chronologia scenica, Euripidi Beckiano praemissa, secutus est.

[66]) Frischl. in Aristoph. Acharn. Latine translatis p. 545.

antea commemorat[67]. Quippe fugerat eum, Lamachum non in peregrinis terris pugnantem a poëta induci, sed Athenas ipsas defendentem: qua ex re coniici potest, eum illo tempore militum, quibus onus urbis defendendae iniunctum erat, cohortibus imperasse ac postea demum ab Atheniensibus in alienas terras missum esse. Praeterea fortasse inter se contulerat Acharnn. v. 597 „ἐχειροτόνησαν γάρ με“ cum schol. verbis ad v. 270 notatis „ὁ Λάμαχος οὗτος Ἀθηναίων στρατηγὸς, υἱὸς Ξενοφάνους, ὃν ὅτε εἰς Σικελίαν ἔπλεον οἱ Ἀθηναῖοι ἐχειροτόνησαν· ἦν δὲ μετ' Ἀλκιβιάδου καὶ Νικίου, ὡς ἱστορεῖ Θουκυδίδης ς'· ἦν δὲ φιλοπόλεμος οὗτος.“ Tertius erravit in tempore indicando Reiskius, qui nostram comoediam uno anno posteriorem esse ratus comoedia contra Cleonem scripta, hac sententia sua seductus, poëtae nostri verba adeo mutare ausus est[68]. De Babyloniorum fabula, quam scholiastae produnt, neglexerat atque fortasse in idem, cum vitae scriptore anonymo, de quo supra locuti sumus, vitium incidit. Reliquorum autem erroribus missis, ad eam transimus sententiam, quam Palmerius, Petitus, Elmsleius[69]) aliique receperunt. Statuunt enim anno ante Equites Acharnenses doctos esse, Olympiadis octogesimae octavae anno tertio, eo archonte, quem Diodorus Siculus[70]) Euthydemum, vitae autem Thucydidiae scriptor[71]) Euthynum vocant; eumque credunt in nostris notis didascalicis Euthymenem esse appellatum. Nominum autem similitudine deceptus Elmsleius nostrum archontem ab Athenaeo duobus in locis, p. 217 B. et 218 B., Euthydemum vocari censuit; quum priore loco aperte scriptor et disertis verbis enuntiaverit, se de eo loqui, quem sequatur Apollodorus; ac posteriore tantummodo vere archon noster, sed contra veritatem commemoretur. Scimus enim e Thucydide, Hipponicum Eucle archonte Tanagraeos

---

[67]) Thucyd. IV, 75.
[68]) Reisk. ad Arist. Acharnn. 301, ubi pro κατατεμῶ scribendum esse censuit κατέταμον.
[69]) cfr. Interprett. ad Acharnn. argum.
[70]) Diod. Sicul. XII, 58.
[71]) Thucyd. vol. I, p. XXXIX ed. Bipont.

fugasse, Ol. 88, 2, non eo, qui hunc excepit, imperium gerente [72]. Sed qui potuerit vir doctissimus ita decipi, ut ad Aristophanis scholiastam ad Pacem v. 588 provocaret ibique Scythodorum appellatum esse archontem nostrum censere, vix perspici licet [73]), quum Pythodorus illic nominatus prior, non posterior fuerit, sub quo Phidias τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν τῆς Ἀθηνᾶς exstruxit. Aut ex errore igitur scholiasta Πυθόδωρον cum Scythodoro quodam commutavit; aut, quod non improbabile est, Comicorum lusibus est seductus, qui archontem ita nominarant, quo imperante Phormio est in Thraciam missus et Peloponnesiacum bellum incepit; cuius rei exempla non rara inveniuntur.

Iam quum nobis inter Euthynum, Euthydemum et Euthymenem eligendum sit, difficile erit certam sequi sententiam. At Euthynum ex Euthydemo, non ex Euthymene corruptum esse, docere voluit, alio loco comparato, Dukerus [74]), Euthymenis autem nomen in didascalica nota a scriptore argumenti fortasse esse inventum suspicari possis ex versu, qui in Acharnensium fabula legitur, qua legatos ad Persas abiisse narratur ἐπὶ Εὐθυμένους ἄρχοντος [75]). Quamobrem cum Dodwellio, Casaubono [76]) aliisque permultis Euthydemi nomen illius archontis verum esse sumeremus, nisi didascaliarum auctoritas nos valde impediret, quae quum antiquissima monumenta nobis proponant, nunquam negligi debent. Sed id ipsum, argumenti scriptorem nullum alium annum designare voluisse, erit nobis demonstrandum.

---

[72]) Memorabile est, eodem modo paullo post iterum a veritate aberrasse Athenaeum, quia inducias annuas Isarcho archonte factas esse contendit, quas Diodorus et Thucydides ad Amyniam reiiciunt, cfr. Casaub. in Schweigh. Animm. ad Athen. vol. III, p. 239.

[73]) Quid verum sit, docuit iam Palmerius ad Pac. v. 604 ubi pro Pythodoro Diodorum, pro Scythodoro autem Pythodorum reposuit. Adde C. O. Mueller de Phidiae vita et operibus Gottingae 1827, p. 30 seqq.

[74]) „In Thucydide VI, 69 idem nomen corruptum erat in Εὔδημος" Duker ad Marcell. vit. p. LV, ed. Bipont.

[75]) Arist. Acharnn. 67.

[76]) Dodwell in Annall. Thucydd. VI anni belli Peloponnesiaci, Casaub. ad Athen. p. 238.

Anno tertio Olympiadis octogesimae octavae fabulam esse in certamen commissam, suspicari et colligere possumus, si neglecta nota didascalica, ipsum poëtam adimus. Ac nihil fuit, quo qui chronologiam carminum definire volebant, maiore confidentia niterentur, quam haec poëtae verba [77]):

ἕκτῳ σ' ἔτει προσεῖπον ἐς
τὸν δῆμον ἐλθὼν ἄσμενος
σπονδὰς ποιησάμενος ἐμαυ-
τῷ πραγμάτων τε καὶ μαχῶν
καὶ Λαμάχων ἀπαλλαγείς.

quibus verbis Dicaeopolis, ex urbe in agros redux factus, Phaleti et Baccho pompam ducit. Quae quidem ratio aliis eiusdem fabulae versibus confirmatur, quibus Dicaeopolis anguillam, a Boeoto quodam ex Copaico lacu allatam salutat [78]):

σκέψασθε παῖδες τὴν ἀρίστην ἔγχελυν,
ἥκουσαν ἕκτῳ μόλις ἔτει ποθουμένην·
προσείπατ' αὐτὴν ὦ τέκνα,

quam impedito inter Boeotos et Athenienses per sex annos commercio frustra desiderarat. Ex scholiastis unum tantummodo aliquid annotasse videmus, his verbis usum [79]) „*ἕκτον γὰρ ἦν λοιπὸν ἔτος, ἀφ' οὗ ὁ πόλεμος Ἀθηναίοις πρὸς Πελοποννησίους συνέστη*“, quem eundem esse, qui notam aliam quandam scripsit [80]) „*χειμῶνος γὰρ λοιπὸν ὄντος εἰς τὰ Λήναια καθῆκε τὸ δρᾶμα*“ usus vocis *λοιπὸς* docet. Ex eo tamen nihil discimus, nisi quod ipsis inest Aristophanis verbis, sextum nondum praeteriisse annum. De qua re priusquam audiremus, ante omnia quaerendum est, quo haec omnia dicta a poëta fingantur tempore; et quomodo computationem hanc instituere potuerit. Nam, anno post Acharnensium fabulam editam, si vera est, quae vulgo fertur, opinio de Acharnensium

---

77) Ar. Acharnn. 266—270.

78) Id. ib. 889—890.

79) ad Acharnn. v. 266.

80) ad v. 503, ubi iterum dicitur „*χειμὼν γὰρ λοιπὸν ἦν*“ quam loquendi rationem reprehendit Boeckhius de Lenaeis l. l.

tempore, quo Equites docuit poëta audacissimus ita loquentem audimus [81]):

καὶ πῶς σὺ φιλεῖς, ὃς τοῦτον ὁρῶν οἰκοῦντ' ἐν ταῖς πιθάκναισι
καὶ γυπαρίοις καὶ πυργιδίοις ἔτος ὄγδοον, οὐκ ἐλεαίρεις ἀλλὰ καθείρξας αὐτὸν βλίττεις;

Quomodo igitur in Equitibus octavum, in Acharnensibus sextum annum potuit nominare, nisi duobus annis ante Equites Acharnenses docta fuerit? Accedit, quod in utraque fabula idem secutus consilium, non bene aliam ingressus esse viam videri potest; multos enim per annos Athenienses belli calamitatibus pressos esse, utroque in loco indicatur. Sed iam primum videmus, poëtam aliis in fabulis aliam iterum rationem esse secutum, qui Pacis fabula [82]) quum ageretur, tredecim annos numerat, ubi alii decem. Quamobrem in hac disquisitione caute versari et accurate perpendere omnia debemus, ne praeter scriptoris mentem iudicemus, et in errores incidamus. Idque primum apparet, in Acharnensibus et Equitibus annos eum computare, per quos Athenienses solos bellum presserit; neque de Lacedaemoniis atque sociis cogitasse, quod quam magni momenti sit postea videbimus.

Duplex potissimum extat belli Peloponnesiaci annos computandi genus. Alii enim quoniam Pythodoro archonte Thebani Plataeenses aggressi bellum incepisse videbantur, eo ipso anno belli initia ponunt; alii, quia in fine anni prima tantummodo quasi fundamenta iacta videntur, duoque solum menses post Plataeam expugnatam praeterierunt, ab archonte Euthydemo, quo Archidami in Atticam incursio prima suscepta est, Pythodoro misso, singulos annos numerare solent [83]). Notum est, Thucydidem archontum seriem non respexisse numerantem, sed bellum *κατὰ θέρος καὶ χειμῶνας* descripsisse, et ab uno vere ad ver alterum unum annum supputasse: ea ratione adductum, quo aptius et

---

[81]) Equitt. 792—794.
[82]) Pac. 987 seqq.
[83]) Casaub. ad Athen. III, 240. Wessel. ad Diod. Sic. V, p. 496.

facilius bellum, cuius per hiemem alia, alia per aestatem est ratio, describi posset[84]). Hinc magna non raro oritur difficultas, si quo archonte res gestae sint, solo hoc ex scriptore, in definiendis temporibus omnium accuratissimo, eruere cogimur. Ita utrum Pythodoro an, qui hunc excepit, Euthydemo archonte Athenienses agros suos reliquerint, quaerendum est. Sed quum Archidami in Atticam irruptio circiter octogesimum diem a rebus ad Plataeam gestis facta dicatur[85]) (*μετὰ τὰ ἐν Πλαταίᾳ τῶν ἐσελθόντων Θηβαίων γενόμενα ἡμέρᾳ ὀγδοηκοστῇ μάλιστα*); Thebanos autem Thargelionis initio Plataeam ingressos sciamus[86]): belli in Attica gesti initium ad Euthydemum recte esse a plerisque relatum, colligimus. Erant autem quaecunque comportari poterant, ex agris in urbem ante Archidami irruptionem illata[87]). Quare totam fere migrationem ad Pythodorum referendam esse apparet. Cui quidem sententiae favet Aristophanes. Ea enim nisi verissima esset, in Equitibus, quae fabula, ut videbimus, Stratocle archonte docta est, iam octavo homines anno in urbe versari, poëta dicere non potuisset[88]). Sed aliam mihi in utraque fabula rationem scriptor secutus esse videtur. Pythodoro enim archonte Dionysia rustica in agro omnes celebraverant, anguillasque acceperant[89]); anno post demum Euthydemo archonte primum ea omnia frustra desideraverat; nunc igitur, quum iterum archon esset Euthydemus, sexto anno in agros redibat et anguillam ex Copaico lacu acceptam salutabat. His omnibus de caussis nihil nos impedire videmus, quo minus fabulam cum didascaliis huic archonti ad-

---

84) Ideler Handb. der Chronol. I, 371. Petav. de doctr. temp. X, 28.

85) Thucyd. II, c. 19.

86) Id. ib. c. 2.

87) Id. ib. c. 18.

88) Elmsleius ad argumenti verba de his rebus non satis accurate locutus est. Nam primo integrum Pythodori annum bello nemo imputavit; deinde in Acharnensibus *ἀκριβεστέραν*, quam in Eqq. computationem adhibitam esse, quomodo dicere potuerit, vix intelligitur.

89) Thucydides affirmat, quanquam foederum perturbatio ex rebus ad Epidamnum et Corcyram gestis orta sit, commercia populorum non prohibita fuisse, I, 146 „*ἐπεμίγνυντο δὲ ὅμως ἐν αὐταῖς, καὶ παρ' ἀλλήλους ἐφοίτων.*"

scribamus. Insunt tamen nostro in carmine alia quoque, quibus quo tempore fabula acta sit, indicatur.

Ac primum quidam Theorus, a Sitalce Thracum rege reversus, producitur [90]); Odomantorumque exercitum auxilio missum secum affert. Inde quid colligi possit, videamus. Scimus autem, secundo belli Peloponnesiaci anno, archonte Euthydemo, Athenienses, a Nymphodoro, Pythei filio adiutos, Sitalcem, Thraciae regem, in societatem adscivisse, Sadocumque eius filium civem Atheniensem fecisse [91]). Quo facto, se bello, quod in Thracia gerebatur, exercitu Atheniensibus auxilio misso, finem impositurum promiserat. Archonte igitur Epaminonda, Olympiadis octogesimae septimae anno quarto, bellum contra Chalcidenses gessit et in ea expeditione Atheniensium legatos, eandem ipsam ob caussam missos secum habuit [92]). At propter Nymphodorum Theorum non missum esse ad Sitalcem Thraciae regem, inde apparet, quod hoc tempore Sadocus filius Atheniensium civis iam factus fuit, quod ostendit versus

ὁ δ' υἱὸς, ὃν Ἀθηναῖον ἐπεποιήμεθα [93]).

Posteriore aetate quae missa est legatio, anno tertio Olympiadis 87, principem non Theorum habuit, sed Learchum Callimachi et Ameniadem Philemonis filium [94]). Neque in eorum numero Theorus fuit, qui in expeditione Chalcidensi eum comitabantur: quia ipsius belli caussa venerant, non ut Athenas auxilia ducerent. Praeterea neque a Thucydide neque ab alio scriptore de alia ad Sitalcem missa legatione quidquam traditur. Iam iterum igitur ex Aristophanis comoedia rem a scriptoribus, nescio utrum consulto an temere omissam discimus; sed eam ipsam ob caussam nullum habemus testimonium, cui confisis nobis legationis tempus dicere liceat. Quare ad coniecturam confugimus. Quoniam Stratocle archonte, ut auctor

---

90) Arist. Acharn. v. 134—173.

91) Thucyd. II, c. 29.

92) Id. ib. c. 95—101.

93) Arist. Acharn. 145. Thucyd. II, 67 „τὸν Σάδοκον τὸν γεγενημένον Ἀθηναῖον.“

94) Thucyd. l. l.

est Thucydides, Sitalces bello Triballis illato, mortuus est[95]), eiusque expeditio contra Perdiccam ad Epaminondae annum pertinet: haud dubie inter Diotimum et Stratoclem archontem Theorus in Thracia versabatur. Neque a vero aberrabimus, quia per longum poëta tempus eum legationem duxisse perhibet[96]):

χρόνον μὲν οὐκ ἂν ἦμεν ἐν Θρᾴκῃ πολὺν,

si Diotimo archonte Athenas ab illo esse relictas sumimus reditumque ad archontem Euthydemum, de quo nunc loquimur, referimus. Eius rei aliud testimonium, quanquam tenue, non omittamus. Inter res innumeras, quae sibi cor momordisse Aristophanes a fabulae initio profitetur, id quoque profert, quod quum Aeschylum in theatro exspectavisset, Theognidem prodeuntem viderit eiusque tragoediam spectare coactus fuerit. Id anno Acharnensibus doctis praecedente factum esse, propterea sumendum est, quia paullo post Aristophanes aperte ad ipsum posteriorem annum transit his verbis[97]):

τῆτες δ' ἀπέθανον καὶ διεστράφην ἰδὼν,
ὅτε δὴ παρέκυψε Χαῖρις

et quae sequuntur. Is autem annus, nisi fallor, alius esse nequit, quam quo archon erat Eucles. Poëta enim de Theogni locutus et his usus verbis:

πῶς τοῦτ' ἔσεισέ μου δοκεῖς τὴν καρδίαν;

sine dubio ad σεισμοὺς alludit, qui eo anno, ineunte hieme et aestate, frequentissime Atticam aliasque terras concusserunt[98]). Iam vero aperte poëta postea indicavit, Theori legationem in illud incidisse tempus, quo Theognis Athenis tragoediam docuerit. Simili enim ratione iterum ludit eundemque hominem perstringit. Theorum enim dicentem inducit, se non tam diu in Thracia moratum esse, nisi maximum et vehementissimum gelu in illis terris propter Theognidem ortum ab itinere susci-

95) Thucyd. IV, 101.
96) Acharnn. 136.
97) Ib. 15 seqq.
98) cfr. Acharnn. 12. Thucyd. III, 87, 89.

piendo omnes prohibuisset [99]). Affirmare igitur non dubito, hanc Theori legationem vere factam et in hoc tempus incidisse. Ne tamen praetermittere necessaria videar, de Odomantis loquar. Qui populus quum in Sitalcis, Odrysarum regis, ditionem non venisset [100]), postea ipse quoque in Atheniensium societatem receptus est. Cleonem enim narrat Thucydides quum in Thracia versaretur, ad Pollen, Odomantorum regem, qui quam plurimos Thraces mercede conduxerat, auxilii petendi caussa legatos misisse [1]). Verisimile tamen est, Sitalcem Atheniensibus auxilia petentibus Odomantos mercede conducendos curasse, neque sibi subditos homines dedisse: nisi potius Theorus ipse Sitalce auctore illos homines duxit Athenasque secum attulit, quod vel magis credendum est.

Antequam poëta legatos in Thraciam missos commemoret, aliam legationem ad Persas missam produxit eamque Euthymene archonte Athenas reliquisse multosque annos frustra et temere consumpsisse enarrat [2]). Quattuor enim per annos in itinere occupati, quinto apud Persarum regem versati, nunc post undecim annos Pseudartabam, cuius iocose nomen fictum est, secum tulerunt. Qui legati fuerint, indicat scholiasta „*πρέσβεις δὲ οὗτοί εἰσιν οἱ περὶ τὸν Μόρυχον ἐμπλησθέντες τρυφῆς*“; quod unde hauserit, plane se nescire Elmsleius confitetur [3]). Ac profecto nusquam aliquid de Morycho legato ad Persas misso scriptum reperies. Noster autem poëta pluribus locis eiusdem hominis meminit. Iam primum adverte, quod quo

---

99) Arist. Acharnn. 138—140.

100) Thucyd. II, 101 „*αὐτόνομοι δ' εἰσὶ πάντες.*“

1) Id. V, 6.

2) Ar. Acharnn. 61—125.

3) cfr. schol. ad v. 61. Elmsl. ad v. 878. Ibi enim schol. de Morycho „*M. ἐπὶ ὀψοφαγίᾳ κωμῳδεῖται· ἦν δὲ καὶ τῶν ἡδέως βιούντων· τραγῳδίας δὲ ποιητὴς οὗτος.*“ Quare E. ex illo loco male intellecto, M. tragicum poëtam fuisse temere statuisse scholiastam opinatur. Comparandus est alius locus in Pace 1008—1010, addendusque scholiasta, qui Melanthium affirmat poëtam tragicum fuisse, additis verbis „*ὡς προείρηται.*“ Hinc mihi erroris, si quis est, origo repetenda videtur.

tempore legati reversi in populi concionem prodeant, Dicaeopolis regis nomine audito ita loquitur:

ποίου βασιλέως; ἄχθομαι 'γὼ πρέσβεσιν
καὶ τοῖς ταῶσι τοῖς τ' ἀλαζονεύμασιν,

et ipsis legatis visis, pergit

βαβαιὰξ ὠκβάτανα, τοῦ σχήματος

quae verba posteriora scholiasta ita explicat „ἐξίασι γὰρ οἱ πρέσβεις κεκαλλωπισμένοι ὡς ἀπὸ Ἐκβατάνων, ἥτις ἐστὶ Περσικὴ πόλις." His imprimis versus in Vespis dicti sunt nobis comparandi. In illa enim fabula pallium mittere laenamque instar pallii in collum coniicere filius patrem iubet, qui ita inter se colloquuntur [4]):

Φ. Τουτὶ τὸ κακὸν τί ἐστι πρὸς πάντων θεῶν;
Β. οἱ μὲν καλοῦσι Περσίδ', οἱ δὲ καυνάκην.
Φ. Ἐγὼ δὲ σισύραν ᾠόμην Θυμαιτίδα.
Β. Κοὐ θαῦμά γ'· ἐς Σάρδεις γὰρ οὐκ ἐλήλυθας.
ἔγνως γὰρ ἄν· νῦν δ' οὐχὶ γιγνώσκεις.
Φ. ἐγώ;
μὰ τὸν Δί' οὐ τοίνυν· ἀτὰρ δοκεῖ γέ μοι
ἐοικέναι μάλιστα Μορύχου σάγματι
Β. οὔκ, ἀλλ' ἐν Ἐκβατάνοισι ταῦθ' ὑφαίνεται.

Quibus tamen versibus quae insit iocandi ratio, nondum ab interpretibus satis explicatum est, de qua in adnotationibus ad Acharnensium fabulam accuratius agemus. Nunc id tantummodo monemus, iam antea filium patri se vitam Morychi similem comparaturum esse promisisse [5]), ac nunc quoque ut vestem Persicum ex illius more et imitatione induat cogere. Praeterea legatorum vita, qualem ipsi describunt, ad Morychi aliorumque vivendi rationem est a poëta ficta. Maior tamen est quaestio, quo tandem modo Euthymene archonte ad Persarum

---

4) Vespp. 1136—1144.
5) Vespp. 506. Ceterum Morychi domus in Platonis Phaedro commemoratur I, 1, p. 3. Bekk., ubi schol. p. 311 addit „Μόρυχος γάστρων τις ἄνθρωπος, ὃν καὶ ἡ κωμῳδία ὡς γαστρίμαργον διαβάλλει" qui non de Aristophane solo, sed de Platone etiam aliisque cogitavit, cfr. schol. ad Nubb. 109.

regem Athenienses legatos mittere potuerint; de qua ubique est scriptorum silentium. Sed quum tota fabula ad bellum Peloponnesiacum spectet, eiusque mala describat: nascitur ea mihi coniectura, ut Euthydemo archonte Morychum missum esse putem. Iam Aristophanem ioci caussa, ut plures annos in legatione commoratos eos vituperet, pro Euthydemo Euthymenem posuisse arbitrarer, nisi tales facetias ab Aristophaneae comoediae indole alienas esse scirem. Quid? si Euthydemi archontis nomen corruptum est, et secundi anni Olympiadis octogesimae septimae vere est ab Aristophane Euthymenes nuncupatus [6]). Haec autem iudicanda aliis peritioribus relinquo.

Superest, ut de mulcta ab Equitibus Cleoni illata et de tempore, quo ea facta esse possit, disputem. Statim enim a comoediae initio se gavisum esse propter quinque talenta, quae Cleo evomuerit, fatetur, idque esse ab Equitibus effectum, luculenter demonstrat [7]). Tota Equitum fabula horum gravi in Cleonem odio, tanquam fundamento, nititur. Si scholiastis, ut par est, credimus, inter Graecarum historiarum scriptores Theopompus potissimum huius inter Cleonem Equitesque inimicitiae meminit, eiusque et originem et vim in decimo Philippicorum libro exposuit [8]). Hoc igitur auctore, Cleo litibus intendendis natus factusque, contra Equites hostiliter egerat eosque λιποταξίου insimulaverat; quibus caussis diiudicandis duces, quorum numero Cleo adscriptus erat, erant praepositi. Equites autem propterea Cleonem odio persecuti δώρων accusaverant. Quale Cleonis crimen fuerit, et quo modo litem intentaverint

---

6) Scholiasta haud dubitanter de Euthymene cogitat, qui ante undecim annos archon fuit. Sed id mihi quidem minus aptum consilio poëtae esse videtur, qui de bello Peloponnesiaco solo loquitur. Quanquam si, ut credo, veram legationem, non fictam proponit, id minus ponderis habet. Accedit, quod legatos ad Persarum reges Euthydemo archonte missos esse, nemo tradidit. Schol. ad Thucyd. II, 7 (V, p. 373 ed. Bipont.) „οἱ μὲν Λακεδαιμόνιοι πρὸς τοὺς Πέρσας· οἱ δὲ Ἀθηναῖοι πρὸς τοὺς Θρᾷκας.“ Huic ipse convenire videtur Aristophanes, qui v. 647 Lacedaemoniorum legatos commemorat. Quare profecto satius erit ad antiquam sententiam redire.

7) Acharnn. 5 seqq. Boeckh. Staatshaush. d. Athen. I, 413; Meier. de bon. damnat. p. 116.

8) Schol. ad Acharnn. 5, 300; Equitt. 225.

Equites, non satis liquet. „*Παρὰ τῶν νησιωτῶν*“ ait scholiasta „*ἔλαβε πέντε τάλαντα ὁ Κλέων, ἵνα κουφίσαι πείσῃ τοὺς Ἀθηναίους αὐτοὺς τῆς εἰσφορᾶς· αἰσθόμενοι δὲ οἱ ἱππεῖς ἀντέλεγον καὶ ἀπῄτησαν αὐτόν*[9]).“ Eam igitur caussam anno ante Acharnenses esse gestam, iterum ex eodem versu decimo quinto colligimus; quem antea adhibuimus. Quod si verum est, optime convenit Thucydidis testimonium. Is enim primo anno Olympiadis octogesimae octavae primum Lysiclem cum quattuor collegis ad socios missum et in itinere occisum esse narrat[10]). Aut igitur ob huius ipsius viri, aut ob alius cuiusdam, hunc excipientis adventum socii Athenas legatos miserunt, dataque Cleoni pecunia suum assequi consilium frustra studuerunt.

Postremo temporis, quo fabula docta est, testimonio hoc utor, praecedentibus haud paullo certiore. Tanguntur enim res Megarensium, inter omnes Graeciae populos miserrime afflictorum; ita ut ex iis certa et firma erui possint, si historicorum scriptorum dicta comparantur. Quum enim Megarensium unus advenisset suasque filias vendendas attulisset, cum Dicaeopoli ita colloquitur[11]):

Δ. ἅλας οὐν φέρεις; M. οὐχ ὑμὲς αὐτῶν ἄρχετε;
Δ. οὐδὲ σκόροδα; M. ποῖα σκόροδ'; ὑμὲς τῶν ἀεὶ
ὅκκ' ἐσβάλητε, τὼς ἀρωραῖοι μύες,
πάσσακι τὰς ἀγλῖθας ἐξορύσσετε.

Iam primum igitur Atheniensium irruptiones commemorantur in terram Megaricam factae, quae, Thucydide auctore, Nisaea occupata finitae sunt. Is enim postquam primam, duce Pericle, invasionem enarravit, ita pergit[12]) „*ἐγένοντο δὲ καὶ ἄλλαι ὕστερον ἐν τῷ πολέμῳ κατὰ ἔτος ἕκαστον ἐσβολαὶ Ἀθηναίων ἐς τὴν Μεγαρίδα καὶ ἱππέων καὶ πανστρατιᾷ, μέχρις οὗ Νίσαια ἑάλω ὑπ' Ἀθηναίων.*“ Quare quum hanc fabulam

---

[9]) Minus accurate Boeckhius l. l. scholiastam redarguit, qui omnia recte et ex Theopompi sententia exposuit. Adde Argum. II. script. (v. II, p. 65, 23, D.)

[10]) Thucyd. III, 19.

[11]) Ar. Acharm. v. 760—763.

[12]) Thucyd. II, 31.

ante Nisaeam captam, i. e. ante primum annum Olympiadis octogesimae nonae, doctam esse inde pateat, ad octogesimam octavam Olympiadem eam reiicere cogimur. Neque potest alio anno, quam tertio et quarto illius Olympiadis prolata esse. Minoam enim insulam Nicias, Nicerati filius, anno secundo expugnavit, et ex hoc demum tempore effecit, ut nihil Megarensibus importaretur[13]); quo facto rebus necessariis paene omnibus indigere coeperunt, maximaque fame adacti, tam miseram conditionem tulerunt, ut Aristophanis descriptio verissima merito appelletur. Minoa nondum expugnata, quum libere a peregrinis commeatum acciperent, in tantam miseriam non inciderunt, quantam Aristophanes describit. Sed accedit, quod de salibus sibi ereptis Megarensis homo queritur; de quibus quae in scholiis legimus, sunt diversi pretii. Alter enim, ita locutus „*ἐν Νισαίᾳ τῆς Μεγαρίδος ἅλες πήγνυνται· ἦν δὲ ὁ τόπος ὑπήκοος τῶν Ἀθηναίων*“, erravit et merito in Palmerii reprehensionem incidit; alter rem verius explicat „*διὰ τὸ θαλασσοκρατεῖν τοὺς Ἀθηναίους ἔφη*“ cett. Sed id ipsum Megarenses nisi Minoa capta non tanto opere impedire poterat[14]). Praeterea Lenaeis fabulam doctam esse, non solum nota didascalica, sed etiam a magis idoneo teste, ab ipso Aristophane, probatur[15]).

XXXV.

Anno igitur tertio Olympiadis octogesimae octavae, Dionysiis Lenaeis, Aristophanes per Callistratum Acharnenses docuit. Iam si, quod nostrum est officium, perpenderimus, quo consilio ductus et quem in finem hanc illo tempore comoediam ediderit: quam prudens vir civisque bonus fuerit, quantaque animi sagacitate et malam urbis patriae conditionem perspexerit et imminentes calamitates praeviderit, sine ulla difficultate intelligemus. Eius consilii summa vix potest legentem praeterire. Audi Graeci

---

13) Thucyd. III, 15.

14) De rebus, quas Megarenses vendere solebant, Aristophanes accurate pluribus in locis exposuit.

15) Hermanni et Kanngiesseri coniecturas merito refutavit Boeckhius de Lenaeis, p. 41 (87) sq. Ar. Acharnn. 501.

argumenti scriptorem[16]) „τὸ δὲ δρᾶμα τῶν εὖ σφόδρα πεποιημένων καὶ ἐκ παντὸς τρόπου τὴν εἰρήνην προκαλούμενον“; audi scholii scriptorem[17]) „οὗτος γὰρ ὁ σκοπὸς τοῦ δράματος, ὥστε σπονδὰς ποιεῖσθαι πρὸς Λακεδαιμονίους.“ Voluit enim haud dubie suos populares incitare, ut ipsi Lacedaemonios adirent, et omni modo pacem iis sibique reddere studerent. Nos accuratius rem explanabimus.

Quo tempore haec fabula in scenam producta est, plerique Atheniensium, variis quisque de caussis, magis ad bellum summo studio gerendum, quam ad pacem faciendam inclinabant. Docent id historiarum scriptores; docet Aristophanes. Ut primum Pericles, qui Atheniensium civitatem moderabatur, suam belli contra Lacedaemonios gerendi rationem inierat: magna erat civium pars id belli genus perosa, neque tamen pacis cupida. Voces invitorum in ipsa migratione auditae. *Οὐ ῥᾳδίως* ait Thucydides[18]) *τὰς μεταναστάσεις ἐποιοῦντο, ἄλλως τε καὶ ἄρτι ἀνειληφότες καὶ κατασκευὰς μετὰ τὰ Μηδικά, ἐβαρύνοντο δὲ καὶ χαλεπῶς ἔφερον οἰκίας τε καταλιπόντες καὶ ἱερά, ἃ διὰ παντὸς ἦν αὐτοῖς ἐκ τῆς κατὰ τὸ ἀρχαῖον πολιτείας πάτρια, δίαιτάν τε μέλλοντες μεταβάλλειν καὶ οὐδὲν ἄλλο ἢ πόλιν τὴν αὑτοῦ ἀπολείπειν ἕκαστος.* Ab antiquissima enim aetate quoniam in agris degere consueverant, nunc impediti et prohibiti diuturnam in urbe commorationem permoleste tulerunt. Augebatur molestia, huiusque belli odium, omni vitae commoditate erepta, quum ne domos quidem haberent, sed in muris murorumque turribus, in omnibus desertis urbis et nefastis adeo locis habitare cogerentur. Neque tamen propterea ab ipso bello sese liberare cupiebant. Tantum aberat, ut pacem postularent, ut plurimi, praesertim qui iuvenes erant, neque belli incommoda adhuc senserant, magna eius cupiditate flagrarent[19]). Quam ob rem Periclis sententia comprobata, Mesesip-

---

16) Arist. vol. I, p. 4, 8 ed. Dind.
17) Schol. ad Acharnn. v. 52.
18) Thucyd. l. II, c. 16. cfr. c. 14.
19) „τότε δὲ καὶ νεότης πολλὴ μὲν οὖσα ἐν τῇ Πελοποννήσῳ, πολλὴ

pum, ab Archidamo bellum evitare exeptante, velut rei experiundae caussa Athenas missum, ne in urbem quidem admiserunt[20]). Hinc non diutius se in Megarensium agro Archidamus continuit; perrexit inde infestus in Eleusinem Thriasiumque campum. Ubi quum nemo eos impediret, quo minus vastarent popularenturque omnia: pervenere ad Acharnas, quae regio sexaginta stadiis ab urbe distabat[21]). Quod quum vidissent, protinus omnes bellandi cupidinem declarabant suam: ac prae ceteris Acharnenses urgebant, ut eruptio susciperetur. Maxima inde civium pars Pericli erat irata[22]), eumque tanquam malorum omnium auctorem timidumque hominem perstringebant; non tam propter bellum conflatum, quam quia hanc gerendi illius rationem erat ingressus. Ira autem repressa est, ex quo Peloponnesiaci commeatu consumpto et ipsi navibus petiti in Peloponnesum redierant.

Vere deinde insequenti quum Lacedaemoniorum exercitus reversus esset, simul pestis exorta est, quae sola etiam sine belli iniuria urbem vastare poterat[23]). Auxit vim morbi hominum in urbe frequentia[24]). Tamen Pericles sua in sententia perstitit; neminemque movit ex urbe. Sed Athenienses agris vastatis, simulque et bello et pestilentia pressi suam mutarunt sententiam, belli auctorem palam reprehenderunt et legatos Lacedaemonem ad pacem faciendam miserunt[25]). Qui quum re infecta rediissent, Pericles oratione habita, qua eos a singulorum calamitatibus ad universae civitatis salutem revocabat, li-

---

δ' ἐν ταῖς Ἀθήναις οὐκ ἀκουσίως ὑπὸ ἀπειρίας ἥπτετο τοῦ πολέμου“ Thucyd. II, 12.

20) Thucyd. II, 12.

21) Id. ib. c. 21. Memoratu dignum est, Archidamum, hostilis exercitus ducem, non minus quam Periclem suorum in reprehensionem incidisse, id. ib. c. 18.

22) Inprimis comici poëtae multitudinis sententiam comoediis vulgabant, quorum sunt Teleclides, qui *Μοῖραν* contra Periclem docuit, Ol. 87, 2., et Hermippus aliique. Adi Rötscherum, Aristoph. p. 96.

23) Thucyd. II, c. 47. Erant, qui venena a Peloponnesiis in puteos deiecta fuisse contenderent, et odium contra Lacedaemonios augere optarent. Id. ib. c. 48.

24) Id. ib. c. 52 et 54 extr.

25) Id. ib. c. 59.

bertatemque vel plurium rerum iactura defendi et servari debere docebat, ut nulli inde legati Lacedaemonem mitterentur, animique mitigarentur, effecit. Tamen calamitates suas aegre ferebant, et divites imprimis illud bellum odio persequebantur[26]. Atque haud multo post ipse Pericles de vita decessit, qui ad sustentandam rempublicam fere unus illa aetate supererat. Ceterum quales pacis conditiones Atheniensium legati Lacedaemonem attulerint, prorsus nobis incognitum est intactumque rerum illa aetate gestarum scriptoribus.

Procedente postea tempore, etsi interdum suas res accisas ab hostibus videbant, quum animum ad certamen intentum nullus maior terror, et nullum maius periculum ad aliud consilium capiendum traheret, in nullo populi concilio pax est Athenis iactata. Diotimo autem archonte, aestatis initio, licet Cleomene duce Peloponnesii Atticam vastassent, quae quidem irruptio post secundam omnium acerbissima fuisse fertur[27]: tamen nemo repertus est, qui ad pacem faciendam Athenienses incitaret. Quare non mirum est, quod ea aestate, qua ab Eucle archonte ad Euthydemum imperium transiit, et Peloponnesii, Agide duce, ad Isthmum Atticum agrum vastaturi pervenerunt, sed crebris terrae motibus perterriti non processerunt longius, sed in patrias urbes se receperunt[28], nullius ad pacem adhortantis vox audita est. Contra haud paucae erant caussae, quae singulos homines ad bellum gerendum moverent. Etenim quorum agri erant vastati, summo Lacedaemonios odio persequebantur[29]. Praeterea iniustas belli caussas querebantur, et eos infidos esse homines et iniquos censebant[30]. Quare omnes summo poena eos afficiendi studio conflagrabant. Deinde ex quo tempore Pericles mortuus erat, urbis principes solam patriae salutem spe-

---

26) Thucyd. II. c. 65.

27) Id. III, 26.

28) Id. ib. 89.

29) Id futurum esse Archidamus, rex Lacedaemoniorum, praeviderat, cfr. Thucyd. I, 82.

30) Thucyd. IV, 22.

ctare desiverant, multoque magis suorum commodorum erant studiosi; nimirum bello gerendo maiorem in civitate auctoritatem obtinere sese posse, et plura commoda acquirere, bene sciebant[31]). Alia praetereo. Patet enim, ut existimo, eum illo tempore Atheniensium animum fuisse, ut pacem exspectare nequires. Sequente autem post Acharnenses doctos aestate, quum Lacedaemonii suorum multitudinem summum in periculum adductam cernerent: ipsi pacem Atheniensibus obtulerunt, ea auctore Thucydide opinione ducti, eos antea ipsos pacis cupidissimos, se contradicentibus, a foedere abstinere coactos, nunc oblatam pacem non sine laetitia esse accepturos[32]). Quae quidem sententia haud dubie legationibus post secundam irruptionem missis nixa, non impedit, quo minus quae dixi vera esse nuncupem. Quare sumendum est, nostrum poëtam illa aetate, paucis assentientibus, popularibus suasisse, ut Lacedaemonem pergerent, omnique modo, aptis conditionibus oblatis, pacem componerent.

Summa autem in bello gerendo Atheniensium cupiditas multo magis nobis intelligitur, si Aristophanis comoediam adimus. Non solum enim aperte docet, in populi conciliis nunquam de pace agi[33]):

εἰρήνη δ' ὅπως
ἔσται προτιμῶσ' οὐδέν· ὦ πόλις, πόλις,

sed etiam Dicaeopolin pro pace Lacedaemoniisque loquentem vix ab Acharnensibus auditum induxit, eumque non libere suam sententiam profitentem, sed Soloni similem, Athenienses ad Salamina occupandam cives incitanti, super trunco lanionio omnia dicentem fecit[34]). Acharnenses ubi audiverunt modo, esse qui cum Lacedaemoniis foedus pepigerit, lapidibus eum interficere tentant summaque vehementia persequuntur[35]). Dicaeopolidi in orationem suam ingredienti acclamant[36]):

---

31) Thucyd. II, 65 „*κατὰ τὰς ἰδίας φιλοτιμίας καὶ ἴδια κέρδη.*“
32) Id. IV, 21.
33) Arist. Acharnn. v. 26.
34) Id. ib. 355, 365 seqq.
35) Id. ib. 179 seqq. 204 seqq. 280 seqq.
36) Id. ib. 492 seq.

ὅστις παρασχὼν τῇ πόλει τὸν αὐχένα
ἅπασι μέλλεις εἷς λέγειν τἀναντία.

Atque is ipse, posteaquam in modum miserrimi hominis per Euripidis benevolentiam vestitus prodiit, vide quanto opere cunctetur suique facinoris magnitudinem sentiat[37]):

ὦ θύμ', ἄνευ σκάνδικος ἐμπορεύσεα.
ἆρ' οἶσθ' ὅσον τὸν ἀγῶν' ἀγωνιεῖ τάχα,
μέλλων ὑπὲρ Λακεδαιμονίων ἀνδρῶν λέγειν;
πρόβαινέ νυν ὦ θυμέ.

Audi, quantum ab initio orationis contra Lacedaemonios odium profiteatur[38]):

ἐγὼ δὲ μισῶ μὲν Λακεδαιμονίους σφόδρα·
καὐτοῖς ὁ Ποσειδῶν, οὑπὶ Ταινάρῳ θεός,
σείσας ἅπασιν ἐμβάλοι τὰς οἰκίας·
κἀμοὶ γάρ ἐστιν ἀμπέλια κεκομμένα.

Idemque omnes fabulae partes ab initio ad finem usque clamant. Affirmare igitur, his dictis, non dubito, licet Athenis singuli fuerint, cum Aristophane consentientes, qui pacem amaverint, oderint bellum, prorsus tamen neminem pro Lacedaemoniis dicere voluisse, talesque pacis conditiones proposuisse, ex quibus illorum postulata vel ex minima parte explerent: quod fecit solus Aristophanes. Iuvabit igitur, quare id fecerit, et quo modo pacem reddi posse crediderit, pro virili parte perscrutari.

Bellum Peloponnesiacum quibus de caussis exortum sit, est unicuique cognitum. Inter postulata, quae ab initio Lacedaemonii Atheniensibus proposuerunt, unum, quod de piaculis tollendis erat, Pericle mortuo, quem petebant illi maxime, erat sublatum. Praeterea non tam Potidaeae obsidionem Aeginamque respiciebant insulam, quam decretum de Megarensibus factum. *Καὶ μάλιστά γε πάντων* ait Thucydides[39]) *καὶ ἐνδηλότατα προὔλεγον, τὸ περὶ Μεγαρέων ψήφισμα καθελοῦσι μὴ ἂν γενέσθαι πόλεμον,*

---

[37]) Ar. Acharn. 480—484.
[38]) Id. ib. 509—412. cfr. Pac. 612 seqq.
[39]) I, 139.

ἐν ᾧ εἴρητο αὐτοὺς μὴ χρῆσθαι τοῖς λιμέσι τοῖς ἐν τῇ Ἀθηναίων ἀρχῇ μηδὲ τῇ Ἀττικῇ ἀγορᾷ. Tamen Athenienses id quoque negarunt, *ἐπικαλοῦντες*, auctore Thucydide, *ἐπεργασίαν Μεγαρεῦσι τῆς γῆς τῆς ἱερᾶς καὶ τῆς ἀορίστου, καὶ ἀνδραπόδων ὑποδοχὴν τῶν ἀφισταμένων.* Addit Plutarchus, Anthemocritum legatum a Megarensibus occisum effecisse tradi, ut ex Charini rogatione bellum illis indicerent summoque eorum odio flagrarent. Sed rem hanc, quam Thucydides neglexit, factam esse, Megarenses postea omnino negarunt [40]. Quare qui de principiis inimicitiae cum Megarensibus ortae iudicare vult, et, utrum iuste an iniuste egerint Athenienses, videre cupit: is non difficile, ut credo, re accurate perpensa, veritatem agnoscet. Nam quum Lacedaemonii postea decretum illud dissolvendum esse dicerent, sed paullo post alio iterum modo in universum loquerentur: ipsorum animus non obscurus latet; neque potest reprehendi Pericles, quod urbis servandae caussa civibus suis persuasit, ut Lacedaemoniorum postulata non audirent. Sed si Megarenses Lacedaemonem pergebant seque ab Atheniensibus iniuste tractatos querebantur, et quod a portubus foroque arcerentur, id contra foedus admitti dicebant: praesertim posteaquam saepenumero ipsos Athenienses frustra adierant, nemo eos vituperare neque tanquam falsa dicentes mentientesque criminari poterit [41]. Respondebant tamen Athenienses, Lacedaemonios, si iustas criminationes esse vidissent, e foedere non bello se petere, sed iniurias iudicio dirimere debuisse. Ita enim Thucydides Atheniensium legatos loquentes inducit [42]) „*λέγομεν ὑμῖν, ἕως ἔτι αὐθαίρετος ἀμφοτέροις ἡ εὐβουλία, σπονδὰς μὴ λύειν, μήτε παραβαίνειν τοὺς ὅρκους, τὰ δὲ διάφορα δίκῃ λύεσθαι κατὰ τὴν ξυνθήκην.*“ Non iniuste tamen Sthenelaidas respondit [43]), nihil eos ad defendendam agendi rationem objectaque crimina diluenda protulisse atque ab ipsis prioribus foedera

---

[40]) Plutarch. Pericl. c. 30.

[41]) Thucyd. I, 67. Arist. Acharnn. 538 „*κοὐκ ἠθέλομεν ἡμεῖς δεομένων πολλάκις.*“ Schol. ad Ar. Pac. 481 „*καὶ ἐπεθύμουν μὲν τῆς εἰρήνης, διὰ δὲ τοὺς Ἀθηναίους ἀνεβάλλοντο αὐτὴν, ὥς φησι Θουκυδίδης.*“

[42]) Id. ib. 78.

[43]) Id. ib. 86.

rupta esse censuit. Quare Athenienses quidem ad ea, quae ex foederis pacto facienda erant, provocare non poterant amplius; Lacedaemonii autem recte his verbis utebantur „*ξὺν τοῖς θεοῖς ἐπίωμεν ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας*“, Delphicum vero oraculum, dum bellum totis viribus gerendum suasit, haud dubie ipsum violata foedera credidit [44]. Sed Athenienses contra in ea perstabant sententia, Lacedaemonios priores sibi bellum intulisse.

His omnibus rebus perspectis, Aristophanes hac comoedia — nam illae criminationes per totum bellum belli caussae dicebantur — populares docere suscepit, decretum in Megarenses factum iusto levioribus de caussis esse, Lacedaemoniosque propterea bellum inferentes nihil miri fecisse, quod Athenienses ipsi haud dubitanter ac multo celerius quam Lacedaemonii facturi fuissent [45]. Odium contra Lacedaemonios, agro vastato conceptum in eos esse ait vertendum, qui iniuste agentes ad arma illos provocarint. Si qui dicerent, non fuisse bellum suscipiendum, sed iudicio rem decernendam: eos quid ipsi suscepturi fuissent, cogitare iubet [46]. Decretum igitur solvendum legatosque Lacedaemonem mittendos esse ait, qui hac conditione dicta, pacem cum illis inirent. Sed aliam quoque viam ingressus, eandem rem assequi voluit. Ubi enim Dicaeopolis forum suum aperuerat omnibusque edixerat, ut pace restituta ad se venirent, sibique quae haberent, venderent: primum Megarensem hominem producit, tam misere afflictum, ut Atheniensium misericordiam excitare voluisse censendus sit [47]. Id ipse scholii scriptor observavit [48] „*ἔρχεται Μεγαρεύς τις· οἰκεία δὲ πάνυ ἡ ἔννοια καὶ οἴκτου μεστή.*“ Extrema mox eos passuros esse demonstrat. Quum enim dixisset Megarensis:

---

44) Thucyd. I. c. 118, 123.

45) Arist. Acharnn. 509—556.

46) Sententiam a legatis Atheniensibus Lacedaemone propositam ab Atheniensibus saepe esse allatam, hoc ex dicto nostri poëtae intelligitur.

47) Acharnn. 719—835.

48) Ad v. 729. Ceterum fortasse re vera illo tempore evenit, ut Megarenses, fame coacti, liberos venderent. Schol. ad Pac. v. 481 „*ὅτι ὡς λιμώττοντες ἀεὶ Μεγαρεῖς παίζονται· διὰ γὰρ τοῦτο καὶ τοὺς ἑαυτῶν παῖδας ἐπίπρασκον.*“

ἄνδρες πρόβουλοι τοῦτ' ἔπραττον τῇ πόλει,
ὅπως τάχιστα καὶ κάκιστ' ἀπολοίμεθα·

Dicaeopolis respondet[49])

αὐτίκ' ἄρ' ἀπαλλάξεσθε πραγμάτων.

Nihil igitur iis superest, nisi mortem oppetere et interire. Quicunque illam comoediae partem attente legit, utrum haec Athenienses, magis ridicula adiecta ridentes, an mala ostensa miserantes spectare potuerint, dubitabit.

Ceterum Aristophanes caussas, quae bellum excitarint, exponit, et hac aliisque in fabulis constanter eandem profert sententiam, a Sycophantarum iniuriis Aspasiaeque servabus bellum initium cepisse [50]). Quae qui legebant, in duplicem potissimum mihi errorem incidisse videntur. Erant enim, qui quum Pericli faverent maxime, eumque eximium hominem esse crederent, ita eius gloriam atteri rati, in poëtam nostrum maxima crimina iacerent [51]). Erant autem praeterea, qui poëtae verbis confidentes, totam belli malorumque culpam in Periclem vertentes, propterea civem eum perniciosum malumque hominem fuisse censerent [52]). Utrumque autem a veritate quum abhorreat, iam primum videndum est, quid de Pericle Aristophanes senserit. Semper tamen tenendum, hanc de Pericle sententiam illo tempore esse ab Aristophane dictam, quo, viro mortuo, civitas in perniciem ruere, et quae mala ex eius imperio prodierant, conspici coeperunt.

Ac primum quidem Cleonem cum Pericle conferri non posse, sed eo longe esse inferiorem, his verbis de Cleone dictis aperte profitetur [53]):

νὴ Δί' ἐξάγων γε τἀπόῤῥηθ', ἅμ' ἄρτον καὶ κρέας,
καὶ τέμαχος, οὗ Περικλέης οὐκ ἠξιώθη πώποτε.

Sed ipsum Periclem aliis postponit, qui ex parte antea vixe-

---

49) Acharn. 755—757.
50) cfr. Acharnn. 820 seqq. „ἀρχὰ τῶν κακῶν" Pac. 610.
51) cfr. Meiners Gesch. der Wissensch. II. p. 231 seqq.
52) cfr. Plutarch. Pericl. c. 30 seqq.
53) Ar. Equitt. v. 282 seqq. Rötsch. Aristoph. p. 99.

runt, ex parte aetate illa eius adversarii fuerant. Nam quum invisa esset Aristophani civitatis administratio, quae pecuniae lucrique amorem animis instillaret, Myronidem laudavit, cui non posteriores modo, sed Periclem ipsum haud dubie opposuit. Ita enim praeclare de Myronide loquitur[54]:

ἀλλ' οὐχὶ, Μυρωνίδης
ὅτ' ἦρχεν ὁ γεννάδας,
οὐδεὶς ἂν ἐτόλμα
τὰ τῆς πόλεως διοι-
κεῖν ἀργύριον λαβών.

Eundem alibi cum Phormione propter fortitudinem laude celebravit[55]. Veluti autem Myronidem praedicavit, ita adversarium Periclis, Thucydidem, magni aestimavit, ac sine dubio ita locutus cum reverentia et admiratione, qua hunc virum adspiciebat, suam simul de Pericle sententiam aperuit[56]. Et ut ad antiquiores redeam, vide quo modo profecto vere admirabili Themistoclis meminerit; cui quum Cleo se anteposuisset, impudentiam hominis ita perstringit[57]:

ὦ πόλις Ἄργους, κλύεθ' οἷα λέγει. σὺ Θεμιστοκλεῖ ἀντιφερίζεις;

et quae sequuntur. Similiter ad Aristidem provocat et ad Miltiadem, viros fortissimos, suaeque urbi utilissimos[58]. Quae qui cogitat, non potest nisi iustitiam comoediae, ac praesertim nostri poëtae sobrietatem admirari, quae laudanda tantummodo celebrat, reprehendenda autem perstringit acerrime. Profecto verum est, quod ait Aristophanes[59]:

54) Ar. Ecclesiaz. 303. Boeckh. Staatshaush. der Athener I, p. 245 seq.

55) Ar. Lysistr. 801 seq.

56) cfr. Rötscher. Aristoph. p. 98 seq. et quos ille laudavit.

57) Ar. Equitt. 813 seqq. Themistocles omnium fere Atheniensium princeps haberi potest. De nullo enim tam consentientes sunt omnes, qui inter veteres de eo iudicarunt. Multus est de eo Aristophanes in Equitt. 84, 815, 881.

58) Equitt. 1325. De Cimone cfr. Lysistr. 1144, quem Cratinus inprimis celebraverat. Plut. Cim. 10 omniumque Graecorum primum (*πανελλήνων πρῶτον*) nuncupaverat. Riserat Periclem, Plut. Pericl. c. 13. Aspasiam 24. Tamen non est de singulari in Periclem odio cogitandum, cfr. Rötscher. Aristoph. p. 96.

59) Ar. Acharnn. 500.

τὸ γὰρ δίκαιον οἶδε καὶ τρυγῳδία.
ἐγὼ δὲ λέξω δεινὰ μὲν, δίκαια δέ.

Iam si singulas Periclis actiones, a poëta diiudicatas, contemplamur, quod lucri cupidinem in civitatem si minus invexit, auxit tamen et ut in posterum multo magis augeri posset, effecit: iure suo ac merito reprehensum esse nemo non intelligit. Neque diversum de his rebus iudicium cogitari potest. Audi Boeckhium, virum eximium, qui quum civilem Atheniensium oeconomiam explicuisset, et quanta ex pecuniae fame prodierit pernicies, perspexisset, eadem ratione iudicavit[60]). Iam vero qui cogitat, Aristophanem media in pernicie in dies aucta constitisse: irae eius et odii vehementiam iustam fuisse non negabit. Sed reliquis omissis, ad Peloponnesiacum bellum properare debemus. Periclem belli auctorem fuisse, testis est locupletissimus Thucydides. Lege totam eius narrationem, lege potissimum haec eius verba[61]) „ὢν γὰρ δυνατώτατος τῶν καθ' ἑαυτὸν καὶ ἄγων τὴν πολιτείαν ἠναντιοῦτο πάντα τοῖς Λακεδαιμονίοις· καὶ οὐκ εἴα ὑπείκειν, ἀλλ' ἐς τὸν πόλεμον ὥρμα τοὺς Ἀθηναίους." Quodsi viro praestantissimo vivo civitatem regere bellumque administrare licuisset, de exitu vix dubitabitur. Eo mortuo, res Atheniensium sisti non poterant; multis malis impedita civitas vel maiora sibi imminere videbat incommoda; bellum illatum urbi universae maximas calamitates attulerat. Quid miraris, si hominem patriae amantissimum ea omnia mala ad Periclem referre, eum reprehensionibus petere, eum odio persequi audis? Sed quod maximum est, Periclem urbis patriae magnitudinem, non suum lucrum spectasse potissimum, extra dubitationem est positum. Si autem magnitudo vera cogitari nequit, nisi moribus bonis servatis; quia multa eius instituta civitatis mores corrumpebant magis, quam emendabant: ea illius cura habet quidem, quapropter celebretur quam maxime, sed non minus saepe iure summo est reprehensa. Accedit, quod

---

[60]) Boeckh. Staatshaush. der Athen. I, p. 232 seqq. Adde quae in fine libri disseruit.

[61]) Thucyd. I, 127.

dum Atheniensium magnitudinem splendoremque omni modo augere studebat, facile poterat oblivisci, se Graecum esse hominem atque cum Lacedaemoniis ex eodem sanguine ortum. Quod quum perspiceret Aristophanes, nunc quidem pacem ut componant, suadet, ac pace composita, ut coniunctim contra barbaros pugnent, adhortatur. Apparet igitur, posteaque multo magis apparebit, Aristophanem Periclis adversarium fuisse, sed nobilem, quae qui iniuste suscepta erant, reprehendit, quae pulchra erant, laude celebravit[62]). Quod de bello Peloponnesiaco iudicavit, his potissimum ex versibus discimus[63]):

εἶτα Περικλέης — αὐτὸς ἐξέφλεξε τὴν πόλιν,
ἐμβαλὼν σπινθῆρα μικρὸν Μεγαρικοῦ ψηφίσματος,
κἀξεφύσησεν τοσοῦτον πόλεμον ὥστε τῷ καπνῷ
πάντας Ἕλληνας δακρῦσαι, τούς τ' ἐκεῖ τούς τ' ἐνθάδε.

Sed quod iam supra dixi, non obliviscendum est, hominem loqui malis illis ex bello exortis vexatum ipsum malaque maiora urbi patriae impendentia timentem et praevidentem; quem si iusto gravius reprehendentem audimus, non mirari debemus. Eius eloquentiam ita descripsit, ut plurimi veterum eius verbis uterentur, qui sine dubitatione primas ei deferebant[64]). Sed quae contra Euboeam et Samios admisit, ita attulit, ut eum agendi rationem sibi non esse optimam visam, merito colligamus[65]); ac quibus verbis se decem talenta absumpsisse pro civitate confitebatur, perstrinxit[66]). De ceteris alio agamus loco.

Vidimus, Aristophanem non iniustas Pericli criminationes

---

62) „Periclem attigit aut levissime, aut nunquam, ut arbitror, nec verissime." Reisig. praefat. ad Aristoph. Nubb. p. 10.

63) Ar. Pac. v. 606—611.

64) Ar. Acharnn. 531 „ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα," Cic. Orat. c. 29. Plin. I, epist. 89. Iulian. epist. 2 de Praecr. Lucian. Encom. Demosth. III, p. 506 et alii. Roetscher. Aristoph. p. 98, cuius coniectura de scoliorum commemoratione dicta improbabilis est.

65) Ar. Nubb. 214. Babyl. fragm. 1. Dindorf.

66) Ar. Nubb. 858. Süvern, über Aristoph. Wolken p. 40. Roetscher. Arist. 97.

obiecisse; simul intelligimus, Periclem propterea non debere in contemptum adduci. Magnum eum eximiumque fuisse virum, quamdiu Atheniensium gloria florebit, constat; nonnulla extare eius facta, iustae reprehensioni obnoxia, certum est; qui autem multa praeclare egit, in multis eximius est, is laudatione nostra est dignissimus. Ipsas criminationes qui contemplantur, non obliviscі debent, quod poëta coram plebe loquitur Atheniensi, cui animus erat a nostro alienus, quamque comicus poëta negligere non debebat. Unam igitur cogitationem solam teneamus. Vilibus, neque tanta calamitate dignis ex caussis bellum Peloponnesiacum est conflatum. Ita demum neque Aristophanis neque Periclis agendi ratio iniuste diiudicatur; ita utriusque et virtutes et vitia agnoscimus.

Haec autem omnia me admonent, ut de discrimine loquar, quod fere semper inter Thucydidis historiam et Aristophanis comoedias intercedit. Permulta enim, quae ab Aristophane tanguntur illiusque aetate Athenis acciderunt, ita sunt a Thucydide omissa, ut ne minima quidem eorum mentio iniiciatur; ut ne minimum quidem eorum reperiatur vestigium. Praeter exempla, quae iam tetigimus, alia multa postea tangere cogimur. Quum quo modo id factum sit, pateat, id unum superest, ut quae maximus ille scriptor iudicio suo omittenda duxerit, inquiramus. Ac primum quidem non unam ille urbem patriam, non unam spectat gentem, sed omnem Graeciam coram adspectu suo posuit. Bellum Peloponnesiacum sibi scribere proposuit; non Athenarum, non Lacedaemonis, non Corinthi historiam componere. Quaecunque igitur non ad bellum explicandum magni aliquid conferunt, praetermittere coactus erat. Propterea omnia, ex ipsa Athenarum historia petita, apud Aristophanem quidem legimus; in Thucydidis autem historia frustra requirimus. Sed praeterea alia extat caussa. Una est cogitatio, quam Thucydides ab initio profitetur, et ad finem usque libri tenuit, qua belli inter Graecas civitates gesti magnitudinem, vel ut verius dicam, maiestatem sentiebat[67]). Ea ipsius libri splendorem, ea

---

[67]) *Fr. Schlegelius* in iudicio de Romanis scriptoribus lato bene osten-

maiestatem effecit. Ut Graeci utar scriptoris dictis[68]) „*Τριῶν δὲ ὄντων χαρακτήρων φραστικῶν, ὑψηλοῦ, ἰσχνοῦ, μέσου, παρεὶς τοὺς ἄλλους ἐζήλωσε τὸν ὑψηλὸν, ὡς ὄντα τῇ φύσει πρόσφορον τῇ οἰκείᾳ, καὶ τῷ μεγέθει πρέποντα τοῦ τοσούτου πολέμου, ὧν γὰρ αἱ πράξεις μεγάλαι, καὶ τὸν περὶ αὐτῶν ἔπρεπε λόγον ἐοικέναι ταῖς πράξεσιν.*“ Ab ea cogitatione nimium quantum abest Aristophanes. Amor urbis patriae, odium male factorum, belli incommoda praesentia et mala imminentia multo maiora, quae animi sagacitate ita praevidebat, ut Apollinem fere Delphicum aequaret[69]); ut brevi dicam omnium optatarum rerum, omniumque bonorum interitus eius animum conciebat. Quae pernicies totam Atheniensem civitatem occuparat, eum in acerrimos dolores coniecit, quos quum non posset alio modo, vitia perstringendo ridendoque expressit, ut, diis volentibus, corruptos aut emendaret aut e civitate eiiceret.

Thucydides igitur, quanquam acerrimus ubique veritatis perscrutator, magnificam historiae suae indolem nunquam ita neglexit, ut ad res viliores describendas delaberetur. Aristophanes eas exagitandi munus, ut ne ab aliis iterum admitterentur, sibi iniunctum esse sentiebat. At cur longa utor oratione, ubi brevia ipsius Thucydidis verba rem abunde significant? Thucydides *κτῆμα ἐς ἀεὶ* condere voluit; Aristophanis comoedia *τοῖς ἀγωνίσμασιν ἐς τὸ παραχρῆμα* accensenda est[70]). Aristophanes viventes praesentesque homines docere et dedocere, urbisque patriae hac via salutem efficere tentat; Thucydidis mens homines postea viventes erudiendos et docendos spectat. Postremo hoc quoque non praetermittendum esse duco. Quum Thucydides initia libri scribendi iaceret, bellum erat ex parte abso-

---

dit, eos suae urbis maiestate impletos magna praestitisse. At nonne idem hoc inest Thucydidis historiae, ut in hac quoque re Graeci a Romanis non vincantur?

68) Marcellin. in vit. Thucyd. p. XIX, ed. Bipont.

69) Delphici enim dei vetus aderat oraculum, quo monebantur Athenienses, ne bellum gererent, cuius caussa Pelasgicon habitaretur. Ita haec verba „*τὸ Πελασγικὸν ἀργὸν ἄμεινον*“ contra vulgi sententiam Thucydides recte explicavit, II, c. 11.

70) Thucyd. I, c. 21.

latum; ab initio usque ad finem omnia perpendebat; quae malum, quae bonum habuerant exitum, sciebat. Aristophanes contra sua ferebat iudicia de rebus gestis gerendisque eo ipso momento, quo aut gesta et finita erant, aut initium sumebant. Praesentia rerum autem quanto opere vel prudentissimi homines fallantur interdum, nemo non intelligit. Accedit postremo illud quoque, quod summo studio Thucydides res Graeciae praeteritas perscrutatus, sequentia quoque bene ac celeriter animo persequi valebat. Aristophani quanquam historiae Atheniensium cognitionem haud exiguam adscribere cogimur, ut omnino non levem ac contemnendam eruditionem: tamen Thucydidem aequare eum potuisse, nemo dicere et eloqui audebit. Hinc igitur nascitur inter utrumque virum magna differentia.

Qui Thucydidem secuti sunt scriptores, Theopompus, Xenophon, Ephorus aliique, eandemque historiam tetigerunt, praeter Thucydidis historiam comicis quoque poëtis ad veritatem eruendam usi sunt saepenumero. Quam rem si bene tractarunt, sunt propterea multo magis, ut mihi videtur, laudandi quam vituperandi. Utrum autem bene egerint, magna est et difficilis quaestio[71]). Poterant enim facile in illud vitium delabi, quod comicis poëtis nimis multa credentes, Thucydidi obloquebantur, et vitia illa et mala cupide colligere, quae consulto ille, quantum historiae munus sit optime perspiciens, praetermiserat[72]). Homines Thucydidis similes posteriores illos non fuisse apparet; non mirum igitur, si dissimilem effecere historiam. Illi autem perditi amissique nobis dolorem commovent; hic dei cura et benevolentia servatus traditusque nobis floret florebitque quam diu nobiles eximiique vivunt homines.

His dictis, ad ea, quae de belli initiis uterque iactavit, redeundum est. Thucydides totam Graecorum historiam complexus, de caussis belli ita loquitur verissime[73]) „τὴν μὲν γὰρ

---

[71]) Ne audi Meinersium, Gesch. der Wissensch. II, 231.

[72]) Quot res gestae e comicis poëtis, ex parte malitiosis et reprehendendis hominibus, in historiam translatae sint, nostra demum aetate vere atque in multorum hominum hucusque male tractatorum commoda est observatum.

[73]) Thucyd. I, 23.

ἀληθεστάτην πρόφασιν, ἀφανεστάτην δὲ λόγῳ, τοὺς Ἀθηναίους ἡγοῦμαι, μεγάλους γιγνομένους καὶ φόβον παρέχοντας τοῖς Λακεδαιμονίοις, ἀναγκάσαι ἐς τὸ πολεμεῖν. αἱ δ' ἐς τὸ φανερὸν λεγόμεναι αἰτίαι αἵδ' ἦσαν ἑκατέρων, ἀφ' ὧν λύσαντες τὰς σπονδὰς ἐς τὸν πόλεμον κατέστησαν." Aristophanes quoque, ut nostra fabula docet, et aliae multae comoediae ostendunt, caussas publice dictas praeteriit, verasque inquisivit. Sed dum ille a singulis hominibus oculos avertit, universumque rerum ambitum contemplatur, hic contra mentem quodammodo rebus praesentia gestis intentam magis ad cogitata singulorum hominum et facta transfert et quae intimo in animo moliti fuerint, cupit detegere. Varia autem via ingressi, si ad res varias deferuntur, quid mirum est? Quodsi aperte potior est Thucydides, tamen equidem propterea Aristophanem non reprehenderim. Nullo modo enim negari potest, si poëtae optata eventu non caruissent, non tam celeriter urbis illius praeclarae splendorem corruiturum fuisse. Si fati necessitate omnia erant frustranea, nos iustitiam non abiiciamus, sed voluntatem viri tanti aestimemus, quanti sese faciendam ipsa praebet.

Praeter decretum de Megarensibus latum nullum Lacedaemoniorum postulatum commemorat; Aeginae meminit quidem[74]), sed non ea mente, ut Lacedaemoniis in hac quoque re Athenienses obsequi debere diceret. Ea enim insula ab iis occupata erat, ut fieri non posset, quin eam retinerent. Ac si Megarenses, quae erepta erant, reciperent, id Lacedaemoniis satis facturum esse, non immerito credebat.

Sed praeterquam, quod contra caussas belli cum Lacedaemoniis exorti disputabat, alia quoque ratione inita populares suos ad pacem provocare studet. Omni enim modo quantae belli calamitates, quantae pacis laetitiae, exponit. Quod quum legenti sine admonitione admodum perspectum sit, non est, quod pluribus exponam[75]).

---

74) Arist. Acharn. 583.

75) Verbo monuisse sufficiat, prorsus alio modo de Aristophane, Acharnensium doctore, Wielandium iudicasse, Neuer deutscher Merkur 1794, St. 8. 9. 10. Is enim contra historiam opinatur, Aristophanem nonnisi ab Equitibus adiutum, pro pace loqui ausurum fuisse. De poëta his

XXXVI.

Aristophanes plures per annos comoedias ediderat, antequam eius nominis fama ad aequales civesque eius perveniret. Idcirco contigit ei, ut quum primus de eo tota urbe manaret rumor, ab omnibus ad coelum laudibus ferretur. Quam quidem gloriam, quum iam suo ipse nomine fabulas docere inciperet, servare non solum sibi, sed augere etiam et amplificare debebat. Ac profecto, quod debebat facere, effecit.

Venimus igitur illud ad tempus, quo idoneis caussis commotus tenebris, quibus sese ipse involverat, se liberavit et in lucem prodiit. Nimirum praemio et secundo et primo eius fabulae erant ornatae; ut iam annos eos, quibus disci ars debebat et exercitatione excoli, praeteriisse sentiret, doctorisque munus susciperet. Laudi iam acceptae confisus, recta via et audaci animo ad altiora pergebat. Mentes sensusque eorum, apud quos comoediae munus erat suscepturus, degustaverat; quae probarentur in urbe patria, vulgoque expetenda atque optabilia viderentur, pervestigaverat; tenebatque omnium earum rerum cognitionem, quas sui cives, dum comicis poëtis auscultabant, exspectarent, quibus usus iis aliquid persuadere posset. At ne multo maiora temere praeteream, quaecunque urbis patriae mala et incommoda augeant, salutemque eius impediant, quae in communi vitae consuetudine molesta et fugienda sint, quibus rebus civitatis mores corrumpantur, ea omnia summo studio pertractaverat. Artem enim suam non vi comica solum, sed regendae reipublicae scientia non minus niti credebat; harumque duarum rerum, diversarum profecto atque seiunctarum, finibus describebat. Quid multa? Acharnensibus doctis, his cunctis in rebus se non esse tironem ac rudem, bono consilio publice proposito, praemioque primo accepto [76]), luculenter

---

utitur verbis „ausser seinem Talent einer der unbedeutendsten Menschen in Athen"; eoque credit imprimis Niciam choregum usum esse, quae tam inepte dicta sunt, ut iure mireris, a Wielandio ea proficisci et a viris doctis nostra aetate repeti potuisse.

[76]) Callistratus enim Acharnensibus doctis Cratinum et Eupolin, qui duo viri summa laude ornati erant, facile superaverat, et quod nobis

demonstraverat. Quo facto, non haesitavit amplius, sed suum ipse nomen apud archontem professus, comoediam docere instituit, quae non ea solum, quae hucusque ipse praestitisset, sed omnes etiam reliquorum Comicorum conatus superaret et antecelleret. At ne in dicendi campum eum amplissimum, priusquam id liceat facere, ingredi abripiamur, gressum revocamus, ac primum quam proxime fabulam civibus suis gustandam dederit, inquirimus.

Euthydemo sive Euthymene archonte utrum praeter Acharnenses fabulam ediderit, an Dionysiis urbanis in theatro eius comoedia non comparuerit, quoniam idonei testes desunt, affirmare vix audeo. Euthymenem autem excepit Stratocles, eoque archonte Lenaeis haud dubie poëta noster in scenam prodiit. Id ex didascaliis docet Graeci argumenti scriptor, Equitibus praemissi [77]), „ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ Στρατοκλέους ἄρχοντος δημοσίᾳ εἰς Λήναια δι᾽ αὐτοῦ τοῦ Ἀριστοφάνους· πρῶτος ἐνίκα, δεύτερος Κρατῖνος Σατύροις· τρίτος Ἀριστομένης Ὀλοφυρμοῖς.“ Nos ut eo maior appareat didascaliarum auctoritas, id verum esse, ex ipsa comoedia ostendere: ac simul difficultates nonnullas, quae et comoediam et notam didascalicam accurate legenti oboriri possunt, superare conabimur.

Lenaeis actam esse fabulam Dionysiis, luculentissimo documento evincitur: ex quo tamen temporis indicia peti posse, neque scholiastes, neque recentiorum interpretum quisquam observavit. At num maius potest rei testimonium adesse, quam quod his verbis usum esse poëtam videmus [78])?

τονδὶ δ᾽ ὁρῶν ἄνευ χιτῶνος ὄντα τηλικοῦτον,
οὐπώποτ᾽ ἀμφιμασχάλου τὸν Δῆμον ἠξίωσας,
χειμῶνος ὄντος· ἀλλ᾽ ἐγώ σοι τουτονὶ δίδωμι.

---

mirum videri debet, ut editarum ab iis comoediarum praeter nomina ne minimum quidem nostra aetate supersit vestigium, effecerat. De argumentis fabularum ex nomine solo coniecturae nasci possunt. Χειμαζόμενοι Cratini haud dubie rem bello gestam proposuerunt. Eupolidis Νουμηνίαι quo spectaverint, dictu est difficilius. Fortasse aut solis defectu, aut pavonibus Νουμηνίαις ostensis, pro comoediae argumento usus est.

77) Aristoph. I, p. 65, 27—30. Dindorfius „δι᾽ αὐτοῦ τοῦ Ἀρ.“ Imm. Bekkerus „δι᾽ αὐτοῦ Ἀρ.“ omisso articulo.

78) Equitt. v. 881—883.

Nam quia urbana Dionysia vere celebrantur, ita loqui et ἀμφιμάσχαλον Demo dare nisi Lenaeis non poterat. Addit autem scholiastes „παρεπιγραφή· δίδωσι γὰρ αὐτῷ χιτῶνα“ [79]). Quare quum hoc ad rem, quam demonstrare cupimus, sufficiat: plura, quae insunt, temporis indicia praetermittere satius duco.

Deinde anni, quo fabula docta sit, non minus certa indicia reperiuntur. Quorum quod primum est, superiore de Acharnensibus commentatione iam attigimus. Quoniam enim primam Atheniensium in urbem migrationem, ut e Thucydide docuimus, archonte Pythodoro coeptam et paene perfectam esse scimus: octavum iam annum plebem Cleonis culpa in doliis et turriculis habitare: Stratocle solum archonte dici poterat. Accedit, quod quaecunque in fabula commemorantur dicti anni Lenaeis proxime antecesserunt. Inde enim primum sequitur, ad priores annos eam referri non posse. Ac ne ad posteriora quidem tempora nobis abire et recedere licebit, quia comoedia Atticorum, quae remota sunt a praesentia, sine singularibus caussis non tangit, sed res nuperrime gestas semper perstringit. Sed ea caussa paullo longiori eget oratione.

Aestas erat, qua ab Euthymene ad Stratoclem archontis eponymi imperium transibat, et frumenta nondum matura [80]), quum Athenienses Demostheni mandarent, naves in Siciliam missas comitari, iisque si qua occasio offerretur, circa Peloponnesum uti. Is contradicentibus ducibus classi praepositis impeditus, sed adiutus tempestate exorta, militumque loci muniendi cupiditate nata, Pylum, quadringenta circiter stadia a Sparta remotam, cepit et occupavit, eamque rem intra sex dies confecit. Quo facto, Lacedaemonii non solum Agidem regem ex Attica terra revocarunt, sed etiam nuntiis circummissis tota ex Peloponneso auxilia arcessivere, ut omni modo locum sibi

---

[79]) Vix dubitari potest, quin παρεπιγραφαί illo sint natae tempore, quo primum fabulae scribi scriptaeque vulgari coeperunt. Hoc sunt maioris momenti. Quare quum ipsorum veterum nobis additamenta repraesentent, et immerito in scholiorum congeriem receptae: recentiorum editorum officium esse credo, eas loco suo vero restituere, ut ipsam fabularum lectionem adiuvent. I. H. Vossius, quum in patrium sermonem translatas ederet Aristophanis comoedias, ἐπιγραφὰς iure suo addidit.

[80]) Thucyd. IV, 2 seqq.

ereptum recuperarent. Sed quanquam maxima animi contentione praeclaraque fortitudine omnia agebant, tamen Atheniensium virtute locique natura repulsi, frustra pugnaverunt terraeque oppugnandae finem fecerunt. Iam quum plures Atheniensium naves accessissent, proelio navali victi, non impedire poterant, quo minus quadringenti et viginti Spartani insulae Sphacteriae impositi interciperentur et classe custodirentur. Quae quum viderent, suisque succurri non posse animadverterent, induciis cum Atheniensium ducibus factis, legatisque de pace Athenas missis, cives suos servare et recipere frustra studuerunt. Cleo enim imprimis, ut Atheniensibus suspecti, re infecta Lacedaemonem redire cogerentur, effecerat. Induciis autem solutis, quum certamen renovaretur, Demosthenes et qui cum eo erant, multis difficultatibus victus, viros interceptos capere celeriter, quod speraverant Athenienses, non valebat. Quam ob caussam qui in urbe erant, irati post varia rerum discrimina, tandem Cleonem ducem crearunt, suisque suffragiis illi expeditionem decreverunt. Qui quum tergiversatus esset, tum non restitit amplius, sed discessit et a Demosthene, quem sibi collegam creaverat, adiutus, inanibus suis promissis stetit et intra viginti dies Spartanos ex parte interfecerat, ex parte captos Athenas attulit; postquam per septuaginta et duo dies obsessi fuerant. Gloria igitur vehementer adaucta, hoc insolentius Athenis Cleo versari potuit.

Haec autem res gesta, Cleonisque post eam arrogantia fabulae praebuit argumentum; ut de priore tempore ne cogitari quidem possit. Ac non diu ante Pylum occupatam fuisse, ostendunt hi eius versus [81]):

καὶ πρώην γ' ἐμοῦ
μᾶζαν μεμαχότος ἐν Πύλῳ Λακωνικὴν,
πανουργότατά πως περιδραμὼν, ὑφαρπάσας
αὐτὸς παρέθηκε τὴν ὑπ' ἐμοῦ μεμαγμένην·
ἡμᾶς δ' ἀπελαύνει, κοὐκ ἐᾷ τὸν δεσπότην
ἄλλον θεραπεύειν, ἀλλὰ βυρσίνην ἔχων
δειπνοῦντος ἑστὼς ἀποσοβεῖ τοὺς ῥήτορας.

---

[81]) Equitt. 54—60.

Sed quid affero singula, ubi tota comoedia clamat? Nam statim a fabulae initio [82]) Demosthenes et Nicias, qui illa aetate duces erant, procedunt deque iniuriis sibi a servo Paphlagone, quem recens emptum nominant, illatis conqueruntur. Nuncupant igitur eum *Παφλαγόνα τὸν νεώνητον*, quae verba ab interpretibus nondum explicata, sine difficultate illustrari possunt; si cum voce *πρῴην*, qua alibi usus est, collata, proprie sumuntur. Imprimis magni momenti sunt versus poëtae, quibus quando Cleo electus sit imperator, exponit. Ait enim [83])

οὗτος τῇ προτέρᾳ νουμηνίᾳ
ἐπρίατο δοῦλον, βυρσοδέψην Παφλαγόνα,

scholiasta adnotat: „*παρελθούσῃ, τουτέστι νεωστί· ἵνα δείξῃ τὸν Κλέωνα οὐ πάλαι τῆς πολιτείας τετυχηκότα. ἐν δὲ ταῖς νουμηνίαις οἱ δοῦλοι ἐπωλοῦντο καὶ οἱ στρατηγοὶ ἐχειροτονοῦντο*“, qui bene intellexit, poëtam in his verbis non tam veritatem exprimere, quam ludere velle [84]). Pertinet enim illud ad fabulae compositionem, quod priore novilunio servum emptum facit. Accedit locus e Nubibus petitus, quo ita poëta loquitur [85]):

εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην Παφλαγόνα
ἡνίχ' ᾑρεῖσθε στρατηγόν, τὰς ὀφρῦς ξυνήγομεν,
κἀποιοῦμεν δεινά· βροντὴ δ' ἐῤῥάγη δι' ἀστραπῆς·
ἡ Σελήνη δ' ἐξέλειπε τὰς ὁδούς· ὁ δ' Ἥλιος
τὴν θρυαλλίδ' εἰς ἑαυτὸν εὐθέως ξυνελκύσας
οὐ φανεῖν ἔφασκεν ὑμῖν, εἰ στρατηγήσει Κλέων.
ἀλλ' ὅμως εἵλεσθε τοῦτον· —

Addit scholiasta „*ἐπειδὴ ἔκλειψις ἐγένετο σελήνης τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Στρατοκλέους βοηδρομιῶνι.*“ De solis eclipsi veteres enarratores incertiores haerent, ut alter re vera eam factam esse statuat, alter autem id neget; cui recentiorum interpretum plurimi assentiuntur. Quodsi quis quae ex Equitibus et Nubibus attulimus, coniungenda esse opinetur: novilunio Boëdromionis

---

82) Ib. 2.

83) Ib. 43 seq.

84) Elucet tamen, alteram partem non necessario esse additam. Nam de servorum agitur emptione, non de imperatoribus creatis.

85) Nubb. 581—587.

Cleonem imperatorem creatum esse evincatur. Idque non male cum Thucydidis historia convenit. Athenienses enim iam illo tempore, quo primum de incommodis sui praesidii compererant aliquid, timuisse narrat [86]), ne hiems interveniret et eos, qui insulam occuparant, recedere cogeret; quod ante illud tempus cogitari nequit. Sed quum illa verba τῇ προτέρᾳ νουμηνίᾳ, ut diximus, ad fabulam pertineant, et ut tempora, quibus mercatus exercebatur, designarentur, inventa sint: non audiendus est scholiasta, qui servos emi, ducesque eligi eodem tempore credit, nihilque tenendum, nisi creatum esse eum mense Boëdromione. Quod si verum est, nullo tempore melius ea a poëta dici poterant, nisi quo actam esse fabulam didascalica nota docemur.

Transimus ad aliam caussam, explicatu paullo difficiliorem. Nam inter ea, quae poëta Cleoni opprobrio vertit, id quoque exagitavit, quod pacem impedierit, his usus verbis [87])

Ἀρχεπτολέμου δὲ φέροντος
τὴν εἰρήνην ἐξεσκέδασας, τὰς πρεσβείας τ' ἀπελαύνεις
ἐκ τῆς πόλεως ῥαθαπυγίζων, αἳ τὰς σπονδὰς προκαλοῦνται,

quibus interpretes sese vexari tantum non omnes confessi sunt. Est enim primo incertum, utrum verum an fictum tantummodo hominis nomen protulerit. Sed qui alteram amplexus est opinionem, scholiasta, a Berglero exscriptus, tanto versatur in temporis errore, ut omnem fidem primum eius verba legenti exterminet. Accedere dicent nonnulli, quod aliud extet scholium satis memorabile, quo altera confirmetur eaque ipsa Ari-

[86]) Thucyd. IV, c. 27. qui si menses Atheniensium nominare voluisset, multo facilius nobis nostrum negotium reddere potuisset. Sed quia librum suum omnibus Graecis, non suis solum popularibus destinarat, dicaveratque eorum posteris: anni tempora ita describere erat coactus, ut non singularem unius gentis annos computandi rationem sequeretur, sed communi omnium more uteretur, qui in ore ac sermone hominum regnabat. Errat igitur Dionysius Hal. Iud. de Thucyd. vol. VI, p. 827, qui „καινήν δέ τινα καὶ ἀτριβῆ" ait „τοῖς ἄλλοις πορευθῆναι βουληθεὶς ὁδόν" cett. cfr. die histor. Kunst der Griechen von Creuzer, p. 267 seq.

[87]) Equitt. 794—796.

stophaneae comoediae indoli non minus consentanea sententia. Ego contra ex eo nihil adiumenti peti posse credo. Nam aut me omnis ratio fallit, aut ibi de alio Archeptolemo sermo instituitur. Quod ut mecum intelligat, quicunque his sese tradit quaestionibus suamque iis navat operam, scholiastae verba apponam. Quum enim poëta Cleoni impudentiam et fraudes peregrinis hominibus illatas his obiecisset versibus[88]):

ἆρα δῆτ' οὐκ ἀπ' ἀρ-
χῆς ἐδήλους ἀναί-
δειαν, ἥπερ μόνη
προστατεῖ ῥητόρων;
ᾗ σὺ πιστεύων ἀμέλγεις τῶν ξένων τοὺς καρπίμους,
πρῶτος ὤν· ὁ δ' Ἱπποδάμου λείβεται θεώμενος,

Hippodamique simul mentionem iniecisset; scholiastae in diversas abeunt sententias, et ita loquuntur „οὗτος ἐν Πειραιεῖ κατῴκει καὶ οἰκίαν εἶχεν, ἥνπερ ἀνῆκε („ἤγουν εἴασεν, ἀπέλυσεν" Gl. Victor.) δημοσίαν εἶναι· καὶ πρῶτος αὐτὸς τὸν Πειραιᾶ κατὰ τὰ Μηδικὰ συνήγαγε· πικρῶς οὖν λέγει, ὅτι σὺ μὲν ἀνάξιος ὢν σφετερίζῃ, καὶ ἀπὸ πάντων κερδαίνεις, ὁ δὲ εὐνούστατος ὢν τῇ πόλει καταλείβεται τοῖς δάκρυσιν ἀναξίως ὁρῶν σε τὰ τῆς πόλεως καρπούμενον, λυπεῖται, φησὶν, ὁ Ἀρχεπτόλεμος. οὗτος γὰρ πολλὰ ὠφέλησε τὴν πόλιν, καὶ οἱ μὲν αὐτόν φασι Θούριον, οἱ δὲ Μιλήσιον. Κλέωνος δὲ ἐχθρὸς ἦν· λείπει δὲ ὁ ὀφθαλμός. ΑΛΛΩΣ. Ἱππόδαμος μόνος λείβεται καὶ ἡττᾶται. διεβάλλετο γὰρ ἐπὶ πολυφαγίᾳ ὁ Ἱππόδαμος, ὡς οὖν τοῦ Κλέωνος ὄντος γαστριμάργου, παρευδοκιμουμένου δὲ ὑπὸ Ἱπποδάμου κέχρηται τῇ συγκρίσει χρησιμώτατα· ὁμοῦ γὰρ καὶ τὸν Ἱππόδαμον καὶ τὸν Κλέωνα διαβάλλει." Quae quidem scholiastae verba, ut saepe, paene incredibili interpretes socordia tractarunt: qui vix accurate Graecam enarrationem perlegentes, pro arbitrio notas cohaerentes discerpere, discerpendas autem coniungere consueverunt. Praeterquam enim quod Kusterus Suidae scripturam, qui ὁ Ἱππόδαμος casu primo exhibet, quam eandem ab altero probari scholiasta non inepte coniecit, Aristo-

88) Ib. 322—327.

phani restituendam esse contenderat: omnes reliqui, inter quos Berglerum, Brunckium, Wielandium nomino, non de Hippodamo ipso, sed de eius filio cogitarunt, eumque Archeptolemum a scholiasta vocari crediderunt [89]). Ac praeter hos Dukerus quoque ad hunc scholiastam provocavit, ubi locum de Archeptolemo pacem ferente explicandum aggreditur, et Archeptolemum Atheniensem fuisse pacis cupidum opinatur [90]). Profecto, si tantos viros tam negligenter agere videmus, nisi maxime perversus es, a summa modestia nunquam recedes.

In Piraeeo erat Athenis forum Hippodamium, ab homine nominatum aut Thurio aut Milesio, quo Themistocles Medici belli temporibus in celeberrimis suis ad urbem muniendam susceptis conatibus usus fuerat [91]). Idem primus omnium, qui rempublicam non gesserant, ausus est de optimo civitatis statu loqui. Quamobrem in Aristotelis reprehensionem incidit, qui praeterea eius indolem naturamque describit et perstringit [92]). „Γενόμενος“ ait „καὶ περὶ τὸν ἄλλον βίον περιττότερος διὰ φιλοτιμίαν, οὕτως ὥστε δοκεῖν ἐνίοις ζῆν περιεργότερον τριχῶν τε πλήθει καὶ κόσμῳ πολυτελεῖ· ἔτι δὲ ἐσθῆτος εὐτελοῦς μὲν, ἀλεεινῆς δὲ οὐκ ἐν τῷ χειμῶνι μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ τοὺς θερινοὺς χρόνους· λόγιος δὲ καὶ περὶ τὴν ὅλην φύσιν εἶναι βουλόμενος.“ Ex his Aristotelis verbis utrumque scholiastam tam diversa de uno Hippodamo dicere potuisse apparet. Ut enim propter honoris cupiditatem Athenienses beneficiis cumulare; ita propter vitae rationem in πολυφαγίας reprehensionem incurrere potuit. Sed de solo Hippodamo, non de eius filio nescio quo scholiastas locutos esse, simul patet: ut dubitatio prorsus nulla in animo nostro oboriri possit. De altero scholiasta non est, quod verba faciam. Prior autem quum haec dixerit „καὶ πρῶτος αὐτὸς τὸν Πειραιᾶ κατὰ τὰ Μηδικὰ συνήγαγε“ quum addiderit „καὶ οἱ μὲν αὐτόν φασι Θούριον, οἱ δὲ Μιλήσιον“ et fine verbis

---

89) cfr. eorum versus 826 interpretationes.

90) Duker. ad v. 794.

91) Harpocrat. in v. Ἱπποδάμεια. Hesych. in Ἱπποδάμου νέμησις. Leake's Topographie v. Athen, übersetzt v. Rienäcker, p. 334.

92) Aristotel. Politt. II, c. 8.

suis imposito, genitivum nominis ὀφθαλμὸς ellipsi explicaverit: quo quia modo ad eius filium delabi potuerit, non intelligitur. Sed unde illa verba, quae interpretes omnes fefellerunt „λωκεῖται, φησίν, ὁ Ἀρχεπτόλεμος“? quid sibi volunt? Ea de re quum primo cogitarem, in eam incidi suspicionem, ut nomen corruptum esse et pro ὁ Ἀρχεπτόλεμος, ὁ Ἀριστοφάνης reponendum esse crederem. Sed alia adest multo melior difficultatis expediendae ratio. Aperte enim ab illis verbis „λωκεῖται, φησίν“ alius grammatici interpretatio incipit. Nam si prior etiamnum loqueretur, inepte haec „οὗτος γὰρ πολλὰ ὠφέλησε τὴν πόλιν“ repetiisset, quae neque utilia sunt, neque necessaria dictu, postquam accuratius singula beneficia enumerata sunt. Quid autem nos impedit, quominus eum grammaticum Archeptolemum vocatum esse credamus? Sed utcumque de his statuimus, nemo posthac Archeptolemum, Hippodami filium dicere, eumque ipsum Atheniensibus pacem offerre voluisse, contendere audebit [93]).

Redimus igitur, re infecta, ad poëtae versus. Ac mihi quidem non dubium esse videtur, quin Aristophanes, ubi Archeptolemum memorat, de prima legatione, quam post Sphacteriam captam et interceptos Lacedaemonios missam esse scimus, loquatur, recteque Palmerius [94]) ex hoc loco patere eius principem legationis Archeptolemum Laconem fuisse, censuerit. Ita enim omnia optime cohaerent; Thucydidesque cum Aristophane praeclare consentit. Ut enim Thucydides primam legationem diligenter nobis proponit [95]); ceteras, quae mox sequebantur primam, carptim commemorat [96]): eadem ratione primam prae reliquis, ducis nomine non praetermisso, insignem reddidit Aristophanes [97]). Videmus igitur, haec quoque de La-

---

[93]) Memorabile est, Aristophanis interpretes a vero aberrasse, dum qui antiquitatibus Atheniensium operam navabant, omnes ea scholiastae verba non de Archeptolemo quodam, sed de ipso Hippodamo recte intellexerant.

[94]) Palmer. Exercitt. p. 727.

[95]) Thucyd. IV, 15—22.

[96]) Id. ib. c 41.

[97]) Erravit Beckius, Commentt. VI, p. 220 „Certe distinguuntur haec h. l. Ἀρχεπτ. — ἐξεσκέδασας (dissipasti, i. e. repudiasti) et *legatos*

cedaemoniis pacem petentibus et a Cleone pulsis ab Aristophane dicta, archonte Stratocle Lenaeis fabulam doctam esse ostendere.

Paullo post Pylum captam eadem aestate in agrum Corinthium profecti Athenienses bene feliciterque pugnarunt. Qua in pugna quum equites imprimis fortes fuerint, ut Thucydides testatur [98]), id verissime pulcherrimeque Aristophanes celebrat meritaque non equitibus ipsis, sed eorum equis deberi explicat [99]). Ex his multisque aliis argumentis, de tempore fabulae doctae dubitari non posse intelligimus. Hoc magis mirus est scholiastae error, qui octavi anni apud poëtam commemoratione suaque belli Peloponnesiaci annos computandi ratione deceptus ad aliena delapsus est. Sed quam parum scholiastis, singulos locos poëtae explicantibus, confidere liceat, luculento discimus testimonio.

His expositis totam hanc quaestionem mittere liceret, nisi in didascalica nota, quam ab initio apposui, superessent, quae oratione egent. Dictum enim est ibi „ἐδιδάχθη — δημοσίᾳ“ h. e. civitatis sumptibus comoedia docta est. En! Wielandi! somnia tua, quibus indolem poëtae nostri polluere volebas, ut labuntur, ruunt, concidunt, abeuntque in aëra et ventos! Non erat Nicias, qui sumptus ad docendas Aristophanis fabulas illi praeberet, non Demosthenes, non aliud procerum primorumque caput! Civitas ipsa, ipsa, inquam, civitas Aristophanis docendam curabat comoediam. Iam intelligimus, vates nobilissime, iam perspicimus, pia anima, (ac quanta laetitia, quanto gaudio!) quo iure, tuae tibi conscius innocentiae, de tuo ex illa fabula edita honore locutus sis [100]):

---

abigis, ita ut illum a legatis diversum potius fuisse coniicias.“ Nam disiungendi quidem sunt legati, sed ita, ut primus a multis sequentibus separetur.

98) Thucyd. IV, 42—44 „ἦσαν γὰρ τοῖς Ἀθηναίοις οἱ ἱππῆς ὠφέλιμοι ξυμμαχόμενοι, τῶν ἑτέρων οὐκ ἐχόντων ἱππῆς.“

99) Arist. Equitt. 595—610.

100) Vespp. 1021 seqq. „οὐκ ἀλλοτρίων“ contra Cratini Eupolidisque criminationes dici videtur, qui eum adiutum esse ab Eupolide significaverant.

μετὰ τοῦτο δὲ καὶ φανερῶς ἤδη κινδυνεύων καθ' ἑαυτὸν,
οὐκ ἀλλοτρίων, ἀλλ' οἰκείων Μουσῶν στόμαθ' ἡνιοχήσας
ἀρθεὶς δὲ μέγας καὶ τιμηθεὶς ὡς οὐδεὶς πώποτ' ἐν ὑμῖν,
οὐκ ἐκτελέσαι φησὶν ἐπαρθεὶς οὐδ' ὀγκῶσαι τὸ φρόνημα. —

Qua de caussa urbs ipsa chorogi munus susceperit, inde credo optime explicatur, quod prae nimio metu privati homines id non audebant. Memoratu dignissima sunt praeterea verba argumenti scriptoris, quae huc traxerim „*καὶ τὰ μὲν πρῶτα κύπτει φοβούμενος· εἶτα προφανεὶς αὐτὸς ἀνεδίδαξε τὸ δρᾶμα.*" Cur enim hac voce *ἀνεδίδαξε* pro simplici *ἐδίδαξε* usus est?

Ceterum non frustra Athenienses poëtae sumptus praebuerunt. Eius enim comoedia tanto audiebatur plausu, ut de Cratino sene et de Aristomene victoriam acciperet, primoque praemio potiretur. Cratinus enim *Σατύρους* in scenam produxerat, Aristomenes *'Ολοφυρμούς*, quam fabulam, si ex nomine solo coniecturam facere licet, ad Lacedaemonios captos et eorum parentes, fratres, reliquosque cognatos homines pertinuisse probabile est; qui lamentabantur tristique facie in scenam adducebantur.

XXXVII.

„*Ὁ σκοπὸς αὐτῷ πρὸς τὸ καθελεῖν Κλέωνα*" ait Equitum argumenti scriptor [1]). Quod quum verissime dictum sit, primum de Cleone loqui caussasque explicare debemus, propter quas in illius imperium, tanquam liberae civitati non tolerabile invectus sit, et tollendum e republica hominem esse, Athenienses admonuerit. Si propter sua iudicia de singulis hominibus lata interdum poëta noster male habitus, in veterum recentiorumque scriptorum libris reprehenditur; quanquam nullum hominem magis laceravit, quam Cleonem: tamen propterea a nemine est neque invidiae accusatus, neque alia reprehensus ratione. Id effecit potissimum Thucydidis cum Aristophane con-

---

1) Arist. I, p. 65, 1.

sensio. Quum enim plures ea tempestate cives Athenis essent, qui seque et rempublicam omni modo perditum irent: comicus poëta scriptorque historicus consentientes ex tanta multitudine Cleonem eximunt, eumque obstinato animo plurima civitati damna intulisse, interitumque parasse perhibent. Vis morbi, quae plures cives invaserat, utriusque viri iudicio, in Cleone maxime omnium apparuit.

Quod si est aliquid, in quo Thucydides, amplissimus rerum Graecarum enarrator, longe aliis communi omnium sententia excellit: prae ceteris iudicium, quod, ut de rebus gestis, ita de singulis hominibus eorumque vita et moribus latum, inter praecipuas est eius historiae virtutes. Nemo enim tam praeclare in vituperando et in laudando modum tenuit [2]); nemo, quid ipse probet, quid improbet, tam iuste tamque prudenter exhibuit; nemo ab omni partium studio tam liber fuit. Genere licet Atheniensis, nusquam iram odiumque in Lacedaemonios prae se tulit; ab Atheniensibus licet expulsus esset, nusquam in cives suos invidiam ostendit: in rebus utriusque gentis enarrandis semper sobrius iudex, nihil eximii occultavit; nihil mali extulit. Quare si quem laudavit, hanc laudem omnium vox communis sapientium maximi fecit; si vituperavit, aeterna reprehenso nota inusta inhaesit [3]). De Cleone tamen Thucydidisque iudicio duplex extat hominum opinio. In antiqua enim Thucydidis vita, quae in fronte Marcellini nomen gerit, sed omnium iudicio e pluribus libellis conflata est [4]), utraque sententia expressa legitur. *Ἔγραφε δ' οὐδ' οὕτω μνησικακῶν τοῖς Ἀθηναίοις* ait scriptorum prior [5]), *ἀλλὰ φιλαλήθης ὢν καὶ τὰ ἤθη μέτριος· εἴγε οὔτε Κλέων παρ' αὐτῷ, οὔτε Βρασίδας ὁ τῆς*

---

[2]) cfr. Butidius Niger ap. Senec. Suasor. VI.

[3]) Quo iure id factum sit, eius scribendi ratio ostendit. Omne enim iudicium a rerum singularum accurata cognitione pendet (G. I. Vossii Ars histor. p. 91); Thucydides autem summa cura, ne vel minimam rem gestam ignoraret, operam dedit. cfr. II, c. 22.

[4]) Scriptor anonymus observationum in Thucydidem, quae in litterario Diario Hagensi (Iournal litteraire) T. IV, p. 429 sq. leguntur. Poppo in Thucyd. Vol. I, P. I, p. 21. G. H. Grauertus ad Marcell. Vit. Thucyd. Observv. Critt. in Rhenano Museo I, 3, p. 257 seqq.

[5]) Marcell. vita Thucyd. p. XIII, ed. Bipont.

συμφορᾶς αἴτιος ἀπέλαυσε λοιδορίας, ὡς ἂν τοῦ συγγραφέως ὀργιζομένου. καίτοι οἱ πολλοὶ τοῖς ἰδίοις πάθεσι συνέθεσαν τὰς ἱστορίας, ἥκιστα μελῆσαν αὐτοῖς τῆς ἀληθείας. — ὁ δὲ μέτριος καὶ ἐπιεικὴς, τῆς ἀληθείας ἥττων. Huic posterior aliam opponit sententiam, hoc modo locutus[6]: „Ἰστέον δὲ ὅτι στρατηγήσας ὁ Θουκυδίδης ἐν Ἀμφιπόλει καὶ δόξας ἐκεῖ βραδέως ἀφικέσθαι, καὶ προλαβόντος αὐτὸν τοῦ Βρασίδου, ἐφυγαδεύθη ὑπ' Ἀθηναίων, διαβάλλοντος αὐτὸν τοῦ Κλέωνος· διὸ καὶ ἀπεχθάνεται τῷ Κλέωνι καὶ ὡς μεμηνότα αὐτὸν εἰσάγει πανταχοῦ." Ipse tamen postea veritatis ei amorem testatur (τὸ χαίρειν ταῖς ἀληθείαις), eum in moribus exprimendis eximium (δεινὸς δὲ ἠθογραφῆσαι) vocat et pulcherrime verissimeque eum laudat[7]) „ὄψει γοῦν παρ' αὐτῷ φρόνημα Περικλέους καὶ Κλέωνος οὐκ οἶδ' ὅ τι ἂν εἴποι τις· Ἀλκιβιάδου νεότητα, Δημοσθένους πάντα, Νικίου χρηστότητα, δεισιδαιμονίαν, εὐτυχίαν μέχρι Σικελίας καὶ ἄλλα μυρία", ut videamus, suis praecedentibus dictis eum non magnum pondus tribuisse ipsum. Nos autem haud dubie priori iudicio multo magis, quam posteriori assentiri oportet. Qui enim suum exilium sine ulla querela civiumque accusatione tangere; qui Brasidam verum suae infelicitatis auctorem quam maxime laudare poterat; qui non vituperat, nisi ubi ipsa narratio unicuique prudenti lectori reprehensionem excutit; qui

[6]) Marcell. Vit. Thucyd. p. XXIII seqq.

[7]) De hoc loco posteriore Grauertus in fine Observationum p. 198 disputavit, sed ita ut infelicissime corrigenda non tangeret, non mutanda autem corrigeret; quare vellem haec non addidisset. Quum enim Themistoclis commemorationem, cuius praetereundo tantum Thucydides meminit, huic loco non aptam esse, nemo non videat: illius loco Demosthenis nomen reponendum esse arbitror. Deinde Grauertus, opinione seductus, nihil nisi mores et ingenia hominum scriptorem notare voluisse, πάντα in πανουργίαν, εὐτυχίαν in εὐψυχίαν mutavit. At nihil infelicius, pace viri optimi dixerim, cogitari potest. Posteaquam enim Periclem et Cleonem commemoravit, ad reliquos ubi transit, singulorum mores tangere desinit. Nam iam in Cleone spem aliquid reperiendi, quod aptum esset, abiecerat. Alcibiadis igitur (νεότητα) iuventutem, (totam enim eius vitam ex Thucydide non cognoscimus) Demosthenis totam vitam, Niciae felicitatem, antequam iret in Siciliam, in Thucydidis libris reperiri posse iudicat. Ea igitur correctione non indigent. Sed quomodo Grauertus Θεμιστοκλέους πανουργίαν „non nimis malevolo sensu" admittere potuerit, et εὐψυχίαν Niciae: qui primis tantummodo labris Thucydidem attigit, non intelliget. Εὐτυχίαν autem vide V, 16.

denique ubique in iudicando summam exercet iustitiam: eum Cleone, pessimo turbulentissimoque homine, adductum historiae leges, quas semper sanctissime observavit, neglexisse, cogitari nequit. Accedit, quod nullus sequentium scriptorum Cleonis caussam defendere maculisque a Thucydide iniustis liberare voluit: ut brevi dicam, quicunque aequalium et posterorum Cleonem tetigerunt, ii omnes eius temeritatem et immodestiam perstrinxerunt [8]).

Iam quanta sit in iudicio de Cleone dicto inter Aristophanem et Thucydidem similitudo, ostendendum erit, ut comoediae iustitia tota ab omnibus agnoscatur; poëtaeque nostri veritatis amor illustri demonstretur documento. Thucydides enim vocat eum civem omnium violentissimum (*βιαιότατον τῶν πολιτῶν*); plebique illo tempore quam maxime acceptum [9]) (*τῷ δήμῳ παρακολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατον*). Aristophanes autem non aliter eum describit hoc versu [10])

ἅρπαξ, κεκράκτης, Κυκλοβόρου φωνὴν ἔχων

aliisque multis. Quum enim Equites prodeunt Cleonemque vident, hoc modo eum appellant [11]):

παῖε, παῖε τὸν πανοῦργον καὶ ταραξιππόστρατον
καὶ τελώνην καὶ φάραγγα καὶ Χάρυβδιν ἁρπαγῆς
καὶ πανοῦργον καὶ πανοῦργον· πολλάκις γὰρ αὔτ' ἐρῶ.
καὶ γὰρ οὗτος ἦν πανοῦργος πολλάκις τῆς ἡμέρας.

Sed quid singula affero. Optime enim Hudsonus, ut illum Thucydidis locum explicet, nihil adnotavit [12]), nisi „de hoc Cleone lege Aristophanis Equites.“ Tota enim fabula eadem utrumque ferri opinione clamat. Quare statim ad illud similitudinis testimonium provocor, quod inter omnia summum est. Quum Cleo a multitudine coactus praeturam suscepisset: quae bono-

---

8) Non attinet, singulos nominare. Plutarch. de malignit. Herodoti p. 815 „*ὅθεν ὁ Θουκυδίδης οὐδὲ τῶν Κλέωνος ἁμαρτημάτων ἀφθόνων ὄντων ἐποιήσατο σαφῆ τὴν διήγησιν· Ὑπερβόλου δὲ τοῦ δημαγωγοῦ θιγὼν ἐν ῥήμασι καὶ μοχθηρὸν ἄνθρωπον προσειπὼν ἀφῆκε.*“

9) Thucyd. III, 36.

10) Arist. Equitt. 137.

11) Id. ib. 247—250.

12) Thucyd. II, p. 535 ed. Bipont.

rum opinio fuerit, a Thucydide exponitur, quibus se ipse sine dubio annumerabat [13]), „Τοῖς δὲ Ἀθηναίοις ἐνέπεσε μέν τι καὶ γέλωτος τῇ κουφολογίᾳ αὐτοῦ, ἀσμένοις δ' ὅμως ἐγίγνετο τοῖς σώφροσι τῶν ἀνθρώπων, λογιζομένοις δυοῖν ἀγαθοῖν τοῦ ἑτέρου τεύξεσθαι, ἢ Κλέωνος ἀπαλλαγήσεσθαι·(ὃ μᾶλλον ἤλπιζον) ἢ σφαλεῖσι γνώμης Λακεδαιμονίους σφίσι χειρώσεσθαι." Videmus igitur Aristophanem, qui eandem publice profitetur sententiam, hominibus probis (σώφροσι) annumerandum esse. Poëta enim, quum Cleo ab Agoracrito impugnatus dixisset [14])

οἴμοι, διαῤῥαγήσομαι

Agoracritus autem respondisset

καὶ μὴν σ' ἐγὼ οὐ παρήσω

chorum dicentem inducit

πάρες, πάρες πρὸς τῶν θεῶν αὐτῷ διαῤῥαγῆναι.

Quae quum ioco dicta sint, alio loco vel apertius eandem plane cum Thucydide profitetur sententiam. Canit enim in fine scenae cuiusdam chorus ita [15]):

ἥδιστον φάος ἡμέρας
ἔσται τοῖσι παροῦσι πᾶ-
σιν καὶ τοῖς ἀφικνουμένοις,
ἢν Κλέων ἀπόληται.

Eademque totam per comoediam redire videmus. Ceterum de ipsa illa promissione, intra viginti dies Lacones Athenas portandi similiter iudicant. Non solum enim, qua de re a Plutarcho laudatur, κουφολογίαν, sed etiam μανίαν illi exprobravit Thucydides, cuius rei Plutarchus immemor erat [16]); Aristophanes autem, ita locutus [17])

τούτῳ γέ τοι Παφλαγὼν παρεκινδύνευσε μεθυσθείς,

vino oppressum eum fuisse significat.

---

13) Thucyd. IV, c. 28.
14) Ar. Equitt. 340, 341.
15) Id. ib. 973—976.
16) Plutarch. de malignit. Herodoti p. 855 „ἢ θρασύτητα καὶ μανίαν Κλέωνος μᾶλλον, ἢ κουφολογίαν." Adde Thucyd. IV, 28 et c. 39 „καίπερ μανιώδης οὖσα ἡ ὑπόσχεσις ἀπέβη."
17) Ar. Equitt. 1054. cfr. schol.

Alio loco et seriore tempore ignaviam et imperitiam Cleoni Thucydides exprobravit. Cum enim eius milites in Thracia in eum inveherent, cogitabant imprimis, ut Thucydides ait[18]), „τὴν ἐκείνου ἡγεμονίαν, πρὸς οἵαν ἐμπειρίαν καὶ τόλμαν μεθ' οἵας ἀνεπιστημοσύνης καὶ μαλακίας γενήσοιτο.“ Similia multis locis Aristophanes pronuntiat. Ita quum Cleo de Pylo expugnata gloriaretur, Agoracritus respondit[19]):

Κεκροπίδη κακόβουλε, τί τοῦθ' ἡγεῖ μέγα τοὔργον;
καί κε γυνὴ φέροι ἄχθος, ἐπεί κεν ἀνὴρ ἀναθείη·
ἀλλ' οὐκ ἂν μαχέσαιτο· χέσαιτο γὰρ, εἰ μαχέσαιτο.

Denique Thucydides caussas exposuit, propter quas et Cleo et Brasidas pacem componere noluissent[20]), ita „ὁ μὲν διὰ τὸ εὐτυχεῖν τε καὶ τιμᾶσθαι ἐκ τοῦ πολεμεῖν, ὁ δὲ γενομένης ἡσυχίας καταφανέστερος νομίζων ἂν εἶναι κακουργῶν καὶ ἀπιστότερος διαβάλλων.“ Optime et accuratissime his conveniunt, quae ubique Aristophanes tradit; nullo autem loco apertius, quam quo Agoracritus ex eo quaesierat, cur bellum non finiret, et Cleoni dicenti[21])

ἵνα γ' Ἑλλήνων ἄρξῃ πάντων

respondebat

οὐχ ἵνα γ' ἄρξῃ μὰ Δί' Ἀρκαδίας προνοούμενος, ἀλλ' ἵνα μᾶλλον
σὺ μὲν ἁρπάζῃς καὶ δωροδοκῇς παρὰ τῶν πόλεων· ὁ δὲ δῆμος
ὑπὸ τοῦ πολέμου καὶ τῆς ὁμίχλης ἃ πανουργεῖς μὴ καθορᾷ σου,
ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης ἅμα καὶ χρείας καὶ μισθοῦ πρός σε κεχήνῃ.

At plura addere non est necessarium; quum si dicendi rationem comoediae propriam non nimis urgemus, cuncta quae uterque protulit, eandem prae se ferant indolem et naturam.

---

18) Thucyd. V, c. 7.
19) Ar. Equitt. 1055—1057.
20) Thucyd. V, 16.
21) Ar. Equitt. 797, 801—804.

Adesse tamen inter ea, quae a scriptore historico referuntur, et a poëta comico in scena ostenduntur, non parvum discrimen, quicunque accurate locos enotatos comparabit intelliget. Neque tamen omnes omni tempore id observasse videntur. Effecit enim illa Thucydidis cum Aristophane consensio, ut quaecunque comoedia in Cleonem iecerit convicia, ea omnia repetantur ubique; neque discernatur, quod comoediae soli proprium, nisi in comoedia dici non debet. Ita, ut unum rei exemplum proferam, omnes recentiores veteresque, Cleonis nomine appellato, semper addunt, eum βυρσοπώλην fuisse, et ex hac re reprehensionem ei petunt; quae nulla est. Sed ea res mihi tanti esse momenti videtur, ut ipsius comoediae caussa altius eam repetam.

Exordior a Plutarchi in Cleonem dicto, quod qualis fuerit ille, quum primum ad civitatem gerendam animum appelleret, pulcherrime docere potest. Ait autem ille haec[22]) „ὁ μὲν γὰρ Κλέων ὅτε πρῶτον ἔγνω τῆς πολιτείας ἅπτεσθαι, τοὺς φίλους συναγαγὼν εἰς ταὐτὸ διελύσατο τὴν φιλίαν πρὸς αὐτούς, ὡς πολλὰ τῆς ὀρθῆς καὶ δικαίας προαιρέσεως μαλάσσουσαν ἐν τῇ πολιτείᾳ, καὶ παράγουσαν." Quibus dictis Cleonis sententiam diiudicat „ἄμεινον δ' ἂν ἐποίησε τὴν φιλοπλουτίαν ἐκβαλὼν τῆς ψυχῆς καὶ τὴν φιλονεικίαν, καὶ φθόνου καὶ κακοηθείας καθήρας αὐτόν· οὐ γὰρ ἀφίλων αἱ πόλεις ἀνδρῶν καὶ ἀνεταίρων, ἀλλὰ χρηστῶν καὶ σωφρόνων δέονται· νυνὶ δὲ τοὺς μὲν φίλους ἀπήλασεν, ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο[23]) περὶ αὐτόν, ὡς οἱ κωμικοὶ λέγουσι· καὶ τραχὺς ὢν περὶ τοὺς ἐπιεικεῖς καὶ βαρύς, αὖθις ὑπέβαλε τοῖς πολλοῖς πρὸς χάριν παντὸς γεροντagωγεῖν κἀναμισθαρνεῖν διδοὺς[24]) καὶ τὸ φαυλότατον καὶ τὸ νοσοῦν μάλιστα τοῦ δήμου προσεταιριζόμενος ἐπὶ τοὺς ἀρίστους." Hoc in iudicio totum videmus Plutarchum a Comicis pendere, imprimis ab Aristophane, et ita eius iustitiam agnoscere. Sed ego si quid video, Plutarchus, posterioris vitae vitiis seductus, nimis severe iudicat. Probat enim ea narratio,

---

22) Plut. Reip. gerend. praecept. p. 806 seqq.
23) Arist. Pac. 756. Vespp. 1033.
24) Süvern, über Aristoph. Alter, p. 12. Valck. Diatr. in Eurip. reliq. p. 230, ed. Lips. Dindorf. Arist. fragm. p. 108.

Cleonem ab initio quantum sit negotium, civitatem gerere, bene cognovisse, recte et iuste eam administrandi cupidissimum fuisse; quae laus etsi oppressa est rebus ab eo gestis, opprimi autem prorsus non debet.

Ac primum quidem eo tempore prodibat, quo Pericles totam civitatem suo nutu, omnium Atheniensium princeps, regebat, suumque consilium belli contra Lacedaemonios gerendi, quanquam a multis vehementer morsus laceratusque, ad exitum perduxit. Eius rei iterum testem producimus Plutarchum, qui in Periclis vita [25]) viri summi constantiam describit, meminitque Cleonis [26]) „ἐπεφύετο δὲ καὶ Κλέων ἤδη διὰ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ὀργῆς τῶν πολιτῶν πορευόμενος ἐπὶ τὴν δημαγωγίαν, ὡς τἀνάπαιστα ταῦτα δηλοποιεῖ τὰ Ἑρμίππου·

— κἀγχειριδίου δ' ἀκόνῃ σκληρᾷ
παραθηγομένης βρύχεις κοπίδος
δηχθεὶς αἴθωνι Κλέωνι."

Hermippi versus propterea sunt nobis maxime advertendi, quia quos mores illo iam tempore ostenderit, intelligimus. Non frustra enim eum αἴθωνα appellavit, quod ut Salvinius vere opinatur, ex Homerico αἴθωνι σιδήρῳ adumbratum est, et fervidum hominem significat [27]). Belli igitur gerendi iam tum cupidus, iustis de caussis cunctantem Periclem aggressus, sui ingenii pravam demonstravit indolem. Eodemque modo agentem eum semper et ubique videmus. Quod quum intelligamus, omnem tamen illi soli culpam non debemus tribuere. A fervido enim ingenio suo abreptus, malisque aequalium moribus ipse est in maiora vitia delapsus. Nam si verum est, quod verissimum esse homines prudentissimi saepe dixerunt, a malis demagogis corrumpi et in deterius labi civitatem — audi modo Solonem [27]) „τὸ θεῖον καὶ οἱ νομοθέται οὐ καθ' ἑαυτὰ δύνανται ὀνῆσαι τὰς πόλεις· οἱ δὲ ἀεὶ τὸ πλῆθος ἄγοντες ὅπως ἂν γνώμης ἔχωσιν· οὕτω δὴ καὶ τὸ θεῖον καὶ οἱ νόμοι, εὖ μὲν ἀγόντων,

---

[25]) Plut. Pericl. c. 33 (I, p. 277, 5 seqq. ed. Schaef.).

[26]) cfr. Schaefer. not. ad eum locum, IV, p. 358, qui Corais sententiam bene improbat. Gotthold. in Act. Seminar. Lips. II, 2. p. 426.

[27]) Solo apud Diog. Laërt. I, 64.

εἰσὶν ὠφέλιμοι, κακῶς δὲ ἀγόντων, οὐδὲν ὠφελοῦσιν“ divinitus, quae bello Peloponnesiaco fiebant, praesagientem; adde hominem Romanum, Quinctilianum, qui totam Atheniensium historiam perlustrare poterat [28]), „civitatum status scimus ab Oratoribus esse conversos: sive illam Atheniensium civitatem, quondam late principem, intueri placeat, accisas eius vires animadvertemus vitio concionantium“ — id igitur si verum est, tamen non negligi debet, magnam malorum partem iis ipsis esse imputandam, qui tales oratores patiuntur, ferunt, admittunt. Verissime enim Isocrates censuit, suamque Atheniensibus promulgavit sententiam [29]) „*αὐτοὶ πεποιήκατε τοὺς ῥήτορας μελετᾷν καὶ φιλοσοφεῖν οὐ τὰ μέλλοντα τῇ πόλει συνοίσειν, ἀλλ' ὅπως ἀρέσκοντας ὑμῖν λόγους ἐροῦσιν.*“ Idemque exprimere videtur Euripides [30]), qui saepe in malos oratores invehitur [31]):

ἀλλ' οὐκ ἔπειθ' ὅμιλον, εὖ δοκῶν λέγειν,
νικᾷ δ' ἐκεῖνος ὁ κακὸς ἐν πλήθει λέγων.

Et ut ad nostrum poëtam redeam, eadem est Aristophanis sententia, quam ut ubique, ita, quod saepe fugit homines, in Equitibus maxime profitetur. Id paullo post demonstrabimus. Ea erat caussa, qua adducti poterant optimi a civitate regenda absterreri, quod ut Romani scriptoris verbis [32]), simili in caussa dictis, utar, honores neque peti more maiorum, neque capi possent conservatis legibus, neque geri e republica sine periculo, corruptis civitatis moribus. Qui enim sese civilibus fluctibus commiserat, is non magis in sua potestate erat, quam qui maritimis iactabatur. Adspiciamus autem omnes illius aetatis oratores et demagogos. Nonne Periclem ipsum, rectorem civitatis prudentissimum, ut suam sibi servaret potentiam, contra suum ipsius ingenium egisse accepimus? [33]) Quibusque artibus usus Nicias, quem Aristoteles optimum fuisse civem non im-

---

28) Quinctil. Declam. CCLXVIII, p. 509.
29) Isocrat. Or. de Pace p. 159 D.
30) Eurip. Orest. 942.
31) Valcken. Diatr. in Eurip. Reliq. p. 264 seqq. ed. Lips.
32) Corn. Nep. Attic. vit. c. 6.
33) Plut. Pericl. c. 7 „*παρὰ τὴν αὐτοῦ φύσιν ἥκιστα δημοτικὴν οὖσαν.*“

merito iudicavit, ad principatum contendit? „*Χορηγίαις*“ ait Plutarchus [34]) „*ἀνελάμβανε καὶ γυμνασιαρχίαις ἑτέραις τε τοιαύταις φιλοτιμίαις τὸν δῆμον, ὑπερβαλλόμενος πολυτελείᾳ καὶ χάριτι τοὺς πρὸ αὑτοῦ καὶ καθ' ἑαυτὸν ἅπαντας*“; eaque re explicatius tradita addit „*τούτοις δ' ὅτι μὲν πολὺ τὸ πρὸς δόξαν καὶ φιλοτιμίαν πανηγυρικὴν καὶ ἀγοραῖον ἔνεστιν, οὐκ ἄδηλον.*“ Ceteros eius aetatis demagogos nominare et describere, quid attinet? Non excusare, non defendere Cleonem volo, hominem sane pessimae notae civemque improbum, sed iuste quae ipsi mala debentur, quae eius aequalibus aetatique qua vixit, discernere.

Praeterea autem non vitiis solum obsitus erat, sed splendebat quoque quibusdam virtutibus. Cicero [35]) ubi primos, qui Athenis effloruerunt, oratores enumerat; postquam de Pisistrato, Solone, Clisthene, Themistocle, Pericle verba fecit „Cleonem etiam“ ait „temporibus illis turbulentum quidem civem, sed tamen eloquentem constat fuisse.“ Ac dum dicendi genus, quod illa aetate viguerit, describit, Cleonem quoque grandem verbis, crebrum sententiis, compressione rerum brevem, et ob eam ipsam caussam subobscurum fuisse, ex Thucydidis scriptis colligit. Neque nos aliter iudicare possumus. Orationes enim, quas habentem inducit, sunt ita comparatae. Narrant [36]) quidem eum in suggestu omne decorum sustulisse, pallium aperuisse, femur percussisse et alia admisisse mira et insolita. Sed nonne eadem de Caio Graccho tradiderunt eundemque disertissimum fuisse contendunt? Quid autem cunctamur id argumentum proponere, quod omnem animis eximit dubitationem? Ipse Aristophanes id non negat, sed abusum eloquentiae reprehendit. Nam dum externam oratoris faciem, ridet et perstringit, simul qua vi ornatus fuerit, quoque modo dicendo omnes alios subegerit, pluribus locis tradidit. Audi enim, qua via progressus magnam sibi potentiam conciliasse fertur [38]):

---

[34]) Id. Nic. c. 2 seqq.
[35]) Cic. Brut. c. 8.
[36]) Plut. Nic. c. 8.
[37]) Plut. C. Gracch. 3 „*ἰσχύων δὲ τῷ λέγειν, ὡς ἄλλος οὐδείς.*“ Adde c. 4. „*ἦν δὲ μεγαλοφωνότατος καὶ ῥωμαλεώτατος ἐν τῷ λέγειν.*“
[38]) Arist. Equitt. v. 46—49.

οὗτος καταγνοὺς τοῦ γέροντος τοὺς τρόπους —
ἤκαλλ', ἐθώπευ', ἐκολάκευ', ἐξηπάτα
κοσκυλματίοις ἄκροισι, τοιαυτὶ λέγων·
ὦ Δῆμε — —.

Eo pertinet nomen, quo eum significavit, *Παφλαγών*, a verbo *παφλάζειν*[39]); eo, quod *φωνὴν ἐμπεπρησμένης ὑὸς* ei tribuit[40]); eo, quod eum vocat[41]) „*Κλέων ὁ κεκραξιδάμας*"; eo, quod cavendum esse dicit eum[42]),

τὸν κάτωθεν Κέρβερον,
μὴ παφλάζων καὶ κεκραγὼς, ὥσπερ ἡνίκ' ἐνθάδ' ἦν,
ἐμποδὼν ἡμῖν γένηται —.

Eo multa alia referri possunt ac debent, quae enarrare singula longum est. Id unum enim negari nequit, summa eloquentiae vi Cleonem Athenienses saepe secum in varios rapuisse conatus: neque facile plebem ei resistere potuisse[43]). Quae quidem virtus quam ambigua sit, quam raro vere laudanda magnique habenda, Atheniensium historiam contemplanti patet. Sed eam ob caussam, quod hoc modo tam saepe Athenienses eloquentium hominum temeritate in mala facinora abripi se passi sunt (ut ad id redeam, de quo antea sum locutus), nonne eam ob caussam culpae magnam partem ipsi sibi subiiciunt, suisque scse incommodis ipsos enecarunt? Bene enim tenendum est, quod addit poëta, ubi hominis malevolentis conatus describit:

οὗτος καταγνοὺς τοῦ γέροντος τοὺς τρόπους.

Num quid autem aliud significare voluit Thucydides, si coniungit semper utrumque, quod civis violentus populoque acceptus fuerit? Cleonem igitur merito accusamus, qui quae ipsi inerat

---

39) Arist. Equitt. 2, 919. Adde schol. et Eustath. ad Il. p. 360.

40) Id. Vespp. 36.

41) Id. ib. 596.

42) Pac. 314. Rötscher. Aristoph. p. 169.

43) Omnia, quae ex Aristophane nobis magis adversari, quam favere videbuntur iis, qui qua comoedia ratione de rebus singulis loqui soleat, non ignorant. Sed illi comparent, quae idem poëta de Periclis eloquentia, quam summam fuisse adhuc nemo negavit, prodidit, Acharnn. 530 „*ἐντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης Οὐλύμπιος ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα*", cfr. Cic. Brut. l. l.

virtus, qua in salutem et commoda civium uti potuisset, ea abusus homines in perniciem ruentes non retraxit, sed ut multo velocius abirent, impulit.

Si Thucydidis Aristophanisque de Cléóne dicta contemplamur, uter maiorem eius potentiam descripserit, vimque in cives exhibitam vehementiorem tradiderit, dubitamus. Ea potentia autem nonne magnum est, quam insigni praeditus fuerit indole, testimonium? Ut de Thucydide exordiar, eius ad Athenienses habita oratio, quum omnes Mitylenaeos nefario consilio trucidandos esse censeret, ita est comparata, ut nisi potentissimus plebique acceptissimus fuisset, in maxima sese coniecisset pericula. Quid enim ais, si orator Atheniensis suam orationem ita exorditur[44]) „*πολλάκις μὲν ἤδη ἔγωγε καὶ ἄλλοτε ἔγνων δημοκρατίαν, ὅτι ἀδύνατός ἐστιν ἑτέρων ἄρχειν, μάλιστα δ' ἐν τῇ νῦν ὑμετέρᾳ περὶ Μιτυληναίων ἐπιμελείᾳ*“ atque hoc modo usque ad finem pergit? Et ne in opinionem inducaris, ut credas, omnes oratores ita locutos esse, lege Diodori orationem, orationi Cleonis oppositam, et quanta is agat circumspectione, quanta modestia dixerit considera. Aristophanes autem quibus modis imperii eius summam potestatem in scenam induxerit, notum est. Pauca tantummodo eius documenta adiiciam. Statim ab initio fabulae Demosthenes et Nicias, civitatis principes, de servitute sua malisque a Cleone sibi illatis conqueruntur, nec habent quo consilio ab his aerumnis sese liberent. Deinde quum Nicias ad fugam capessendam socium incitasset, Demosthenes contra huic consilio id opponit, quod non esset in terra locus, quo Cleo accedere non posset[45]):

ἀλλ' οὐχ οἷόν τε τὸν Παφλαγόν' οὐδὲν λαθεῖν·
ἐφορᾷ γὰρ αὐτὸς πάντ'. ἔχει γὰρ τὸ σκέλος
τὸ μὲν ἐν Πύλῳ, τὸ δ' ἕτερον ἐν τἠκκλησίᾳ.
τοσόνδε δ' αὐτοῦ βῆμα διαβεβηκότος,
ὁ πρωκτός ἐστιν αὐτόχρημ' ἐν Χαόσιν·
τὼ χεῖρ' ἐν Αἰτωλοῖς· ὁ νοῦς δ' ἐν Κλωπιδῶν.

---

44) Thucyd. II, 74. Heeren, Histor. Werke III, p. 157 seqq.
45) Equitt. 74—79.

Fere nullum ait esse in civitate, qui Cleonem non timeat, eiusque potestatem non reformidet [46]),

καὶ γὰρ οἵ τε πλούσιοι
δεδίασιν αὐτὸν ὅ τε πένης βδύλλει λεώς,

ac paullo post addit:

ὑπὸ τοῦ δέους γὰρ αὐτὸν οὐδεὶς ἤθελεν
τῶν σκευοποιῶν εἰκάσαι.

Potentiam eius maiorem esse, quam Periclis, contendit [47]):

οὗ Περικλέης οὐκ ἠξιώθη πώποτε.

Eius superbiae et arrogantiae documenta omnes terrae partes expertae sunt [48]):

τοῦ σοῦ θράσους
πᾶσα μὲν γῆ πλέα,
πᾶσα δ' ἐκκλησία
καὶ τέλη, καὶ γραφαὶ
καὶ δικαστήρια.

Similia innumera afferre possem. Tantam autem potentiam etsi malis artibus usus nactus est, tamen sine insigni ingenio nancisci non potuisset. Quare si iusti esse volumus, Cleonis impudentiam et temeritatem cum Thucydide et Aristophane odio persequi, hominemque propter indolis eximiae abusum detestari cogemur, sed id ipsum, quod aderat in illo aliquid eximii, non ignorare et abiicere debebimus [49]). Quod quo magis intelligimus, hoc facilius nostrae comoediae in accusando Cleone iustitiam agnoscemus. Aristophanes enim quid subeat periculi haud immemor, quia viri iracundia suarum comoediarum doctorem iam pressum vexatumque vidit: se deterreri tamen ab incepto utilissimo non passus est. Quoniam quae turbulentia sua civitati incommoda et mala infigeret, intellexerat, eiusque flagitia

---

46) Equitt. 223 seq. 231—233.
47) Ib. 283.
48) Ib. 303 seqq.
49) Non semel Aristophanes affirmavit, se Cleonem „μέγιστον ὄντα" irrisisse, eumque opposuit hominibus nulla re eximiis, quos alii Comici perstringere solebant, cfr. Pac. 734 seqq.

perspexerat: eum quovis modo coërcere statuit. Verbo tantum tangimus, quod saepe repetitum est, privatam quoque caussam Aristophani contra Cleonem fuisse litem sibi ab illo illatam. Ex quo enim ostensum est, ante Equites doctos Callistratum duntaxat, non Aristophanem accusatum: iam mutata est eius rei facies. Accedit, quod quum Cleo litem amisisset, nulla iniuriam ulciscendi caussa idonea aderat. Praeterea si quem privatim odio persequitur, eum publico et communi omnium odio dignum esse scimus, non reprehendere, sed admirari poëtam debemus. Bonis enim uti amicis, malosque habere hostes nonne est omnium praestantissimum et unicuique, quacunque in civitate vivit, quam maxime exoptandum[50])?

Iam posteaquam caussas, propter quas in Cleonem poëta invectus sit, ostendimus, id unum superest, ut summum nostrae comoediae consilium fuisse, Cleonem perstringendi, adiiciamus. Id enim ab initio huius capitis, scholiastae sententiam probantes, credidimus, non demonstravimus. Qua in re ipsius poëtae ad verba provocare nobis licet, qui iterum iterumque id affirmavit, non solum in Equitum fabula, sed, quod nobis rem magis perspicue ostendit, in comoediis posterioribus. Ita in Vespis, archonte Aminia doctis de Cleonis accusatione gloriatur[51]):

οὐδ' ὅτε πρῶτόν γ' ἦρξε διδάσκειν, ἀνθρώποις φησ' ἐπιθέσθαι,
ἀλλ' Ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπιχειρεῖν,
θρασέως ξυστὰς εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι,
οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτῖνες ἔλαμπον
ἑκατὸν δὲ κύκλῳ cett.

Eodemque modo paene iisdem verbis adhibitis in Pace fabula loquitur, et propterea gratiam sibi referendam esse contendit[52]):

---

[50]) Lege, quae Plutarchus de Themistocle pronuntiavit, Reipubl. ger. praecept. p. 807 et Fr. Raumerus addidit, Vorlesungen über die alte Geschichte, I, p. 337.
[51]) Vespp. 1029 seqq.
[52]) Pac. 760 seqq.

ὧν οὕνεκα νυνὶ
ἀποδοῦναί μοι τὴν χάριν ὑμᾶς εἰκὸς καὶ μνήμονας εἶναι.

Neque aliter in ea parabasi, quam quum Nubes vulgaret, primum exhibuit[53]):

ὃς μέγιστον ὄντα Κλέων' ἔπαισ' ἐς τὴν γαστέρα.

Quae autem de suo consilio ipse poëta profitetur, ea negare nemo audebit.

XXXVIII.

Cleonem carpendi perstringendique consilium in Equitum fabula praecipuum fuisse, demonstravimus. Superest, ut ea tangamus, quae praeterea tentavit poëta: hoc minus praetermittenda, quia in iis vel maxime viri dignitas ingeniique praestantia cernitur. Ea enim est antiquae comoediae, praesertim Aristophaneae indoles, ut ubi singulos homines ridet mordetque, universam semper civitatem spectet patriaeque urbis salutem ante alia curet. Quod si interdum comici poëtae neglexerunt, Aristophanes tamen, firma lege scripta atque constanter servata, nunquam praetervidit. Ac ne risit quidem singulos, nisi ex malefactis eorum civitati credebat incommoda nasci.

Extat libellus de Atheniensium republica scriptus, quem utrum Xenophonti, cuius nomen ex antiquitate ei adscriptum legitur, an alii cuidam scriptori adiudicandum habeamus, adhuc sub iudice lis est[54]). Haud leve et exiguum argumentum, quod quominus a Xenophonte eum profectum esse credamus nos impediat, ea verba esse putaverunt, quae ibi de comoedia Attica dicta sunt[55]): „κωμῳδεῖν δ' αὖ καὶ κακῶς λέγειν τὸν μὲν δῆμον οὐκ ἐῶσιν, ἵνα μὴ αὐτοὶ ἀκούωσι κακῶς· ἰδίᾳ δὲ κελεύουσιν, εἴ τις τινα βούλεται“ cett. Comoediam autem imprimis singulos ridere, ex eius natura sequitur; sed in hominum singulorum irrisione ac-

---

53) Nubb. 549.
54) Schneider. in Prolegomenis ad hunc libellum; Boeckh. Staatshaush. der Athener I, p. 48 et 344 seqq. (l. I, 8 et III, 5.)
55) Xenoph. de republ. Athen. II, 18.

quievisse, si de plerisque Comicis recte contenditur; de Aristophane quidem ne specie quidem veritatis dici potest. Excusare autem ita licet scriptorem, ut dicamus, eum universam magis antiquae comoediae indolem spectasse, quam singulorum conatus esse contemplatum: qua ex iudicandi ratione plurimos in historiam errores irrepsisse arbitror. Quare equidem propterea immerito hunc libellum Xenophonti ereptum a quibusdam censeo. Acharnensibus enim paullo ante Equites doctis, sese non urbem ridere, sed malos cives tantummodo perstringere iterum iterumque Aristophanes pronuntiavit. Cum singulorum igitur irrisione totius populi reprehensionem coniungi potuisse, ut e multis aliis fabulis intelligitur, ita in nostra fabula apparet: quam ipsam, qui contrarium affirmavit, Dio Chrysostomus exempli caussa nominavit[56]). Tamen prudentissimus poëta in his quoque cautionem adhibuit, neque, ut aiunt, γυμνῇ κεφαλῇ civitatis malam conditionem vituperavit. Ipsi oratores nonne saepenumero Athenienses reprehenderunt ignaviaeque et temeritatis accusarunt? neque tamen quenquam propterea accusatum et periculis obrutum esse accepimus. Nostro autem Comico id evenerat. Ille enim ipse Cleo, quo nemo dignior erat, qui comoediae libertate laederetur lacerareturque, quod veritatem libero ore dictam, suae sibi ipse temeritatis bene conscius, timebat, ut antea vidimus, litem intenderat Callistrato initaque hac ratione comoediae pondus diminuere et tollere optaverat. Aristophanes autem ex eo tempore, quo accusatus fuerat, quod urbanis Dionysiis urbem reprehenderet et maiestate eius laesa apud socios in contemptum adduceret, Lenaeis Dionysiis eo maiore studio omnem comoediae suae vim et acerbitatem adhibuit. Lenaeis enim seditiosos et improbos cives eo acerbius carpsit et vexavit: non quo ridendi solum captaret materiem, nec quo iniuriam sibi illatam ulcisceretur et depelleret, aut iram in accusatores conceptam, cum qua recte nihil fieri potest, in omnes evomeret; sed ut, ubi liceret, corruptos homines aut emendaret aut frangeret, melioribusque civibus, quod imitari, quod vitare et de-

---

56) Dio Chrysost. Orat. 32 p. 655. Mein. Q. Sc. I, 58.

testari deberent, ostenderet. Vitia quoque civitatis, quum iam non labi amplius, sed ire videbat praecipitem, his comoediis eo vehementius exagitavit. Id quo modo in nostra instituerit comoedia, persequi iam aggredimur.

Ab initio dramatis ad finem usque cum Cleonis irrisione facetiae in populum Atheniensem fusae ita coniunguntur, ut saepe incertus haereas, utrum potissimum poëta tangere voluerit. Cleonis nomen reticetur; nomen populi nusquam. Hinc cave tamen, ne quid maius colligas[57]). Nam quoniam *Δῆμος Πυκνίτης* dominus est, Cleo servus nominari more Atheniensium non poterat, sed illius terrae nomen accipiebat, unde erat ortus et Athenas allatus. Neque Niciae et Demosthenis nomina alicubi comparent[58]). Quid? quod in antiquis nostrae comoediae exemplis fortasse, ut ab initio Pacis, nihil nisi *Olx. A.* et *Olx. B.* legebatur. Eo me scholiastarum nonnullorum adnotationes ducunt. Argumenti enim scriptor „*Οἰκέται δὲ δύο*" ait „*τοῦ δήμου προλογίζουσι· — λέγουσι δὲ τῶν οἰκετῶν τὸν μὲν εἶναι Δημοσθένην, τὸν δὲ Νικίαν, ἵνα ὦσι δημηγόροι οἱ δύο*". Scholiasta ad primum versum adnotat „*ἔοικε δὲ ὁ προλογίζων εἶναι Δημοσθένης ὁ προκαμὼν ἐν Πύλῳ διὰ τοῦτο.*" Ad versum 157 „*ἀμοιβαῖα δέ ἐστι ταῦτα τοῦ ἀλλαντοπώλου καὶ ἑνὸς τῶν οἰκετῶν*", ad v. 240 „*τοῦτο ὁ θεράπων πρὸς τὸν Ἀγοράκριτον*"; ad v. 237 „*ἔγνω μὲν ὅτι ὁ θεράπων ἔπινε καὶ εἶχεν ἐπὶ χεῖρας τὸ ποτήριον,*" ad v. 243 „*ἄλλοι δὲ τὸ „ἄνδρες ἐγγύς" τὸν θεράποντα,*" ad v. 247 „*οἵτινες ἐπικαλουμένου ἀκούσαντες τοῦ θεράποντος εὐθέως ἀφικνοῦνται.*" Niciae nomen semel tantummodo apud scholiastas commemoratur; Demosthenis nunquam[59]). Ac satis memorabilis est commemoratio Niciae, facta ad v. 480 „*τὸ μὲν Κλέωνος τῆς Θυμέλης ἐπεξῆλθε πρόσωπον, τὴν βουλὴν δῆθεν κινῆσαι κατ' αὐτῶν· οἱ δὲ περὶ τὸν Νικίαν τῷ ἀλλαντο-*

57) Schlegel, über dramatische Kunst und Literatur, II, p. 82 (1825, Wien.) „Er hatte die Vorsicht gebraucht, den Kleon nirgends zu nennen, sondern ihn bloss unverkennbar zu bezeichnen."

58) Tamen ut Cleo, ita Nicias quoque et Demosthenes a poëta tam sunt perspicue descripti, ut eos esse servos illos, nemo non intelligat.

59) Adde locis supra indicatis v. 51. Demosthenis nomen legitur quidem ad v. 55. Sed lege, quae ibi dicta sunt.

πόλη παρακελεύονται γενναίως ἀντιστῆναι πρὸς αὐτόν· νῦν γάρ, φησὶν, ἀντιστὰς πρὸς τὸν Κλέωνα ἔργῳ δείξεις, ἐάν σοι γενναῖον ἢ πανοῦργον ἐν τῷ πρώτῳ πέπρακται βίῳ.“ Nam quoniam eius viri propter indolem ac naturam talis Cleone absente facta admonitio aptissima est: maxime miror, quod interpretum nullum aliquid animadvertisse video [60]). Mihi enim illi versus vere Niciae tribuendi videntur. Docet id tota loci ratio. Docent quam maxime haec Agoracriti verba [61]):

ἀλλ' εὖ λέγεις καὶ παιδοτριβικῶς ταυταγί.

Alias caussas praetereo.

Demosthenes antequam de Cleone, servo Paphlagone, verba faciat, herum describit ridetque ita [62]):

νῷν γάρ ἐστι δεσπότης
ἄγροικος ὀργὴν, κυαμοτρὼξ, ἀκράχολος,
Δῆμος Πυκνίτης, δύσκολον γερόντιον
ὑπόκωφον· οὗτος τῇ προτέρᾳ νουμηνίᾳ
ἐπρίατο δοῦλον·

in quibus versibus iam totius dramatis ratio significata est; quam ut melius, quam qui hactenus exposuerunt, intelligamus, sunt praefanda quaedam scitu dignissima. Nam memorabile est, quo modo haec verba poëtam nostrum cum duobus artificibus coniungant, quorum alterum Aristophanes imitatus est, alter Aristophanem. Quis enim est, qui neget, si affirmo, Parrhasium, pictorem celeberrimum, supra dictos versus Aristophanis contemplatum esse, quum simillimum sibi argumentum eligeret. „Pinxit et demon Atheniensium“ ait Plinius [63]) „argumento quoque ingenioso. Volebat namque varium, *iracundum*, iniustum, inconstantem; eundem vero exorabilem, clementem, misericordem, excelsum, gloriosum, humilem, ferocem fugacemque et

---

[60]) Niciam post primam fugam v. 234 in scena comparuisse, ostenditur vss. 319—321, quos primus Elmsleius Niciae restituit, Classical Journal n. XI, p. 222.

[61]) Equitt. v. 492. Adverte numerum singularem, et confer v. 335 „καὶ μὴν ἀκούσατε,“ quibus verbis Agoracritus chorum alloquitur.

[62]) Ib. v. 40—44.

[63]) Plin. Nat. Hist. XXXV, 10. cfr. Heyne, Sammlung antiquar. Aufsätze I, p. 224 seqq.

omnia pariter ostendere." Alterum tamen, quod contendi, ut maioribus difficultatibus obnoxium, minus fortasse probabitur.

In Equitum enim fabulae fine senex ille ab Agoracrito recoquitur, et se multo formosiorem spectatoribus Equitumque choro ostendit [64]). Iam quem allantopolam dixerit, quis fuerit Agoracritus, quaeritur. Antiqua enim comoedia in scenam fere nunquam aliquam inducit personam, nisi Athenienses norant hominem. In Equitibus autem Demosthenem, Niciam, Cleonem proposuisset et solum Agoracritum finxisset? Id vix est credibile. Propterea iam antiqui enarratores in hanc rem inquisiverunt, ac plura sunt suspicati. Ita scholiasta nescio quis [65]) „τοῦτον δὲ" ait „οἱ μὲν Κλεώνυμον, οἱ δὲ Ὑπέρβολον, οἱ δέ φασιν Εὔβουλον εἶναι" et alibi [66]) „ἀλλαντοπώλην δὲ τὸν Ἀγοράκριτον λέγει οὕτως πεπλασμένον κατὰ κωμικὴν παιδιάν," ut aperte videas, certum eos hominem cogitasse. Neque tamen de tribus illis equidem unum elegerim, quia nulla, quare eorum nomina tacuerit, iusta caussa adest. Accedit, quod vix cogitari potest, elegisse Aristophanem unum demagogorum illius aetatis, quos ipsos a Cleone subactos esse docuit. Praeterea illi ipsi ex parte ab Agoracrito commemorantur [67]):

τοὺς μὲν καλούς τε κἀγαθοὺς οὐ προσδέχει,
σαυτὸν δὲ λυχνοπώλαισι καὶ νευρορράφοις
καὶ σκυτοτόμοις καὶ βυρσοπώλαισιν δίδως·

ut non possis eosdem cum illo putare. Est igitur alius quaerendus. Neque provocare licet ad versus eos, quibus nomen viri explicatur, qualis est hic [68]):

ΔΗΜ. *ἐμοὶ δέ γ' ὅ τι σοι τοὔνομ', εἰπ'.*
ΑΛΛ. *Ἀγοράκριτος·*
ἐν τἀγορᾷ γὰρ κρινόμενος ἐβοσκόμην.

Nam in Acharnensibus quanquam Lamachi quoque nomen non

---

64) Equitt. 1321, 1331.
65) ad Eq. v. 149.
66) ad Eq. v. 141.
67) Equitt. 738—740.
68) Id. 1257 seq. Adde v. 181, 218, 293, 297, 333, 636 aliosque versus.

raro de pugnandi cupidine explicavit: nemo tamen inde Lamachum non esse cognitum illum Atheniensium imperatorem, infitiari voluit. Iam audi, qua ratione rem expedire audeam.

Inter Phidiae discipulos duo sunt celeberrimi, Alcamenes Atheniensis et Agoracritus Parius. „Certavere autem" ut Plinius[69]) ait „inter se ambo discipuli in Venere facienda; vicitque Alcamenes non opere, sed civitatis suffragiis contra peregrinum suo faventis. Quare Agoracritus ea lege signum suum vendidisse traditur, ne Athenis esset, et appellasse Nemesim. Id positum est Rhamnunte pago Atticae, quod M. Varro omnibus signis praetulit." Eius simulacri quanta est apud omnes scriptores gloria, tanta narrationum de eo diversitas. Quas tangere quum nunc nihil attineat, id unum monemus, eam imaginem ex marmore Pario confectam esse, quod Persae secum in Atticam terram tulerant, ut victoriae signum erigerent[70]). Id plures poëtae variis ornarunt modis. Theaetetus enim ait[71]):

ἀντιταλαντεύω τὰς ἐλπίδας· εἰμὶ δὲ καὶ νῦν
Νίκη Ἐρεχθείδαις, Ἀσσυρίοις Νέμεσις.

Paullo aliter Parmenio[72]):

Μήδοις ἐλπισθεῖσα τροπαιοφόρος λίθος εἶναι
ἠλλάχθην μορφὴν καίριον εἰς Νέμεσιν·

cui adiungendus est anonymus[73]):

καί με λίθον Πέρσαι δεῦρ' ἤγαγον, ὄφρα τρόπαιον
στήσωνται νίκας· εἰμὶ δὲ νῦν Νέμεσις.
ἀμφοτέροις δ' ἕστηκα καὶ Ἕλλήνεσσι τρόπαιον
νίκας καὶ Πέρσαις τοῦ πολέμου νέμεσις.

Quae si inter se coniunguntur, statua illa miram deae in aliam deam mutationem, ac praeterea Medici belli tempora in memoriam revocabat[74]).

---

69) Plin. Nat. hist. XXXVI, 4.
70) Pausan. Att. I, 35.
71) Anthol. Graec. T. III, p. 216 ed. Iacobs. (II, p. 515. Br.)
72) Ib. Tom. II, p. 185 (II, 202.)
73) Ib. IV, p. 170. (III, p. 268.)
74) cfr. Pausanias l. l. Strabo p. 607 et 611 ed. Almel. Hesychius s. v. Ῥάμνος, Suidas s. v. Ῥαμνουσία νέμεσις. Lilius Gyrald. Histor.

Revertor ad Aristophanem. Is ut omnia, quae in civitate Atheniensium illa aetate apparebant, tetigit, ita de artificibus quoque celeberrimis est locutus. Ac satis dignum est memoratu, quomodo de Phidia loquatur, et eius Minervae statuam furtumque admissum inter caussas belli recenseat[75]). Scite eum Pacis pulchrae formae cognatum dixit, ut scholiastae perhibent, καθὸ τεχνίτης ὁ Φειδίας, εὔμορφος δὲ εἰσάγεται ἡ εἰρήνη οὖσα· ὡς πρὸς τὸν Φειδίαν οὖν ἡ καλὰ ξόανα ποιοῦσα. Simili ratione, licet aliam ob caussam, uterque aliis operum gloriam reliquit, Aristophanes Callistrato et Philonidae, Phidias Agoracrito aliisque amatis iuvenibus. Iam quum antequam Peloponnesiacum bellum initium sumeret, Phidias ex urbe expulsus sit; in illa autem Veneris imagine, Athenis perfecta, ipse quoque praeceptor elaborarit discipulumque adiuverit: ante hanc fabulam doctam sine dubio statua illa Rhamnunte posita erat. Poterat igitur ab ea sibi argumentum petere.

Agoracritus Venerem fecerat, mutationibusque quibusdam factis Nemesim eam nominavit; hortisque in urbe sitis ab initio collocare voluerat; nunc Rhamnuntem transtulit. Ab Aristophane in scenam inducitur Agoracritus, populum Atheniensium recoquens et pulchrum ex turpi reddens; eundemque ex Pnyce, ubi antea versabatur, abstulit et in ipsa urbe habitare iussit[76]). Quas mutationes fecerit Agoracritus, incertum est. Omnino nullas qui factas esse censet Winckelmannius, a veritate videtur aberrasse[77]). Si enim descriptionem, quae legitur accurate apud Pau-

Deorr. Synt. 16, p. 465 seqq. (Opp. I. ed. Iens.) Meurs. de Popul. Att. v. Ῥαμνοῦς. Iunius in Catal. Pict. p. 8. Winckelmann, alte Denkmäler der Kunst, Vorl. Abh. p. 42, Erst. Theil, p. 21, übers. von Brunn. Heyne, die in der Kunst üblichen Arten die Venus vorzustellen, in Sammlung antiquar. Aufsätze I, p. 121 et 149. Vellem legere potuissem „Zoëga von der rhamnusischen Göttin, in d. Abhandll. v. Welcker p. 56 seqq.

[75]) Arist. Pac. 605 seqq. 617 „ταῦτ' ἄρ' εὐπρόσωπος ἦν, οὖσα συγγενὴς ἐκείνου.“ Winckelmann, l. l. V. A. p. 42. Contra Winckelmannium Heyne über die Künstlerepochen des Plinius I, p. 186, cuius interpretationem in Equitum editionibus frustra notatam invenies, nedum ut sit aut probata aut improbata.

[76]) Ita intelligo v. 1321 seqq.

[77]) Quanquam ille ipse quoque nil nisi Veneris statuam ipsam intactam esse contendit.

saniam, comparamus: non dubitare possumus, quin ea omnia, quae ille tanquam ἐν βάθρῳ collocata recenset, haud dubie tum demum sint addita, quum Nemesim statuam esse artifex vellet. Sed ad ipsam si oculos vertimus statuam, Aethiopes quoque tum demum additi esse videntur. Quomodo enim factum esset, ut Pausanias quum explicare eos tentaret, ne uno quidem verbo de Venere loqueretur? Sed quomodocunque de his rebus statuis, externam magis faciem mutatam esse, non negare poteris. Eademque ratione in Aristophane quoque externa tantummodo tanguntur. Quum chorus enim quaesivisset ex Agoracrito[78]),

πῶς ἂν ἴδοιμεν ποίαν τιν' ἔχει σκευὴν, ποῖος γεγένηται;

ille primum universe ait:

οἷός περ Ἀριστείδῃ πρότερον καὶ Μιλτιάδῃ ξυνεσίτει·

dein in scenam eum inducit, salutatque his verbis:

ὅδ' ἐκεῖνος ὁρᾶν τεττιγοφόρας, ἀρχαίῳ σχήματι λαμπρὸς,

quo facto chorus, quod aptissimum esse videmus, victoriae Marathoniae meminit:

χαῖρ' ὦ βασιλεῦ τῶν Ἑλλήνων· καὶ σοὶ ξυγχαίρομεν ἡμεῖς.
τῆς γὰρ πόλεως ἄξια πράττεις καὶ τοῦ Μαραθῶνι τροπαίου.

At nihil addendum est praeterea, quia poëtam decet, ab artifice nihil nisi ipsam cogitationem accepisse, et reliqua omnia suo arbitrio suoque consilio et scenae convenienter instituere[79]).

Haec omnia quia propterea maxime explicavimus, ut aliorum de suspicione nostra iudicia excitemus, qui peritiores aliquid probabilius eliciant: quanquam multo magis dubitantes, tamen aliam quoque coniecturam addimus. Populus Atheniensium ab Aristophane transformatus est in dominum, quem „Δή-

---

78) Ar. Equitt. 1324—1334.

79) Id unum, quod addam, habeo. Tenendum est, Cleonis adversarium tum demum Agoracritum nominari, quum iam Populus sese illi tradi velle significasset. Allantopola igitur populum mutaturus Agoracriti nomine haud dubie non temere appellatur.

μος *Πυκνίτης*" vocavit. Iam vero illa aetate iuvenis vivebat, Demus, Pyrilampis filius, non solum pulchritudine eximius, sed etiam divitiis affluens. Is apud Aristophanem et Eupolin in coemoedia *Πόλεις* inscripta commemoratus est [80]). Eius autem divitiae cognoscuntur ex Antiphontis oratione deperdita, antiquitus *πρὸς Ἐρασίστρατον* inscripta, cuius non raro apud veteres mentio iniicitur [81]). Pyrilampes, Demi pater, amicus erat Periclis et propter *ὀρνιθοτροφίαν* memorabilis [82]). Hunc igitur Demum, Pyrilampis filium, Rhamnusium fuisse, Valesius suspicatus est, eo maxime argumento ductus, quod Pyrilampes Antiphontis pater nominatur, idemque patrem habuit, Antiphontem appellatum [83]). Quod si verum est, non improbabile esse credo, quum Nemesim Rhamnusii sibi emerent, magnas Demi, Pyrilampis, fuisse partes, qui sine dubio ditissimis Rhamnusiorum annumerari debet. Qua ratione probata, in eam coniecturam incidimus, ut Aristophanem, quum in fine dramatis Atheniensem populum in scenam induceret, huius pulcherrimi iuvenis eum formam induisse credamus. Sed sentio, quam incertas suspiciones proferam lubenterque a sententia mea pluribus exornanda abstineo. Monuisse haec et commendasse peritioribus, sufficiat.

---

80) Ar. Vespp. 98, adde schol. et Runkel. Eupol. fragm. 189.

81) Huius orationis inscriptio apud Aelianum fere solum simpliciter invenitur Histor. Anim. V, 21. Nullam aliam ab Antiphonte ei inditam fuisse, inde collige, quod Athenaeus XII, p. 397 (quem Eustathius ad Iliad. *B.* p. 346 exscripsit) ita loquitur „*Ἀντιφῶντι δὲ τῷ ῥήτορι λόγος μὲν γέγραπται ἔχων ἐπίγραμμα περὶ ταῶν, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ οὐδεμία μνεία τοῦ ὀνόματος γίνεται· ὄρνεις δὲ ποικίλους πολλάκις ἐν αὐτῷ ὀνομάζει.*" Mirus enim esset orator, qui in oratione sua aliud nomen usurpasset, et aliud in eius inscriptione. Quod si verum est altera inscriptio, ab aliis addita, vario mihi modo exhibita esse videtur. Sunt enim qui „*περὶ ταώνων*" exhibeant, ut Harpocratio (cfr. tamen Maussac. p. 232. ed. Lips.), sunt qui „*περὶ ταῶν*" ut in supra dicto loco. Memorabilis est maxime Plutarchus, qui „*πρὸς Ἐρασίστρατον περὶ τῶν ἰδεῶν*" exhibet. Infeliciter Reiskius „*περὶ τῶν ἐλαιῶν.*" Neque tamen felicior coniector, qui in Reiskium invehitur, Ruhnkenius, dum scribit „*περὶ ταῶν.*" Nam nulla est opus correctione. Quid enim verum sit, docet Athenaeus „*περὶ δὲ τῆς ἰδέας αὐτῶν λέγων γράφει.*" Scribe igitur „*Ἀντιφῶν πρὸς Ἐρασίστρατον περὶ τῶν ἰδεῶν τῶν ταῶν.*"

82) Plut. Pericl. c. 13.

83) Valesius ad Harpocrat. p. 427 (Vol. II, ed. Lips.).

His expositis ad rem, unde deducta est disputatio, redeamus. Illa igitur populi in melius mutatio malam eius conditionem ostendit: cuius de caussis poëta ita exposuit, ut veritatem dicere, sed non nimis violare spectatorum multitudinem voluisse appareat. Admirare autem in his Aristophanis et virtutem et prudentiam. Quum enim comoediarum doctoris munus esset sanctissimum, omnia, quae in civitatem ingruerent et irreperent, mala evertere eaque modo iocoso et pleno hilaritatis pungere atque convellere; cavere debet, ne nimis severa sit eius reprehensio. Hac de caussa semper severa hilaribus miscet et temperat. Alia enim via consilium, quod proposuerat sibi, ut mores civitatis emendaret, populoque, quae vitanda et facienda essent, ostenderet, assequi non poterat. Quod quum optime Aristophanes posset, Cratinum imprimis superasse dicitur. Recte enim Platonius[84]) „οὐ γὰρ ὥσπερ ὁ Ἀριστοφάνης“ ait „ἐπιτρέχουσαν τὴν χάριν τοῖς σκώμμασι ποιεῖ, τὸ φορτικὸν τῆς ἐπιτιμήσεως διὰ ταύτης ἀναιρῶν, ἀλλ' ἁπλῶς καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῇ τῇ κεφαλῇ τίθησι τὰς βλασφημίας κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων.“ In hac nostra fabula imprimis omnem populi reprehensionem temperavit, ut rerum omnium maximam culpam in demagogos et ante ceteros in Cleonem, eorum principem, transferret. At dum hos perstringit, simul non nimis leniter ipsum quoque vexat populum. Deinde aliam quoque viam ingressus est iocorum acerbitatem moderandi. Quod enim totam civitatem ut unam domum; populum eius dominum; magistratus denique omnes servitia eius esse proponit: non poterat non omnium spectantium plausum ei conciliare. Eodemque modo alia quoque addidit, ut non nimis severe populum reprehenderet. Si verum fateri volumus, tota haec ratio comoediae vitio non immerito ducitur, quae ipsa per civitatis conditionem impedita erat, quo minus omnia peccata tota sua acerbitate digne perstringeret. Sed age, videamus, quibus de caussis Atheniensium populum reprehenderit.

Omnibus in fabulis, quas manibus tenemus integras, repetita est populi accusatio, quod malos sibi eligat duces; per quo-

[84]) Platon. de comoed.

rum potentiam semper in deterius abeat tristemque ruat praeceps in perniciem. Quae in pulcherrima Ranarum parabasi paucis et quam praeclare! exposuit [85]):

τῶν πολιτῶν θ' οὓς μὲν ἴσμεν εὐγενεῖς καὶ σώφρονας
ἄνδρας ὄντας καὶ δικαίους καὶ καλούς τε κἀγαθοὺς,
καὶ τραφέντας ἐν παλαίστραις καὶ χοροῖς καὶ μουσικῇ,
προυσελοῦμεν, τοῖς δὲ χαλκοῖς καὶ ξένοις καὶ πυῤῥίαις
καὶ πονηροῖς κἀκ πονηρῶν εἰς ἅπαντα χρώμεθα
ὑστάτοις ἀφιγμένοισιν, οἷσιν ἡ πόλις προτοῦ
οὐδὲ φαρμακοῖσιν εἰκῇ ῥᾳδίως ἐχρήσατ' ἄν.
ἀλλὰ καὶ νῦν, ὠνόητοι, μεταβαλόντες τοὺς τρόπους,
χρῆσθε τοῖς χρηστοῖσιν αὖθις·

idem est nostrae fabulae argumentum. Iam antiqui enarratores id bene senserunt, propstereaque ipso ab initio ad verba „Παφλαγόνα τὸν νεώνητον“ haec adscripserunt [86]) „ἐμφαίνει δὲ διὰ τούτων, ὅτι καὶ τῶν Ἀθηναίων καθάπτεται, ὅτι δέον αὐτοὺς πιστεύειν τοῖς γνησίοις καὶ πολλὰ τὴν πόλιν εὐεργετηκόσιν, οἱ δὲ μᾶλλον ἐτίμων τὸν Κλέωνα.“ Sed est illud per totam fabulam expressum. Nam primum eo pertinet, quod antequam de Cleone loquatur Demosthenes, populum reprehendit, eumque emisse illum perhibet servum [87]). Deinde Paphlagonem sua agendi ratione, ingenio populi perspecto, usum esse contendit [88]). Oraculi autem descriptio, ex quo primo stuparum venditor, dein pecudum, denique coriorum, rempublicam tenet isque ultimus ab isiciorum venditore perditur, nihil aliud significat [89]). Qua quidem re quoniam ut fundamento nititur fabula, ea tota nihil aliud poëta docere voluit. Praeterea si Demosthenes Agoracritum alloquitur

ὦ νῦν μὲν οὐδεὶς, αὔριον δ' ὑπέρμεγας,

alioque loco similiter:

---

85) Ar. Rann. 727—737.
86) Schol. ad Equitt. v. 2.
87) Equitt. 44.
88) Ib. 46. Adde 715 „ἐπίσταμαι γὰρ αὐτὸν, οἷς ψωμίζεται.“
89) Ib. 125—144.

δι' αὐτὸ γάρ τοι τοῦτο καὶ γίγνει μέγας,
ὁτιὴ πονηρὸς κἀξ ἀγορᾶς εἶ καὶ θρασύς·

si eundem de sese ipso desperantem docet

ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ
ἔτ' ἐστὶν ἀνδρὸς οὐδὲ χρηστοῦ τοὺς τρόπους,
ἀλλ' εἰς ἀμαθῆ καὶ βδελυρόν,

aliaque multa profert [90]), quae utrum ridicule magis an acerbe dicta sint, merito dubites: ea ipsa est, quam indicavi, poëtae sententia.

Quis autem est, quin haec verissime monuisse poëtam censeat? pluribus enim in sententiam inquirere, versibusque Aristophanis allatis eam comprobare, cum quae iam diximus, tum omnium consensus vetant. Nonne igitur ea verissima est dicenda? Si qua enim civitas sceleratis sese et pestiferis tradit hominibus, civibusque supplicio dignis victum quotidianum in Prytaneo tribuit, quo honore maior apud Athenienses non extitit: num sanctitatem et integritatem suam servare, seque ab eorum importunitate et temeritate liberare et defendere poterit? Sed cohaerent cum hoc vitio alia, his vel turpiora et civium saluti magis inimica. Populus enim bonos cives a civitate gerenda deterret, quia ita est comparatus, ut non nisi adulatores ferat, studiisque maxime trahatur ab omni virtute alienis. Artium igitur cognitionem, qui populum ducere vult, sibi comparare cogitur, quarum a scientia qui bonus est civis nimium quantum abest. Ubi Agoracritum Demosthenes, quo potissimum modo populum in suam accipere possit tutelam, docet, his eum adhortatur versibus [91]):

τάραττε καὶ χόρδευ' ὁμοῦ τὰ πράγματα
ἅπαντα, καὶ τὸν δῆμον ἀεὶ προσποιοῦ
ὑπογλυκαίνων ῥηματίοις μαγειρικοῖς.

Neque aliter loquitur, ubi Cleonis artes describit [92]):

---

[90]) Ar. Equitt. 158, 180 seq. 191 seqq. Adde 736—740 multosque alios locos.
[91]) Ib. 214—216.
[92]) Ib. 47—49.

ὑποπεσὼν τὸν δεσπότην
ἤκαλλ', ἐθώπευ', ἐκολάκευ', ἐξηπάτα
κοσκυλματίοις ἄκροισι, τοιαυτὶ λέγων·

et quae sequuntur. Postea ad singulas civitatis partes transiit, omniumque paene horrendam temeritatem et corruptionem descripsit. Agoracritus enim primum coram senatu Cleoni insidiatur [93]). Senatus autem posteaquam Cleonem Equites increpantem, mendaciisque dictis accusantem non sine plausu audivit, fallaciisque viri sese decipi passus est, ab Agoracrito, apuas esse iam viliores nuntiante, subito ad alia vertitur, neque Cleonis verbis iterum capitur, sed ita ab Agoracriti ore pendet, ut Prytanes dimittere senatum cogant, Lacedaemoniorumque caduceatores, de foedere agere cupientes, quanquam admonente Cleone non audiant. Cleo igitur ab adversario victus, eum ad populum trahit, ut novo certamine inito, eum superet atque interficiat [94]). Ac profecto timet Agoracritus, ne coram populo vincatur [95]). Scit enim in Pnyce convocatus qualis soleat populus esse,

ὁ γὰρ γέρων
οἴκοι μὲν ἀνδρῶν ἐστι δεξιώτατος·
ὅταν δ' ἐπὶ ταυτησὶ κάθηται τῆς πέτρας,
κέχηνεν ὥσπερ ἐμποδίζων ἰσχάδας.

Tamen ab Equitum choro admonitus subit certamen [96]). Ac primum quidem Cleonem, qui beneficiorum in plebem collatorum multitudinem enumerat, redarguit, furtaque eius et rapinas recenset, et plurimis eum sceleribus pollutum esse variis modis demonstrat. Quae dum enarrantur, uterque homo turpissimo modo plebi adulatur, ut quam perversa sit eius natura clarissime appareat.

Maiore Agoracriti adulatione victus novam init Cleo viam, oraculorumque suorum copia plebem obruere cupit [97]). Oracu-

---

93) Equitt. 624—682. Rötscher, Aristoph. p. 151—153.
94) Ib. 710.
95) Ib. 752 seqq.
96) Ib. 725 seqq.
97) Ib. 997 seqq.

lorum audiendorum studiosos fuisse illa aetate Athenienses, docet Thucydides, qui non raro ea enarrat, et quibus modis explicata fuerint, ostendit. Quo quidem studio abusi demagogi, et inter eos imprimis Cleo, saepe populum ad res inconsiderate suscipiendas adhortati sunt. Agoracritus igitur, ne superetur, eandem ingreditur rationem, suisque oraculis adversarium devincit.

Denique, quum iam Plebs Agoracrito sese commisisset, novum incipit certamen [98]), uter illi plus benefaciat. Appositis igitur variis dapum generibus, qua re plebis studia maxime irridentur, Plebem primum ancipitem reddunt, uter alterum vicerit. Sed utriusque cistis allatis, et Agoracriti cista vacua reperta, plena Cleonis, victus ille corona suoque imperio privatur.

Postremo [99]) ubi nova forma indutus multo praestantiore Plebs in scenam producitur, apertissime vitia eius describuntur; quod nonnisi adulatores audit et mercedis studio trahitur, quod nimis litigat suumque in litibus diiudicandis commodum, non iustitiam sequitur, quod classem eiusque remiges negligit, et imberbes concionari sinit, aliaque multa facinora admittit.

XXXIX.

Haec omnia, quae hactenus accurate exposui de Aristophanis in edendis Equitibus consilio, divinum poëtae nostri ingenium significant quidem nobis, sed totum eius splendorem non ostendunt. Quia igitur nihil detractum volumus Aristophanis gloriae, ad altiora rapimur. Nam pulcherrime simul et verissime, uti assolet, de comoediae dignitate poëta dixit [100])

λοιδορῆσαι τοὺς πονηροὺς οὐδέν ἐστ' ἐπίφθονον,
ἀλλὰ τιμὴ τοῖσι χρηστοῖς, ὅστις εὖ λογίζεται.

Nostrum igitur est officium, quos homines dum Cleonem, senatum totumque populum reprehendit, laudare atque magni facere voluerit, quaerendi et indicandi.

Inscriptio fabulae, ab Equitibus repetita, unde initium su-

---

98) Equitt. 1151 seqq.
99) Ib. 1316 seqq.
100) Ib. 1274 seqq.

mamus necesse sit, docet. Quaecunque autem de his dicenda erunt, omnia nos respicere cogunt ad hos Aristophanis versus [1]),

> *ΑΛΛ.* καὶ τίς ξύμμαχος
> γενήσεταί μοι; καὶ γὰρ οἵ τε πλούσιοι
> δεδίασιν αὐτὸν ὅ τε πένης βδύλλει λεώς.
>
> *ΔΗΜ.* ἀλλ᾽ εἰσὶν ἱππῆς ἄνδρες ἀγαθοὶ χίλιοι
> μισοῦντες αὐτὸν, οἳ βοηθήσουσί σοι,
> καὶ τῶν πολιτῶν οἱ καλοί τε κἀγαθοὶ,
> καὶ τῶν θεατῶν ὅστις ἐστὶ δεξιὸς,
> κἀγὼ μετ᾽ αὐτῶν χὠ θεὸς ξυλλήψεται,

quibus tanquam totius disputationis fundamento utemur. Omnes his verbis enuntiantur et comprehenduntur, qui Cleoni adversabantur eiusque celerare interitum cupiebant. Iam quum Thucydides cum Aristophane conveniat, ita ut uterque Cleonis hostes τοὺς σώφρονας vocaverit: hos omnes hoc in loco vocatos, ea ratione ducti, optimis annumerare possumus. Fieri tamen posset, ut Cleoni adversarentur homines sui commodi caussa, neque ob salutem reipublicae, quam poëta noster maxime omnium curabat. Nam quum Agoracritus ab initio ita describatur, ut Cleone peiorem hominem fuisse videamus, ipsius socios qui se profitentur, in eandem reprehensionem incurrent. Sed primum tenendum est, quales apud poëtam nostrum homines in scenam produci soleant; quos pro arbitrio mutat et mox peiores mox meliores facit. Dein advertendum est, quod omnium bonorum tutelam allantopolae promittit.

Sed ad singulos accedamus. Ac primum equidem Equites laudari bonisque accenseri censeo. Non solum enim, ut videmus, statim ab initio ἀγαθοὺς eos vocavit, sed possunt etiam eius rei caussae idoneae afferri. Quarum quae summa est, eam primo loco proferam. Nihil Aristophanes maiore persequitur odio, nihil vehementius facetiis suis perstrinxit, quam quod omnes, qui pro republica agunt, suum potissimum commodum

---

1) Equitt. 222 — 233.

spectant, ac mercede conducuntur[2]). Pulcherrima autem extat in Equitibus parabasis[3]), qua Equites propterea gloriantur, quod ipsi nihil mercedis accipiant. Hanc igitur ob caussam poëta suo iure eos ἀγαθοὺς vocavit. Accedit aliud quid, quod cum hac virtute cohaeret arctissimeque coniunctum est. Per totam enim civitatem quum multi essent, qui bello studerent pacemque componendam simul cum Cleone impedirent, Equites erant pacis cupidissimi. Id ex Theopompo cognoscere licet, qui Equites a Cleone accusari λειποταξίου enarraverat. Utrumque autem, quod nec mercedem accipiunt, nec bellum diutius ferre cupiunt, ex Aristophane ipso planissime intelligitur. Audi eius versus:

ἡμεῖς δ' ἀξιοῦμεν τῇ πόλει
προῖκα γενναίως ἀμύνειν καὶ θεοῖς ἐγχωρίοις.
καὶ πρὸς οὐκ αἰτοῦμεν οὐδὲν πλὴν τοσουτονὶ μόνον·
ἤν ποτ' εἰρήνη γένηται, καὶ πόνων παυσώμεθα,
μὴ φθονεῖθ' ἡμῖν κομῶσι μηδ' ἀπεστλεγγισμένοις.

Propterea igitur a parabasis initio poëtam celebrant Equites — nam non de Atheniensibus solum, de quibus plerique sumunt interpretum, sed de Equitibus ea verba interpretor — seque non audituros fuisse alium comoediarum doctorem praeter hunc profitentur[4]):

νῦν δ' ἄξιός ἐσθ' ὁ ποιητής,
ὅτι τοὺς αὐτοὺς ἡμῖν μισεῖ, τολμᾷ τε λέγειν τὰ δίκαια.

Summa igitur de rebus gravissimis consensione Aristophanes Equitesque iudicarunt. Ac nihil magis falsum et reprehendendum est, quam quod Wielandus de mala inter Equites Aristophanemque coniunctione suspicatur. Probus est poëta; probi sunt Equites; probi autem, ut docet Thucydides, merito Cleonem, improbum ac flagitiosum hominem, hostiliter aggressi sunt eiusque perniciem accelerare studuerunt.

Ad reliquos pergentes, primo loco Demosthenem nominare cogimur, qui in versibus supra appositis sese ipsum inter Cleo-

---

[2]) Rötsch. Aristoph. p. 186.
[3]) Equitt. 565—580.
[4]) Ib. 507—511.

nis adversarios recenset. Is tamen non videtur cum Equitibus comparari posse. Neque enim sine mercede belli dux, neque pacis cupidus fuit. Accedit quod praeter hanc fabulam nusquam commemoratur, ut eum propter Pylum oppugnatam in hac fabula produxisse, ceterum nihil magni de eo exspectasse videatur. Multo magis acceptum poëtae nostro Phormionem fuisse, de qua re iam alibi exposui, nostra docet fabula, qua Neptunus ei amicissimus dicitur [5]).

Praeterea de uno tantummodo exponere meam sententiam volo, de Nicia; qui ab initio fabulae tanquam Cleonis hostis prodit. Atque ex ipso Thucydide discimus, quo modo Cleo Niciae invidiam excitare studuerat [6]). Nemo dubitare potest, quin Nicias optimis illius aetatis Atheniensibus, si non praeferri, aequiparari certe debeat. Est enim ab optimis laudatus maxime, quippe quem magna laude celebravit Thucydides [7]), et Aristoteles [8]) optimum civem fuisse iudicavit. Tamen non raro ut apud alios Comicos, ita apud nostrum irridetur et perstringitur. Ita nostra in fabula propter nimiam timiditatem, qua contra Cleonis conatus et criminationes non fortiter pugnare vult, sed fugae se credere aut mortem oppetere [9]). Eam non iniuste ei exprobrari, ex ipso Thucydide, qui eius agendi rationem descripsit, intelligimus. Quamobrem Aristophanes ubi Agoracriti socios enumerat, eum nominare non potuit. Est potius iis annumerandus divitibus, a quibus timeri ait Cleonem. Aliis autem de rebus cum Nicia poëta noster consentit, ut de pace componenda, quam ipsam Niciam summo studio persecutum esse scimus. Perspicuum mihi propterea esse videtur, optasse poëtam, ut Nicias maiore vi contra hostes civitatis surgeret, et quia timiditate et nimia crudelitate saepe res Atheniensium impediebat, suasque ipse vires minuebat, hostilibus armis suis eum aggressum esse. Qui enim quum posset res optimas adiuvare, animi

---

5) Equitt. 562.
6) Thucyd. IV, 27.
7) Thucyd. VI, 86.
8) Plut. Nic. c. 2.
9) Ar. Equitt. 21, 88, alibi.

vitio quodam, quo minus id faciat, impeditur: eum facetiis a vitio retrahere, et ut tota vi in meliora incumbat, adigere comoedia antiqua quam maxime cupit.

His explicatis, si quae laudavit, quae reprehendit poëta componimus, qualem Atheniensem civitatem, qualesque cives sibi optaverit, facile intelligimus. Democratiam qualis illa aetate erat, contemnebat, et e civitate expellere studebat. Homines infimi generis civitatem gerentes, neque bonis moribus conspicuos, neque animo polito excultoque eximios aversabatur. Has ille prae ceteris leges scribebat: Optimi quique a populo ad imperium gerendum provocantor; omnes magistratus sine mercede munera sua administranto; omnes cives, a divitiarum propriique commodi studio avertuntor; urbis patriae salutem solam curanto. Ut uno verbo omnia dicam, ad ea referre civitatem tempora volebat, a quibus democratiae furor, qualem in Peloponnesiaco bello sese gerebat, aberat. Propterea populum Atheniensem senem factum esse, iam vero ad iuventutem redire debere contendit. In Avibus fabula, in qua Euelpides et Pistetaerus cum Epope colloquuntur, haec fere legimus verba [10])

ΕΠ. ἀριστοκρατεῖσθαι δῆλος εἶ ζητῶν. ΕΤ. ἐγώ;
ἥκιστα· καὶ τὸν Σκελλίου βδελύττομαι.

Equidem vix dubitandum esse credo, quin poëtae ipsi interdum Athenienses aristocratiae studium obiecerint et opprobrio verterint, a qua sane non multum aberat. Qua ratione cum praestantissimis hominibus consentientem reperimus Aristophanem.

Quae quum ita sint, qua ratione haec comoedia cum Atheniensis civitatis rebus gravissimis cohaereat, intelligimus. Cleonem evertere, pacem componere, civitatis dignitatem in antiquum statum restituere suscipit. Simul, ut ne hoc praetermittam, Cleoni ipsi quam exspectare debeat sortem ostendere, eumque a turbulentia et temeritate retrahere cupit. Nemesis enim Agoracriti vivit vigetque; populusque paratus est, nunc ad sidera tollere demagogos, nunc e sede deturbare; maleficiorum multitudo nimis magna est, quam quae diutius ferri ac sustineri possit.

---

[10]) Arist. Avv. 125. Adde Wielandi adnotationem.

Non possum huic de Equitibus commentationi finem imponere, quin meam de fabulae praestantia sententiam aperuerim; quae tam audax est, ut non recentioribus solum et harum rerum peritissimis iudicibus, sed ipsi adeo poëtae quodammodo adversetur. Quanquam enim Aristophanes duobus annis post Equites doctos de Nubibus praedicare ausus est [11])

καίτοι σπένδων πόλλ' ἐπὶ πολλοῖς ὄμνυσιν τὸν Διόνυσον,
μὴ πώποτ' ἀμείνον' ἔπη τούτων κωμῳδικὰ μηδέν' ἀκοῦσαι

ac diu post, Nubes fabulam esse omnium suarum praestantissimam affirmavit [12]),

— — — *ἡγούμενος* — — — — —
καὶ ταύτην σοφώτατ' ἔχειν τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν,

tamen equidem pluribus de caussis Equites ceteris omnibus esse praeferendam duco. Quid? quod vix me tenere possum, quin, quanquam Cratini, Eupolidis, et Aristophanis deperditarum fabularum haud immemor, Equites omnium, quas antiqua comoedia genuit, iudicem praestantissimam esse. Quibus rationibus, ut hoc credam, adducar et commovear, iamiam explicabo; id unum si monuero, me omnia esse missurum, quae quum e dramaticorum carminum natura petenda ad comoediae compositionem pertineant, in posteriore huius commentationis parte tradenda habeo.

Quam mira fuerit antiquae comoediae ratio et conditio, quae e democratiae progressu nata, nimiae plebis potentiae minime favet: ut comici poëtae interdum summa contentione suam ipsi artem funditus evertere et e civitate eximere videantur; cum iam saepe viri rerum Graecarum periti animadverterunt, tum ex iis, quae exposuimus, apparuit. Simile quid in hac fabula, nisi fallor, contigit. Ea enim Cleonem vexat tanquam improbum et flagitiosum civem eidemque homini ex parte suam dignitatem et ut quod tragoediae proprium dici solet, de co-

---

11) Ar. Vespp. 1046.

12) Id. Nubb. 521 seq. Huic indicio posteriorum plerique assensionem praebuerunt. „*θαυμάσας ἔχω, εἰ μήτε κωμῳδία τῶν Νεφελῶν μᾶλλον εὐδοκιμεῖ· οὐδὲ γάρ ἐστιν, ἥντινα μετὰ τῆς ἴσης δυνάμεως Ἀριστοφάνης ἀπήγγελκεν.*“ Synesius in Dione p. 40.

moedia exhibeam, suam granditatem refert acceptam. Quare propterea quoque habebat poëta, cur contra Cleonem vehementissime pugnaret gloriaeque eius maximam partem Demostheni deferret, ne quid maius pessimo ac turbulentissimo homini se debere, confiteri cogeretur. Nam comoediae praestantia a civitatis statu pendet. Qui si hostibus devictis gloriaque aucta excellit, simul comoedia ad altiora tendit: sin minus, ad inferiora deprimitur. Iam quia Cleone imperatore quadringenti Spartani erant capti; Sparta autem in timorem coniecta, summa pacis componendae cupiditate flagrabat: Athenienses ob victoriam elati suaeque sibi potentiae conscii nulla re amplius, quo minus ad maxima quaeque et altissima pergerent, impediebantur. Hoc facilius ad summam dignitatem evolavit comoedia. Audi poëtam. En! elegantissimos versus[13])

ὦ πολιοῦχε Παλλὰς, ὦ
τῆς ἱερωτάτης, ἁπα-
σῶν πολέμῳ τε καὶ ποιη-
ταῖς δυνάμει θ' ὑπερφερού-
σης, μεδέουσα χώρας,
δεῦρ' ἀφικοῦ λαβοῦσα τὴν
ἐν στρατιαῖς τε καὶ μάχαις
ἡμετέραν ξυνεργὸν
Νίκην, ἣ χορικῶν ἐστιν ἑταίρα.

Per totum autem belli, quod ab Archidamo nomen gerit, decursum tam elati victoria deportata non fuerunt. Mox enim clades ad Delium accepta aliaque infortunia, quae usque ad pugnam ad Amphipolin infeliciter pugnatam evenere, animi eorum superbiam efflatam minuerunt. Idcirco non mirandum erit, si eo tempore, quo Athenienses nullo pressi erant malo, Aristophanes felici successu laetus praeclara praestitit, praestantemque comoediam edidit.

Deinde comoediae dignitas ab argumenti veritate et magnitudine pendet. Quod si verum est, ad ea, quae hactenus de

---

[13]) Id. Equitt. 581—589. Bentleius v. 588 pro ποιηταῖς scribi iussit πολίταις, quae est coniectura Bentleii ingenio non indigna. Iure tamen suo editores eam amplecti non satis tutum esse crediderunt. Ποιηταῖς enim commodam sententiam facit.

argumento explicavi, provoco. Quanquam enim nunquam iniustum novimus Aristophanem, nunquam indignos ab eo laesos vidimus, nunquam calumniantem vitiaque comminiscentem ab hominibus aliena deprehendimus: tamen, qua maiore iure hominum vitia exagitarit, civitatisque peccata aperuerit, nulla extat fabula. Quodsi igitur de argumenti veritate eadem stat inter omnes sententia: de eius magnitudine non minus conveniunt iudices. Veritatem autem cum reliquis poëtis comicis plerisque habet communem; magnitudinem propriam. Tota enim comoedia [14])

> si quis erat *dignus* describi, quod malus aut fur,
> quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
> famosus, multa cum libertate notabat,

ut recte Horatius eam describit. Sed nihil in his de comoediae vera dignitate expressum invenias: ut Horatium suo iudicio cum Xenophonte magis, quam cum Dione Chrysostomo consentientem reperiamus. Eo magis nostri poëtae praeclara indoles perspicitur. Cleo summa erat potentia in civitate insignis; praeterea improbitate sua maxime timendus neque eximii ingenii expers. His de caussis magna ei opus erat audacia, qui eum de civitate depellere cupere publice profiteri volebat. Nullum dignius et maius comoediae argumentum potest cogitari. Audaciae autem suae conatusque praestantiae sibi conscius poëta ad optima quaeque rapiebatur. Summo igitur iure suam audaciam Herculeae aequalem, opus a se finitum Herculis operibus par fuisse affirmavit, seque *ἀλεξίκακον* et *τῆς χώρας τῆσδε καθαρτήν* vocavit [15]). Huius caussae pondus eo magis, ut credo, elucebit, si sumus reliquas poëtae comoedias, quae excellentissimis annumerantur, contemplati [16]).

---

[14]) Horat. Sat. I, 4, 3—5.

[15]) Ar. Vespp. 1043.

[16]) Sed priusquam eam rem relinquam, Fr. Raumeri, historici scriptoris merito laudatissimi, verba haec apponam: „Es kann sich unseres Erachtens eben so gut eine erhabene Veranlassung zu einer kleinen Kraft gesellen, als eine unscheinbare Veranlassung mit einer grossen Kraft verbinden. *Die grösste Veranlassung mit der grössten Kraft vereint, gäbe dann das vollendetste Kunstwerk;* wogegen bei dürfti-

Quanto opere Aristophanes de suae comoediae gravitate persuasus fuerit, ex iis versibus, quibus universe de vi comoediae Comicorumque pretio disputavit, optime intelligitur. Nam primum optime adversus eos homines loquitur, qui malorum adeo et improborum hominum irrisionem non admittebant, sed invidiae et odio obnoxiam eam esse praedicabant[17]). Dein laudatissimis versibus, qui honores Magneti, Crateti Cratinoque debeantur, quos antiquae comoediae principes fuisse iudicavit, Atheniensibus significavit. Denique tota eius cunctatio, antequam suum ipsius nomen publice profiteretur, comoediaeque difficultatis descriptio, quam exhibet, quibus rebus cum summo ingenio summum laborem coniungere adductus est, fere necessario ad excellentissima quaeque tulerunt[18]).

His dictis, quid singula enumerare pergam? Victor Aristophanes sine difficultate omnes antagonistas superavit. Tota eius comoedia huius victoriae prae se fert speciem. Lepidissimorum enim inventorum plenissima, facetiarum elegantissimarum lusu splendidissima, consilii severitate cum hilaritate mista et temperata excellentissima, omnibusque virtutibus affluentissima legentium animos non allicit, sed trahit ad sese rapitque; non delectat, sed summa laetitia maximoque fervore replet; non tenet, sed firmissimis vinculis obstrictos colligat. Quibus virtutibus colloquia splendeant; quanta elegantia lyrica carmina composita sint, nunc nihil attinet dicere. Cleonis de principatu depulsio, ab homine illo flagitiosiore effecta, populique in melius mutatio in fine ostensa summa arte con-

---

gen Veranlassungen und geringen Kräften für die Dichtkunst die schlimmste Zeit einbricht" in Vorlesungen über alte Gesch. II, p. 379. Ea verba ad Equites trahenda sunt maxime. Adde quae idem de Aristophane alibi exponit (II, p. 168) „Und wäre er diess auch nicht, so würden wir in seiner Darstellung des Unglücks von Athen den fühlenden Menschen, in seinen politischen Anschlägen den geistvollen Staatsmann, in seinem Zorn gegen einen heillosen Krieg, gegen verderbliche Processlust, schlechte Demagogen, und anarchischen Unsinn, den heldenmüthigen Patrioten erkennen müssen."

17) Ar. Equitt. 1274 seqq. Memoratu dignissima sunt, quae v. 1282 poëta dixit verba „ἐστὶ δ' οὐ μόνον πονηρός, οὐ γὰρ οὐδ' ἂν ᾐσθόμην", de quibus vide Röttscherum, Aristoph. p. 162.

18) Id. ib. 507—550.

iunguntur ab initio usque ad finem, ut numquam animus a poëtae consilio avertatur, numquam vim ac pondus totius operis non sentiat. Singulae fabulae partes ita sunt compositae, ut ad unum eas finem spectare et coire intelligamus. Quodsi igitur verum est, quod dicunt, Aristophanem omnes Comicos antiquae comoediae superasse, et comica virtute antecessisse: hac fabula etiam ipsum a sese superatam esse censeo [19].

XL.

Equitibus doctis, si a Cleone homine ultionis sine dubio cupidissimo iterum iterumque vexatum acciperemus Aristophanem: nemini id mirum videretur. Quin immo licet testes viles essent neque magna fide et auctoritate ornati: tamen iis eam rem narrantibus plerique crederent. At contigit nobis, ut eius rei testem merito producamus poëtam ipsum. Quod enim iam supra attigi, si in Vespis fabula, quae est Aminia archonte docta, sese a Cleone maxime vexatum et ab Atheniensibus neglectum, tacuisse paullulum et adulatum esse illi significat; ut essent adeo, qui eum cum Cleone in gratiam rediisse dicerent: profecto rem ante Equites doctos gestam non commemoravit. Difficilis quidem est quaestio, quo modo Aristophanem inimicus vexarit, quibusque armis petierit. Sed quia vitae scriptor anonymus *ξενίας γραφήν* Aristophani a Cleone scriptam esse contendit et facete dicto quodam victoriam de adversario deportasse perhibet; poëta autem ipse dicit, facetias audire cupiisse spectatores [20],

σκωμμάτιον εἰπονί τι θλιβόμενος ἐκβαλῶ,

---

[19]) Longum est et a meo consilio alienum, quae ab aliis disputata sunt aut enarrare aut diiudicare. Schlegelius in Vorlesung. II, p. 34 „Nicht leicht war eine seiner Komödien historischer und politischer. Auch hat sie eine fast unwiderstehliche rhetorische Kraft zur Erregung des Unwillens; es ist eine wahre dramatische Philippica.“ Quae deinde addidit „doch scheint sie mir nicht die vorzüglichste von Seiten der Lustigkeit und der überraschenden Erfindung“ cett. cum sententia scriptoris, quam de Graecae comoediae fine et consilio proposuit, in posteriore huius disputationis parte a me refutanda, cohaerent. Ceterum cfr. Bernhardy Griech. Synt. p. 16.

[20]) Arist. Vespp. 1289.

non ineptam esse credo coniecturam, talem litem vere esse Aristophani illatam. Quanquam quod Dindorfius ait[21]), eum versibus ex Homero petitis nisi apud stultissimos iudices sese defendere non potuisse, negare nolumus, tamen credibile est, in defensione sua poëtam illis quoque versibus iocantem usum fuisse. Aristophanes igitur quanquam propter audaciam in magna pericula iniectus, tamen muneri suo, comoedias docendi, se non abdicavit; et si Cleonem proximis comoediis minus lacessivit, tamen pro republica et contra improbos cives verba fecit, quibus nova pericula sese subire non ignorabat. Ac quod de sua in Cleonem adulatione poëta praedicavit, non ita intelligi debet, tanquam nullo eum in comoediis verbo tetigisset; quod quum per se non sit credibile, firmo argumenti scriptoris, quod Paci fabulae praemittitur[22]), testimonio refellitur. „*οὐ τοῦτο δὲ μόνον ὑπὲρ εἰρήνης Ἀριστοφάνης τὸ δρᾶμα τέθεικεν, ἀλλὰ καὶ τοὺς Ἀχαρνεῖς καὶ τοὺς Ἱππέας καὶ Ὁλκάδας, καὶ πανταχοῦ τοῦτο ἐσπούδακεν, τὸν δὲ Κλέωνα κωμῳδῶν τὸν ἀντιλέγοντα καὶ Λάμαχον τὸν φιλοπόλεμον ἀεὶ διαβάλλων.*“ Neque hoc egemus testimonio, quoniam nobis ad ipsum poëtam provocare licet, qui in ea parte Nubium, quae haud dubie ante Vespas edita est, Cleonem risit, eumque *τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην Παφλαγόνα* appellavit[23]).

Ab Equitibus ad Nubes transeo, non tam arbitrium secutus meum, quam coactus certorum monumentorum inopia, e quibus quas tempore intermedio Aristophanes docuit fabulas comperiamus. A Lenaeis igitur statim usque ad Dionysia urbana anni sequentis transgredimur. De Nubibus enim hanc accepimus notam didascalicam „*αἱ πρῶται Νεφέλαι ἐδιδάχθησαν ἐν ἄστει, ἐπὶ ἄρχοντος Ἰσάρχου, ὅτε Κρατῖνος μὲν ἐνίκα Πυτίνῃ, Ἀμειψίας δὲ Κόννῳ.*“ Cum ea convenit, quod Athenaeus Connum Amipsiae biennio ante Eupolidis *Κόλακας* doctam esse ait[24]), quia aliunde auctore fide digno, quando *Κόλακες* docti fuerint,

---

[21]) Dind. Arist. fragmm. p. 56.
[22]) In Bekkeri exempl. Londin. e codice Veneto expressa p. 243 seq.
[23]) Arist. Nubb. 581. Add. 591—594.
[24]) Athen. VI, p. 528 c.

accepimus [25]). Huc addi possunt plura testimonia scholiastarum, ut ad v. 546 „πρὸ τούτου δὲ Ἴσαρχον ἐφ' οὗ αἱ Νεφέλαι εἰσήχθησαν· ὁ μέντοι Ἀνδροτίων ἐπὶ Ἀλκαίου φησὶ τοῦ μετὰ Ἀμεινίαν τὸν Κλέωνα δυσὶν ὕστερον ἔτεσι τεθνάναι τῆς τῶν Νεφελῶν διδασκαλίας“, ad v. 575 „ἐπειδὴ ἔκλειψις ἐγένετο τῆς σελήνης τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Στρατοκλέους βοηδρομιῶνι“, ad v. 549 „Ἐρατοσθένης δέ φησι, Καλλίμαχον ἐγκαλεῖν ταῖς διδασκαλίαις, ὅτι φέρουσιν ὕστερον τρίτῳ ἔτει τὸν Μαρικᾶν τῶν Νεφελῶν.“

In ipso carmine pauca tantummodo, e quibus certo tempus doctae fabulae reperire possis, inveniuntur. Ac Dionysiis urbanis eam in scenam esse commissam, ex his versibus, quos Nubes procul ad theatrum accedentes canunt [26])

παντοδαπαῖς ἐν ὥραις,
ἦρί τ' ἐπερχομένῳ Βρομία χάρις
εὐκελάδων τε χορῶν ἐρεθίσματα,
καὶ Μοῦσα βαρύβρομος αὐλῶν

colligere licet [27]). Recte enim hoc annotavit schol. „τὴν παροῦσαν ἑορτὴν λέγει, τουτέστι τὰ Διονύσια· ἀρχομένου γὰρ τοῦ ἦρος ἄρχεται καὶ ἡ πανήγυρις“, et Gl. Brunck. „ἔαρι· τότε γὰρ ἐτελοῦντο τὰ Διονύσια.“ De anno autem plura testimonia possunt ex carmine ipso peti. Bellum enim adhuc gerebatur [28]),

ἀπόλοιο δῆτ' ὦ πόλεμε, πολλῶν οὕνεκα,
ὅτ' οὐδὲ κολάσαι ἔξεστί μοι τοὺς οἰκέτας

ac timebantur Lacedaemonii. Nam ubi Lacedaemonem ostendisset Socratis discipulus, respondet Strepsiades [29]):

ὡς ἐγγὺς ἡμῶν· τοῦτο πάνυ φροντίζετε,
ταύτην ἀφ' ἡμῶν ἀπαγαγεῖν πόῤῥω πάνυ.

Quae quum nihil certi doceant, maxime ad Cleonis commemo-

---

[25]) Argum. script. in Pacem, a Bekkero primum vulgat. Meineke Qu. Sc. II, Add.

[26]) Ar. Nubb. 310 seqq.

[27]) cfr. Aelian. VV. HH. II, 13 „ὅτε ὄντων Διονυσίων πάμπολύ τι χρῆμα τῶν Ἑλλήνων.“

[28]) Ar. Nubb. 6 seq.

[29]) Id. ib. 215 seq.

morationem confugere cogimur. Quia enim tanquam vivi Cleonis meminit [30]), simul autem Pyli expugnationem commemorat [31]), captorumque ibi Lacedaemoniorum infortunia: inter Stratoclem et Alcaeum archontem consistere cogimur. Ex didascaliorum igitur auctoritate si primo anno Olympiadis octogesimae fabulam doctam esse credimus: omnia optime quadrant; quanquam si nulla nobis didascalica nota servata esset, quantis difficultatibus annum erruituri circumdati fuissemus, apertum est. Quoniam autem in idem comoedia incidit tempus, quo ut Thucydides ait [32]), ἅμα ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους Lacedaemonii eorumque socii annuas inducias fecerunt: nostram comoediam ante foedera doctam esse ac foedera post Dionysiorum festum instituta intelligimus.

Iam vero singulari quodam casu, ut adeo quando comoedia edita et vulgata sit, suspicari liceat, nobis evenit. Nam quod ex didascalica nota discimus, Nubes Amipsiae Conno et Pytinae Cratini posthabitam esse: id docet Aristophanes, qui in Vespis non iudices, sed ipsos spectatores propterea accusat, iniuriamque in Nubes iis exprobrat [33]). Ineptit igitur Aelianus, qui ita loquitur, ut totum theatrum nulli alii, quam Aristophani victoriam detulisse crederes [34]). Nihil enim poëtae testimonio apertius esse potest, dicentis

μέμψασθαι γὰρ τοῖσι θεαταῖς ὁ ποιητὴς νῦν ἐπιθυμεῖ

et paullo post

τοῦτο μὲν οὖν ἴσθ' ὑμῖν αἰσχρὸν τοῖς μὴ γνοῦσιν παραχρῆμα.

Sed vel sic verum erit, quod sua sententia deceptus Aelianus profitetur „*καὶ γάρ τοι καὶ τὸ τοῦ Κρατίνου τοῦτο συνέβη εἴπουσι ἄλλοτε καὶ τότε, τῷ θεάτρῳ νοσῆσαι τὰς φρένας*“, quanquam qua de caussa Cratinus vicerit coram Atheniensibus, ex

---

30) Ar. Nubb. 590—594.
31) Id. ib. 187.
32) Thucyd. IV, 117.
33) Arist. Vespp. 1015—1059.
34) Aelian. VV. HH. II, 13.

paucis fragmentis bene colligi potest. Iam quoniam poëta, ut ipsius utar verbis,

παρελαύνων τοὺς ἀντιπάλους τὴν ἐπίνοιαν ξυνέγραψεν·

primum spectatoribus iratus suam apud se retinuisse comoediam videtur, ac longo temporis spatio praeterito demum scriptam edidisse. Quod quum susciperet, se quia mori Atheniensium eorumque poëtarum non conveniebat, propterea non sine monitu quodam eam vulgare posse perspiciebat. Quare non eam, quam nostrates inire solent, viam ingressus, a praefatione quidem fabulae praemittenda abstinuit, sed parabasis partem [35]) scripsit, quae in nostris Nubibus legitur, et ibi quod male de comoedia sua iudicaverint, spectatores reprehendit et exagitavit. In hac parabasi autem temporis, quo condita sit, non obscura testimonia reperiuntur. Nam quia Cleonem mortuum, fabulamque Eupolidis, quae *Μαρικᾶς* inscribitur, doctam commemorat: ad annum quartum Ol. octogesimae nonae recedere cogimur [36]). Deinde Hermippi comoedia, qua Hyperbolum vexasse dicitur, sine dubio hunc ipsum annum supergressa est. Accedit, quod ex versu

ἄλλοι τ' ἤδη πάντες ἐρείδουσιν εἰς Ὑπέρβολον

vivo adhuc Hyperbolo parabasin scriptam esse Hermannus suspicatus est [37]). Quae coniectura quanquam valde est speciosa, tamen redargui posse videtur ipsis poëtae verbis: qui se post eius mortem non iterum Cleonem vexavisse ait, reliquos autem, posteaquam semel Hyperbolus ansam dederit et Maricam Eupolis docuerit, non desinere neque ab hoc argumento decedere contendit. Ac praeterea illa ipsa de Cleone dicta

κοὐκ ἐτόλμησ' αὖθις ἐπεμπηδῆσ' αὐτῷ κειμένῳ,

nisi aliquot anni ex morte Cleonis praeteriissent, vix ab Aristophane proferri poterant. Est autem nescio cuius grammatici sententia, Aristophanem ubi comoediae sobrietatem ostentet, in se ipsum fundere iocos et quae aliis in fabulis admiserit, re-

---

35) Arist. Nubb. 518—562.
36) cfr. Meinek. Qu. Sc. I, p. 40.
37) Hermann. Praef. ad Nubb. p. XXII.

prehendere[38]). Quam si comprobamus, de editionis tempore certius iudicium feremus. Redire enim ad Lysistratam, quae archonte Callia docta est, cogimur, remque ita definimus, ut Nubium fabulam inter Lysistratam et Ranas doctas ab Aristophane editam esse dicamus. Iam memoratu est dignissimum, quod Cleo post Pacem, in qua fabula argumenti caussa virum tangere debebat, neque in Avibus, neque in Thesmophoriazusis, neque in Lysistrata irridetur. In Ranis igitur quanquam eundem iterum perstringit, inconstantiae quidem fortasse a nonnullis, sed mendacii dicti a nemine accusabitur[39]).

His dictis nisi difficillimas quaestiones iam antea pro virili parte solvere studuissemus, multa essent addenda[40]). Ostendimus enim, primas, quas dicunt, Nubes, nunquam hominum manibus tritas, nunquam lectas esse. Antiquos autem illos grammaticos, qui variis caussis commoti, imprimis autem reliquorum Comicorum consuetudine seducti, Aristophanis indole non satis perspecta, adeo partes commutatas indicare ausi sunt, deceptos falsosque esse, cur aliis rationibus allatis demonstrare studemus, quum ipsa parabasis clarissime doceat? Nam singulis versibus non oscitanter perlectis, Aristophanem non in scena iterum producere velle, sed ut insignem comoediam suam iis, qui saperent, non eriperet, edere tantummodo, eamque praeter additam parabasin immutatam reliquisse, facile intelligimus. Postquam enim sese libero ore veritatem dicere velle pronuntiavit: ita pergit

οὕτω νικήσαιμί τ' ἐγὼ καὶ νομιζοίμην σοφὸς,
ὡς ὑμᾶς ἡγούμενος εἶναι θεατὰς δεξιοὺς,
καὶ ταύτην σοφώτατ' ἔχειν τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν,
πρώτους ἠξίωσ' ἀναγεῦσ' ὑμᾶς.

Hanc igitur ipsam (*ταύτην*) quam legimus comoediam iam primum[41]) gustandam obtulerat Atheniensibus, et sapientissime esse

38) Schol. ad Nubb. 534.
39) Ar. Rann. 569. 577.
40) cfr. cap. XXVIII et XXIX huius commentationis.
41) *πρώτους* pro *πρῶτον* sumere solent. Quid? si id ipsum ad editionem fabulae spectat, per quam poëta omnes Graecos comoediae participes reddidit?

compositam iudicaverat. Victus tamen abiit, et propterea nunc quia id admiserant, eos reprehendit. Deinde addit,

ἀλλ' οὐδ' ὣς ὑμῶν ποθ' ἑκὼν προδώσω τοὺς δεξιούς

seque sapientiores sua sponte deserere nolle contendit, huiusque studii caussas explicat. Quibus dictis, ita pergit:

νῦν οὖν Ἠλέκτραν κατ' ἐκείνην ἥδ' ἡ κωμῳδία
ζητοῦσ' ἦλθ', ἤν που 'πιτύχῃ θεαταῖς οὕτω σοφοῖς·
γνώσεται γὰρ ἤνπερ ἴδῃ τἀδελφοῦ τὸν βόστρυχον.

Ne verbum quidem de mutatione facta audis. Electrae similis fratris cincinnum, h. e. spectatores s. lectores sapientes quaerit et sicubi quem reppererit, agnoscet. Non omnibus vult placere, sed singulis tantum Atheniensium iisque cordatis et sapientibus viris. Laudem multitudinis non accepit antea, neque nunc acquirere studet. Qui similibus, qui iisdem rebus delectentur, eorum poëta quaerit plausum; qui autem aliorum ex ineptis lusibus gaudia capiant, eos a sua comoedia recedere iubet,

ὅστις οὖν τούτοισι γελᾷ τοῖς ἐμοῖς μὴ χαιρέτω.

Pulcherrimi illi versus ab aliis etiam pulchrioribus excipiuntur, quibus quam sobria sit eadem illa, quam antea in scenam commisit, nunc autem scriptam vulgavit, comoedia docet. Quae igitur a Comicis risus caussa addantur, iis sese non usum esse perhibet,

ἀλλ' αὑτῇ καὶ τοῖς ἔπεσιν πιστεύουσ' ἐλήλυθεν.

Postea enarrat, se nova semper et inaudita proferre, nunquam quae iam dixerit repetere; ostenditque ab hac virtute reliquos Comicos multum abesse.

Quae omnia quicunque accurate legit, immutatam exhiberi et repeti a poëta diu antea doctam fabulam, concedet. Quare latius de hoc argumento loqui, longum est nec necessarium. Quid? quod ne in singulis quidem a poëta factas esse mutationes quasdam, sumere satis tutum est, quia summa omnia diligentia elaborasse credendus est, et primam fabulae commissionem multum sibi laboris excitasse ait [42]). Sed id omnino

[42]) Arist. Nubb. 523 „*ἥ παρέσχε μοι ἔργον πλεῖστον.*"

negare[43]) non ausim, interdum aliam scripturam iam a poëta supra scriptam esse: siquidem singulis in versibus diversae scripturae constantia id ostendere quibusdam videtur.

Huius opinionis adversarii, qui duplicem Nubium editionem in grammaticorum manibus fuisse contendunt, ad versus ex Nubibus excitatos provocare solent, qui in nostra editione non reperiuntur. Id quam facile fallat homines ostensum est. G. Dindorfius in iis diiudicandis cautissimus, tamen non omnes errores evitavit[44]). Nam si versum apud Photium servatum

ἐς τὴν Πάρνηθ' ὀργισθεῖσαι φροῦδαι κατὰ τὸν Λυκαβηττόν

ab externa specie sua multum commendationis habere contendit: eius sententia propterea maxime laborat, quia eam partem ipsi veteres, ut vidimus, intactam a poëta relictam fuisse dixerant, ad quam illum versum refert. Accedit quod Nubes *ἐς τὴν Πάρνηθα* abiisse iratas, non satis aptum est; neque *κατὰ τὸν Λυκαβηττὸν* commodam praebet sententiam. Sed eos locos singulos Nubium interpreti indagandos et diiudicandos relinquimus.

XLI.

Quae posteaquam explanare studui; ut de Nubium argumento mea quae sit sententia dicam, mei me propositi ratio cogit. Quam provinciam tametsi iam alio tempore ultro suscepi[45]), tamen non sine timore et formidine iterum mihi iniunctam video. Nam praeter summam quaestionis difficultatem, quam qui recte sustinere et tueri velit, pari et ingenii acie et eruditionis copia instructus esse debet; angit me eius gravitas. Si enim, ubi mediocri ingenio homines, de quibus iudicium et censuram exerceamus, nobis propositos habemus: non magnum est errandi periculum: maior non immerito nos tenebit formido,

---

43) Reisig in Rhen. Mus. l. l. p. 201.
44) Dind. Arist. fragmm. p. 18.
45) in Kritische Bibliothek für Schul- und Unterrichtsw. ed. G. Seebode, 1828, n. 31, 32. p. 241—256.

ubi divina magnorum virorum indoles ac natura diiudicanda datur. Accedit alia iustae anxietatis caussa. Nam quanquam ab hominibus prudentissimis ingeniique praestantia maxime conspicuis agitata est quaestio et multa, quibus qui in eandem rem inquirit, insistat, dicta sunt et inventa: tamen id ipsum, quod summorum virorum vestigia et antiquitus et recens impressa video, ab incepto me deterret temeritatisque et audaciae culpam ut depellam, incitat. Videor mihi, dum de Aristophanis in edenda fabula consilio disputo, in sacrosancto versari quodam solo, multorumque et sanctissimorum hominum pedibus trito. Tamen mei negotii partes pro virili explere studebo; summaque modestia quaecunque ex animi sententia explicabo, dicam et ita accepta velim.

Par est, ipsum poëtam adire eumque prius quam eius interpretes de consilio suo disserentem consulere. Is autem quum anno post Nubes doctas Vespas in scenam committeret, suamque, ut iudicia aequalium vituperaret, virtutem celebraret: quod secutus sit in edendis Nubibus consilium, his versibus exposuit [46]:

ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν ἔτι καὶ νυνὶ πολεμεῖ· φησίν τε μετ' αὐτοῦ
τοῖς ἠπιάλοις ἐπιχειρῆσαι πέρυσιν καὶ τοῖς πυρετοῖσιν,
οἳ τοὺς πατέρας τ' ἦγχον νύκτωρ καὶ τοὺς πάππους ἀπέπνιγον·
κατακλινόμενοί τ' ἐπὶ ταῖς κοίταις ἐπὶ τοῖσιν ἀπράγμοσιν ὑμῶν
ἀντωμοσίας καὶ προσκλήσεις καὶ μαρτυρίας συνεκόλλων,
ὥστ' ἀναπηδᾶν δειμαίνοντας πολλοὺς ὡς τὸν πολέμαρχον.
τοιόνδ' εὑρόντες ἀλεξίκακον, τῆς χώρας τῆσδε καθαρτήν,
πέρυσιν καταπρούδοτε καινοτάταις σπείροντ' αὐτὸν διανοίαις
ἃς ὑπὸ τοῦ μὴ γνῶναι καθαρῶς ὑμεῖς ἐποιήσατ' ἀναλδεῖς.

---

46) Aristoph. Vespp. 1037—1045. Quod quae in Vespis proximo anno doctis de fabulae argumento pronuntiavit, apprime cum nostris Nubibus conveniunt; inde quoque sententiae nostrae, nihil in fabulae compositione a poëta mutatum esse, merito subsidium petitur. Praeterea Platonis ratio, qua Nubes commemorat, „ἐν τῇ Ἀριστοφάνους κωμῳδίᾳ," idem ostendit, cfr. Apolog. p. 18.

Iam primum omnium, adolescentium vitia prae ceteris poëtam sibi exagitanda elegisse intelligimus. Nescio quo fato neque qui primi de Aristophanis consilio quaesiverunt neque qui postea idem argumentum sibi exornandum sumpserunt, sunt ab hoc loco profecti, quo bene intellecto haud difficilis aditu via ad veritatem videtur esse. Scripsit igitur poëta fabulam, ut adolescentium mores perversos coërceret licentiamque eorum et scelera, quibus inquinati erant, proscinderet. Etenim illius aetatis iuventus omnia sua decora abiecerat; amorem in parentes gratumque erga eos animum negligebat et a vetere disciplina desuefacta, fere nihil nisi litium semina spargere et ubique excitare curabat. His igitur malis parentes civitatemque liberare et adolescentes ad veteris consuetudinis similitudinem revocare poëtae in animo fuit.

Phidippides, Strepsiade, divite agricola, et Megaclis filia natus, his, de quibus dixi, iuvenibus annumerandus est. Strepsiades autem, eius pater, a filio laesus et violatus, parentum, quales illa aetate erant, imaginem nobis proponit: ita ut tota privata Atheniensium vita his exemplis nobis ostendatur, parentumque et filiorum indoles et natura monstretur. Quare si hanc fabulam cum Equitibus componimus, altera comoedia alteram explicat, dum illa publicam, privatam haec describit vitam. Iam quum quaeri possit ac debeat, utrum Strepsiadis et Phidippidis nomina vere hominibus tunc viventibus propria fuerint, an a poëta, quo melius suum assequeretur consilium ficta: equidem quid priori sententiae, ad quam primo adspectu ultro trahitur animus, merito opponeretur, nihil quidquam me vidisse contendo. Antiquae comoediae indoli ea est consentanea. Nominum interpretatio ab Aristophane instituta nihil miri habet et insoliti[47]). Quae de nuptiis patris, de uxoris cognatis, de filii studiis enarrantur, eo ducere videntur. Tamen aliquid certi affirmare non audeo, quanquam me priori longe magis quam posteriori sententiae favere et ab Suevernii opinione, Alcibiadem

---

[47]) Nam quia haud dubie magnus erat similium hominum numerus: eos propterea poterat eligere, quia nomina rei tradendae maxime conveniebant. Eodem modo inter bellandi cupidos Lamachum perstrinxit.

tangi Phidippidisque nomine significari putantis, longissime abesse[48]) profiteor.

Adolescentium vitia in Nubibus exagitata, parentum contemptionem et litigandi studium, iam prima in fabula Athenis docta ab Aristophane esse perstricta, antea vidimus. Praeterea non raro in omnibus fabulis cum singulos adolescentes, vitiis his obnoxios, notavit et nominatim irrisit, tum universe civitatem malis illis obrui significavit. In Acharnensibus senes de iniuriis, quibus ab adolescentibus litigandi studiosis afficiantur, misere querentes, hanc civitati legem scribunt[49]):

ἀλλ' ἐπειδὴ τοὺς γέροντας οὐκ ἐᾶθ' ὕπνου τυχεῖν,
ψηφίσασθε χωρὶς εἶναι τὰς γραφὰς, ὅπως ἂν ᾖ
τῷ γέροντι μὲν γέρων καὶ νωδὸς ὁ ξυνήγορος,
τοῖς νέοισι δ' εὐρύπρωκτος καὶ λάλος, χὠ Κλεινίου.

Peccata contra parentes commissa ut in Daetalensium fragmentis, ita alibi commemorantur. In Avibus[50]) enim adolescens ad Pisthetaerum advolavit, qui ut in avium urbem recipiatur, cupit:

— — *μάλιστα δ' ὅτι καλὸν νομίζεται*
τὸν πατέρα τοῖς ὄρνισιν ἄγχειν καὶ δάκνειν.

In Ranis[51]) in Tartarum coniecti dicuntur tales quoque homines,

εἴ που ξένον τις ἠδίκησε πώποτε,
ἢ μητέρ' ἠλόησεν, ἢ πατρὸς γνάθον
ἐπάταξεν,

quibus locis comparatis, Aristophanis aetate saepius iuvenes tam sceleratos fuisse, apparet[52]).

---

48) Meae opinionis causas fusius exposui l. l. p. 243 seq. Neque nunc aliter sentio.

49) Arist. Acharn. 713—716.

50) Id. Avv. 1347 seqq.

51) Id. Rana. 147, cfr. Rötscher, Aristoph. p. 354.

52) Permulti Atheniensium scriptores de filiorum in parentes impietate, quae illo tempore in civitatem irrepserat, queruntur. Audi Sophoclem,

ὅπου γὰρ οἱ φύσαντες ἡσσῶνται τέκνων
οὐκ ἔστιν αὕτη σωφρόνων ἀνδρῶν πόλις.

Iam si quis mala civitatis ostendere audet, quibus medela ut quam celerrime fieri potest afferatur, exoptat; debebit prae ceteris malorum caussas et origines ostendere et indicare. Aristophanes igitur, homo et prudentissimus et civium salutis studiosissimus, quum malos adolescentes sibi exagitare proposuisset: statim hanc viam quae eligatur necessariam esse intellexit. Tota enim eius comoedia est in ostendendis malorum originibus. Quanquam autem adolescentium peccata illustrantur et quam turpia sint ac foeda ostenditur: quanquam ipsi igitur adolescentes vituperantur: tamen culpae maxima pars, ut fas est, non ad ipsos traducitur, sed aliis crimini et infamiae vertitur. Quare ad poëtae sapientiam iustitiamque mihi pro se quisque acriter intendat animum, qui nunquam innocentes impugnet, et tam circumspecte agat, ut eum, quae sit comoediae vis, quae via eligenda, semper optime perspectum habuisse videamus. Nam enim alio modo melius efficere potuisset, ut iuventutem a vitiis suis retraheret et meliora edoceret, quae imitari et summo studio aggredi deberet? Sed quas esse caussas tantae inter iuvenes corruptionis crediderit poëta, nobis quaerendum est, qua in re equidem a plerisque omnibus vehementer dissentio, animo meo non ad Socratem statim, sed ad res longe alias delatus. At tam temerarium quis unquam novit hunc poëtam, ut ab uno homine, vel ab uno hominum genere, ut alii autumant, omnium malorum originem repetierit?

Quicunque Phidippidis indolem ab Aristophane descriptam propius et accuratius contemplatur, sua sponte in eam incidet cogitationem, ut eum iam antequam Socratis in disciplinam recipiatur, patrem non magni facere putet. Patris enim querelae de obedientiae inopia filii ab initio dramatis audiuntur. Matris enim ille iussis et monitis multo magis paret huiusque malis in urbe gliscentibus affectae optata persequitur.

Ἀλλ' οὐκ ἐπείθετο τοῖς ἐμοῖς οὐδὲν λόγοις,
ἀλλ' ἵππερον κατέχεέ μου τῶν χρημάτων,

dicit [53]) ipse pater, eius quod se premat incommodi non igna-

---

[53]) Arist. Nubb. 73 seqq.

us. Praeterea num quis unquam cum patre ita colloquentem [54]) audivit probum filium? *Ἔασον, ὦ δαιμόνιε, καταδαρθεῖν τί με· — ἀλλ' εἴσειμι, σοῦ δ' οὐ φροντιῶ· — οὐκ εὖ φρονεῖς μὰ τὸν Δία· — αἰβοῖ· τί ληρεῖς; — σὺ δ' εἰς τοσοῦτο τῶν μανιῶν ἐλήλυθας; — ὦ ἀνόητε σύ· —*

οἴμοι· τί δράσω, παραφρονοῦντος τοῦ πατρός;
πότερον παρανοίας αὐτὸν εἰσαγαγὼν ἕλω,
ἢ τοῖς σοροπηγοῖς τὴν μανίαν αὐτοῦ φράσω; —

Profecto talia patri qui filius dicere potest, eum a verberando patre non nimis procul abesse, assentientibus, ut credo, omnibus arbitror. Ea autem patris contemptio quum in hominis animo reperiatur, qui ab Socratica schola tanto opere abhorruit, ut, ea commemorata, statim in verba erumpat [55])

αἰβοῖ, πόνηροί γ', οἶδα. τοὺς ἀλαζόνας,
τοὺς ὠχριῶντας, τοὺς ἀνυποδήτους λέγεις·
ὧν ὁ κακοδαίμων Σωκράτης καὶ Χαιρεφῶν,

eius mali ne minima quidem culpa ad Socratem redibit.

Sed ut patrum contemptio aliunde exorta sit, inquiunt, unde litigandi studium in Nubibus obvium repetes? Nonne propterea ad Socraticam scholam confugere debebis? Equidem id quoque negandum esse dico. Litium enim serendarum cupido senum in animo excitata ad filios transit, non libere ei sese tradentes, sed eam ut amplectantur, coactos. Nam Strepsiades, Phidone natus et in agro vivere solitus, ex quo in urbem sese contulit, feminamque in urbe natam in matrimonium duxit, magna divitiarum, quibus antea floruerat, parte exutus est. Quoniam neque uxorem regere neque filium potuerat; illa suis libidinibus explendis tradita, hic matris blanditiis inductus, Strepsiadem aeris alieni copia obruerunt. Idcirco sese ut aere alieno liberet, iudices et creditores quo modo fallere et defraudare possit, summa animi contentione cogitat. Ait enim statim ab initio [56])

---

54) Ar. Nubb. v. 38, 125, 816, 828, 831, 843—845, 857.
55) Id. ib. v. 102—104.
56) Id. ib. v. 116—118.

ἢν οὖν μάθῃς μοι τὸν ἄδικον τοῦτον λόγον,
ἃ νῦν ὀφείλω διὰ σὲ, τούτων τῶν χρεῶν
οὐκ ἂν ἀποδοίην οὐδ' ἂν ὀβολὸν οὐδενί.

Idque ipsum per totam comoediam iterum iterumque a poëta repetitur et inculcatur. Propterea Nubium chorus Strepsiadem ita alloquitur [57]):

αὐτὸς μὲν οὖν σαυτῷ σὺ τούτων αἴτιος,
στρέψας σεαυτὸν εἰς πονηρὰ πράγματα.

Propterea ipse de se respondet postea [58])

οἴμοι, πονηρά γ' ὦ Νεφέλαι, δίκαια δέ·
οὐ γάρ μ' ἐχρῆν τὰ χρήμαθ', ἁδανεισάμην,
ἀποστερεῖν.

Primam enim eius rei voluntatem ex sese ipso hauserat et acceperat, priusquam cum Socrate sese coniungeret.

Quare si quibus potissimum mala adolescentium conditio opprobrio vertenda sit, inquirimus: maxima culpa, ut poena culpae proposita, ad patres pertinet. Patres enim, ea aetate nati educatique, qua nulla morum corruptio civitatem invaserat affeceratque, primi a prisca vivendi ratione defecerunt; et fallaciarum malarumque artium cupidi sua peste filios suos inquinarunt. Quod tamen summum est, patres educationem a maioribus acceptam reliquerunt, ipsique educandi filios viam inierunt, qua progressi adolescentes omnium vitiorum semina et initia animo receperunt. Eam liberorum educandorum rationem primam mali caussam fuisse Aristophanes censuit: eam in Nubibus quoque ante alia accusavisse putandus est; eius autem culpam in Socratem traducere, qui adultos tantummodo iuvenes in disciplinam suam accepit, esset iniustissimum facinus, quod a nostro poëta tantum abest, quantum ab animo eius unaquaeque recedit omnis generis iniustitia.

His dictis non dubito, quod sentiam affirmare. Extra omnem dubitationem id mihi positum esse videtur, fabulae totius summam in ea oratione cerni, qua priscam educandi rationem Ari-

---

57) Ar. Nubb. v. 1454 seq.
58) Id. ib. v. 1462—1464.

stophanes Aristophanea eloquentia et virtute ornavit, qua recens invectam e civitate expellendam esse censuit [59]). Quid est, quod cuncter animi mei sententiam expromere? Quid quo minus libero ore eius rationes explicem me impediat? Equidem eum, qui hanc orationem sine admiratione legere, qui si legerit de viri virtute veraque nobilitate etiamtum dubitans, poëtae amore non inflammatus, eius comoediarum legendarum et ediscendarum cupidine non incensus abire ac discedere potest, eum inquam equidem non omni solum sensu omnique ratione cassum, sed morum perversorum amatorem adeo esse iudico. Nullum unquam poëtam nec maiorem nec sanctiorem fuisse quam nostrum Aristophanem, ex hac oratione discimus. Quoniam tamen inter recentiores veteresque fuerunt, qui, quod incredibile dictu est, huius sententiae veritatem totam non perspexerunt, scholiastam nunc audiamus, qui his verbis pulcherrime eam confirmat [60]): „*τοῦτο δὲ τὸ μέτρον Ἀριστοφάνειον καλεῖται, ἐπεὶ εὐδοκίμησε λέγων, ὡς „ὅτ' ἐγὼ τὰ δίκαια λέγων ἤνθουν καὶ σωφροσύνη 'νενόμιστο" τοῦτ' οὖν ἄγαν Ἀριστοφάνης ἀπεδέχετο, ὡς εὖ πεποιημένον.*" Ex his igitur potissimum versibus metrum illud Aristophaneum vocatum est, quia praeterea apud omnes Comicos, qui hoc metro utebantur, nihil reperiebatur, quod sive metrorum rhythmorumque praestantiam, sive dictorum veritatem dignitatemque spectabant, his aequiparari versibus posset. Quum tota comoedia morum illa aetate visam corruptionem exprimat, ut adeo in fine *λόγος δίκαιος* ad hostem transire victus cogatur: haec oratio, ut antiquae liberos educandi rationis summum desiderium excitet et totius urbis mutationem acceleret, composita, vim ac pondus comoediae continet. Chorus Nubium adeo, qui iuvit ad illum usque locum iustitiae hostes, finita oratione, pulcherrimis versibus eam laudat iamque inde aperte bonis probisque favet [61]). Aristophanes autem, quod ostendere voluimus, ipse monstrat, dum antequam

59) Arist. Nubb. 961—983; 985—999; 1002—1023.

60) Schol. ad Ar. Nubb. 961.

61) Arist. Nubb. 1024—1030. Roetscher, Aristoph. p. 325 seq.

loqui incipiat δίκαιος, chorum inducit, nunc suorum amicorum sapientiam summo in periculo versari dicentem[62]):

νῦν γὰρ ἅπας ἐνθάδε κίν-
δυνος ἀνεῖται σοφίας,
ἧς πέρι τοῖς ἐμοῖς φίλοις
ἔστιν ἀγὼν μέγιστος.

Hoc igitur illud est praecipue, quod poëta reprehendit et exagitat: veteris educandi rationis severitatem lapsam esse, invectasque voluptates, immigrasse luxuriam, quae iam non amplius homines adultos polluant, sed dum ab infantia liberos afficiant, totam civitatis salutem omniaque bonorum morum exempla radicitus evellere coeperint.

Hinc igitur adolescentium vitia repetit; hinc ea oriri et immigrare in urbem arbitratur; hinc si quam malorum mutationem Athenienses cuperent, initia sumenda esse censet. Quodsi iuvenis, ait poëta, ad priscam virtutem redis, et summo studio contendis, ut ne quid turpe admittas[63]),

μηδὲν
αἰσχρὸν ποιεῖν, ὅτι τῆς Αἰδοῦς μέλλεις τἄγαλμ' ἀνα-
πλάττειν·

civitatis salus iterum florebit; *Μαραθωνομάχαι* nascentur; ac tota reipublicae dignitas iterum exorietur. Id autem semper est tenendum, huius corruptionis veteris disciplinae non unam aliquam dici caussam. Uti res est, ita poëta variis de caussis sensim esse natam eam, haud dubie sumpsit.

Aristophanem autem adolescentium vitia exterminare exoptantem, praeterea ea omnia exagitare et proscindere oportebat, quae ea alebant et adiuvabant. Ac pro patriae amore suo optimarumque rerum studio tota ingenii vi eos, quos sibi adversari aut videbat aut credebat, impugnare et ipsos e civitate eiicere cogebatur. Alia enim via incedens, suarum comoediarum vim ipse delevisset. Quo igitur maior erat viri virtus, eo vehementiore adversarios impetu perstringebat.

---

[62]) Arist. Nubb. 955—958.
[63]) Id. ib. 995.

Iam quum plurimae adessent, quae civitatis mores non emendare, sed corrumpere videbantur caussae: nulla tamen est maior et poëtae nostro saepius commemorata, quam quod gerebatur inter Lacedaemonios et Athenienses eorumque socios bellum. Id ipsum hac quoque in fabula poëta tetigit. Tota enim condicio, in qua Strepsiadis familia versatur, si bellum non esset, alia mansisset. Qui enim in agris vivere solebat, in urbem abire coactus fuerat; qui filium ad agriculturam incitaverat, nunc in urbe id negotium ipse exercere non potuerat. Quare quum otio abundaret, est ad res peiores delatus. Propterea ubi primum statim ab initio dramatis miseriarum suarum caussas ostendit, bellum accusat [64]):

οἱ δ' οἰκέται ῥέγκουσιν· ἀλλ' οὐκ ἂν πρὸ τοῦ·
ἀπόλοιο δῆτ' ὦ πόλεμε, πολλῶν οὕνεκα,
ὅτ' οὐδὲ κολάσαι ἔξεστί μοι τοὺς οἰκέτας.

Scholiasta addit: *ἐν γὰρ τῇ εἰρήνῃ ἐξέπεμπον αὐτοὺς ἐργασομένους, ὡς ὑπὸ τῆς περὶ τὴν γεωπονίαν ἀσχολίας μὴ ἀνέτως, μηδὲ οὕτως ῥαδίως δύνασθαι καθεύδειν."* Sed hanc caussam semel tantum ab initio tetigit, quoniam, ut mihi videtur, in Daetalensibus, qua fabula eadem fere ratione recentem educationis rationem impugnaverat, fusius eam explicavit. Nunc igitur aliud sibi argumentum elegit et adolescentium doctores accusavit, eosque eorum vitia augere et e civitate eiiciendos esse contendit. Quae si vere disputata sunt, Socratis irrisionem non levem et exiguam, sed magnam et insignem comoediae esse partem intelligimus. Eum enim inter omnes, qui illa aetate iuventutem adultiorem edocebant, exagitandum sumpsit sibi et vel maxime illorum vitiorum adiutorem fautoremque appellavit.

XLII.

Iam praetervectus, ut mihi videor, scopulum, qui plurimos vexavit, audentiore animo ad sequentia accedo; speroque fore ut haec quoque feliciter superem. Ac primum quidem vi-

[64]) Arist. Nubb. 5—8.

deamus, qualem nobis illum virum, cuius sapientiamne plerique dubitant an morum sanctitatem magis admirentur, descripserit.

Aristophanis Socrates in sua domo scholam instituit, in qua iuvenes, si pecuniam aut nutrimenta afferunt, recipiuntur [65]). Praeceptor ut ipse sordidus homo est, ita eius discipuli immundo corporis habitu conspicui prodeunt [66]). Studia scholae sunt et inutilissima, et civitati perquam noxia. Nam physicae philosophiae amor effecit, ut contra deos impietas, et simul cum ea divinarum humanarumque legum contemptio hominum animos ingrederetur. Accedit, quod inania illa rerum abditarum studia iuvenes a foro recedere, in domibus includi, et contra mores Atheniensium iuvenilemque consuetudinem agere cogunt; quod a gymnasiis eos deterrent, et animi culturae nimis traditos a corporis laboribus deflectunt. His igitur de caussis adolescentium illud, quod diximus, vitium alitur augeturque, patrum et senum contemptio; quia et impietas in deos cum impietate in parentes coniuncta, et scientiae copia hominum animos ad superbiam contra eos, qui scientia carent, incitat. Accusat igitur Socratem, cum quod his studiis in cubiculo suo deditus est, tum quod ea iuvenes docet.

Adolescentium litigandi amor altera studiorum parte, nimio eloquentiae usu, excitatur. Socrates enim dicendi peritus, et persuadendi arte praeditus discipulos suos eadem arte imbuit. Duplici utitur dicendi genere, λόγῳ δικαίῳ et ἀδίκῳ, quibus quaecunque consilia assequi cupit, potest ad exitum ducere [67]). Iam quum ea eloquentia instructi iuvenes, quam in deos parentesque imbiberunt, impietatem defendant sibique laudi ducant, nihil est, quo eos a violandis sanctissimis legibus cohibeas; nihil, quo eos ad sobrietatem virtutemque revoces. Homines igitur, quos possunt, iniuste tractare, fallaciis circumvenire, coram iudicibus fallere suisque bonis privare cupiunt. Foedissima lucri cupido praeceptorem discipulosque cepit; Socrates paupertate sua seductus adeo furem sese praebet. Ceterum ipsum

---

[65]) Arist. Nubb. 93 et 98.
[66]) Id. ib. 102 seqq.
[67]) Id. ib. 112 seqq.

eloquentiae studium a gymnasiis iuvenes retinet, et ad linguae volubilitatem, non ad corporis pulchritudinem ducit.

Inter omnia Socratis crimina impietas in deos a civitate sancitos eminet, quacum reliqua omnia facile coniunguntur. In sua schola, ut nummos, non in usu esse deos praeceptor statim ab initio coram Strepsiade perhibet [68]). Aer, Aether, Nubes a Socrate invocantur [69]); Nubes, quas Socrates adesse iubet, comparent [70]),

μεγάλαι θεαὶ ἀνδράσιν ἀργοῖς·
αἵπερ γνώμην καὶ διάλεξιν καὶ νοῦν ἡμῖν παρέχουσιν
καὶ τερατείαν καὶ περίλεξιν καὶ κροῦσιν καὶ κατάλεξιν,

et disertis verbis reliquis diis omnibus praeferuntur [71]),

αὗται γάρ τοι μόναι εἰσὶ θεαί· τἄλλα δὲ πάντ' ἐστὶ φλύαρος,

ut unum tantummodo numen propter eloquentiae studium addi possit [72]),

ἄλλο τι δῆτ' οὐ νομιεῖς ἤδη θεὸν οὐδένα, πλὴν ἅπερ ἡμεῖς;
τὸ Χάος τουτὶ καὶ τὰς Νεφέλας καὶ τὴν Γλῶτταν, τρία ταυτί.


Propterea igitur dramatis in fine poenam subeunt, et a Strepsiade comburuntur [73]),

τί γὰρ μαθόντες τοὺς θεοὺς ὑβρίζετε,
καὶ τῆς Σελήνης ἐσκοπεῖσθε τὰς ἕδρας;
δίωκε, βάλλε, παῖε, πολλῶν οὕνεκα,
μάλιστα δ' εἰδὼς, τοὺς θεοὺς ὡς ἠδίκουν,

qui quidem versus memoratu sunt dignissimi, quoniam aperte physicam philosophiam accusant, neque quod antea finxerat poëta, ceteros deos a philosophis negari, contendunt.

---

68) Arist. Nubb. v. 247.
69) Id. ib. v. 264.
70) Id. ib. v. 316—318.
71) Id. ib. v. 365.
72) Id. ib. v. 423 seq.
73) Id. ib. v. 1506—1509.



Quodsi primum quae Aristophanes cecinit ita contemplamur, ut hominem, quem accusavit, mittamus, remque consideremus solam, sumus assensionem ei nostram praebere coacti. Nam Graeca religio ita comparata erat, ut qui physicae philosophiae operam dabant, multa irrita et vana ea contineri facile perspicerent. Ea igitur philosophia, tempore, quo omnes civitatis partes iam in summa corruptione erant, exorta adolescentibusque imperitis impertita multa mala gignere poterat. Qui autem de diis male sentiebant, et quae in eorum historia ficta et falsa essent intelligebant, morum corruptionem non minuebant, sed augebant. Ac falsae eloquentiae studium profecto malis adolescentibus magnam patres senioresque homines summis iniuriis afficiendi occasionem praebebat. Quam qui nacti erant, in multa mala civitatem coniiciebant.

Rem autem impugnatam vere in urbe versatam, ac summo iure propterea esse ab Aristophane exagitatam, plurima eaque verissima testimonia arguunt. Neque solum Socratem laedere, sed omnes eius similes doctores atque imprimis doctrinam ipsam proscindere voluit. Id vel me tacente intelligitur. Nam si unius hominis naturam describis ridesque et aliorum risui exponis, simul omnes, qui illius similes sunt, hostiliter aggrederis, quod non ipsi solum, sed omnes etiam spectatores sentient. Sed praeterea ad ipsius poëtae versus provocare possumus, quibus id luce solis clarius significavit. Nam Socratem haec dicentem inducit [74]):

οὐ γὰρ μὰ Δί' οἶσθ' ὁτιὴ πλείστους αὗται βόσκουσι σοφιστὰς,
Θουριομάντεις, ἰατροτέχνας, σφραγιδονυχαργοκομήτας,
κυκλίων τε χορῶν ᾀσματοκάμπτας, ἄνδρας μετεωροφένακας,
οὐδὲν δρῶντας βόσκουσ' ἀργοὺς, ὅτι ταύτας μουσοποιοῦσιν,

Nubiumque chorus cum Socrate alios coniungit Sophistas et nominatim Prodicum vexat [75]),

---

[74]) Arist. Nubb. 831—834.

[75]) Id. ib. 360—362.

οὐ γὰρ ἂν ἄλλῳ γ' ὑπακούσαιμεν τῶν νῦν μετεωροσοφιστῶν
πλὴν ἢ Προδίκῳ· τῷ μὲν σοφίας καὶ γνώμης οὕνεκα· σοὶ δὲ
ὅτι βρενθύει —.

Accusatos igitur ab Aristophane omnes Sophistas videmus; non solum Socratem proscissum. Quod si tenemus, poëtam vere iusteque omnia locutum esse, et quibus rebus salus civitatis vehementer impediatur ut vatem cecinisse intelligimus. In his enim in Sophistas coniectis criminationibus non cum omnibus solum omnium temporum sapientibus convenit, sed ab ipso Socrate non dissentit; qui eadem prorsus qua poëtam videmus via ingressus contra eos per totam vitam pugnavit. Pluribus autem verbis ea res non eget, utpote ab omnibus, qui sapiunt, probata.

Quae quum ita sint, ne id quidem nobis obscurum erit, quam ob caussam Socratem, quem eorum numero adscribebat, ex animi sententia nunc prae ceteris proscindendum sibi elegerit. Gorgiam enim, Protagoram, Prodicum, alios in Attica scena tangere quidem, sed non toto dramate ventilare poëtae licebat. Elegit igitur Socratem idcirco, quia inter omnes illius aetatis Sophistas solus erat Athenis natus, solus a iuventutis primo initio civis Atheniensis. Videmus igitur eum, si illis annumerabat Socratem, ne potuisse quidem aliter agere. Quanquam non negaverim, praeter hanc primariam caussam, singulas alias fuisse, quibus poëta fuerit inductus, imprimis quum ipse id dixisse videatur,

ὅτι βρενθύει τ' ἐν ταῖσιν ὁδοῖς καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλεις,
κἀνυπόδητος κακὰ πόλλ' ἀνέχει, κἀφ' ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖς.

Neque si „ridendi materiam ab eius forma atque figura captavit“ propterea Comicus merito reprehenditur, si modo non „solo adspectu eius risum commovere“ voluit[76]).

---

[76]) Reisig. praef. ad Nubb. p. VIII.

Aristophanis igitur in edenda Nubium fabula quale fuerit consilium, cognovimus. Adolescentium vitia est aggressus; eorumque originem a mutata liberorum educatione repetiit. Dein Sophistas accusavit, qui et rebus, quas doceant, suoque eas docendi genere et alerent et augerent. Summa igitur reprehensionis, ut par est, non ad adolescentes pertinet, neque ad adolescentium doctores, sed ad eam civium partem, quae antiquae disciplinae semina a patribus accepit, sua temeritate tamen ea abiecit, totiusque civitatis calamitates auxit et in posterum, nisi mores mutat, in immensum augebit. Doctores iuventutis nihil efficere potuissent, nisi parentes invitos iuvenes in disciplinam iis tradidissent; sunt tamen, quia sapientiae falsam speciem prae se ferentes fallunt Athenienses, quam maxime reprehendendi. Suadet igitur, ut quam primum invectos illos doctores e civitate eiiciant et omni modo iuventutis vitia cohibeant, suamque ipsi indolem mutent.

Haec contemplantibus nobis tota comoediae praestantia mentem oculosque tenet. Quascunque in poëtam propter eius compositionem coniectas reprehensiones scimus, eae omnes in irritum cadunt. Poëtae severitas, quam in comoediae fine praebet, cum summa argumenti gravitate aptissime convenit; neque post tanta crimina alia philosophis poena ferri poterat. Hoc autem minus propterea Aristophanem vituperabimus, quo magis perspicimus, aliam quoque ob caussam hunc esse dramati finem impositum. Hoc enim est illud, quod in Equitibus quoque contra Athenienses protulit. Malos enim illi sibi duces eligunt; electos autem et per tempus aliquod servatos, multis malis in civitate exortis perdunt malaque retinent; ut ipsi malorum non solum invexerint maximam partem, sed in reiiciendis occidendisque viris sibi ipsis opprobrium parent. Nihil aliud poëta significat, ubi ταχυβούλους, deinde μεταβούλους cives suos appellavit [77]).

Quae praeterea dicenda habeo, ab hoc loco aliena, alibi explanare tentabo. Id unum iterum iterumque inculcandum esse

---

77) Arist. Acharnn. 630 et 632.

credo, Socratem quia Atheniensis est eiusque figura comoediae aptissima, non quia summus et princeps fuerit Sophistarum, reliquis Sophistis missis, ab Aristophane esse irrisum.

XLIII.

Venio iam ad illam disputationis meae partem, qua de caussis agendum est, quae poëtam ut Socratem e Sophistarum numero non eximeret, induxerunt; quam vere mihi videor posse affirmare multum de difficultate sua amisisse. Etenim quoniam ostendimus, summum poëtae consilium iustissimum fuisse: hoc facilius, si aliqua in parte errantem deprehendimus, viro summo veniam dabimus. Sed eius errorem ita comparatum esse videbimus, ut nihil propterea neque de ingenii laude neque de morum sanctitate iure detrahatur.

Late disseminata est opinio, pro illorum temporum licentia nihil magni fuisse, si quis in scena traduceretur, quam equidem falsam et omni modo explodendam esse censeo. Civitatis libertas profecto alios mores produxerat quam qui nostra aetate vigent et nostro in civitatis statu feruntur. Libero ore quae sentiebant omnes, ac liberrime prae ceteris comici poëtae dicere solebant. At cur, quaeso, improbi homines largitionibus Comicorum reprehensiones a se avertere studuerunt?[78]) cur Cleo, Babyloniis doctis, vim comoediae infringere et delere voluit? cur Agyrrhius saepe a Comicis proscissus eodem consilio tractus fuisse traditur?[79]) Et ut de viris civitatem gerentibus taceam, cur Cratinus ab Aristophane paucis verbis reprehensus se ulcisci instituit?[80]) cur Socratici discipuli semper comoediae nostrae mentionem iniiciunt?[81]) cur toties ab hac comoedia rumores servatos per tantum temporis spatium dedu-

---

[78]) Arist. Vespp. 1026.

[79]) Id. Rann. 367, 368.

[80]) cfr. huius commentationis caput primum.

[81]) Reisig. praef. ad Nubb. p. XIV. Adde, quae ipse exposui Krit. Bibl. l. l. p. 446 seqq.

xerunt? His de caussis „nullam omnino iniuriam vel contumeliam gravem Socrati ab Aristophane fuisse illatam" equidem cum Carolo Reisigio minime dixerim [82]). Contra quoniam Platonis in Aristophanem scriptum epigramma splendidissimum legimus, convivioque festivissimo cum Socrate Aristophanem adhibitum videmus: coacti sumus ad credendum, Platonem quoque Aristophanis vera natura perspecta, splendido iustitiae morumque sanctitatis exemplo dato, erranti veniam dedisse. Idque ipsum nunc nobis propositum est, ut quam accuratissime id fieri licet, Platonis sententiam in nostro animo excitare, Platonisque modo poëtam defendere studeamus. Quod si, ut optamus, assequimur: ad veritatem non propius accessisse, sed vera ipsa repperisse omnibus videbimur. Id, age, experiamur.

Ac primum quidem Socratem suas ipsius partes egisse, nostra aetate nemo nescit. Dein ab initio vitae eius ratio studiorum eadem fuit, qualis posteriore aetate nobis cognoscitur [83]). Neque ab Anyto Aristophanes corruptus fuit. Id equidem non inde colligo [84]), quod tres atque viginti annos ante Socratis mortem fabula docta est; quae infelici successu edita ut differret accusationem virum illum movere poterat; sed poëtae virtute perspecta, pro certissimo habeo. Aristophanes igitur suam ipsius de Socrate sententiam pronuntiat; quam tamen non solus de eo concepit, sed ante eum multitudo Atheniensium veram esse crediderat.

Praeter Nubes fabulam Socrates aliis quoque in fabulis nominatim perstringitur. In Avibus [85]) enim haec legimus verba:

πρὶν μὲν γὰρ οἰκίσαι σε τήνδε τὴν πόλιν,
ἐλακωνομάνουν ἅπαντες ἄνθρωποι τότε,
ἐκόμων, ἐπείνων, ἐῤῥύπων, ἐσωκράτουν,
σκυτάλι᾽ ἐφόρουν· —

---

82) Reisig. praef. ad Nubb. p. IX.
83) Id. ib. p. XII—XIV.
84) Id enim plerique faciunt, Süvern über Arist. Wolken p. 19. Reisig. praef. p. VIII seq.
85) Arist. Avv. 1280—1283.

Plurimi autem, qui hunc locum tetigerunt, recte eam tenuerunt sententiam, ut nihil nisi vitae rationem Lacedaemoniorum et Socratis irrideri crederent; invito scholiasta, qui simul ad Lacedaemoniorum civitatis formam respici contendit („τῆς τῶν Λακώνων ἤρων πολιτείας"). Socratis certe commemoratio nonnisi ad eius vivendi morem pertinet. In eadem fabula enim iterum eadem ratione commemoratur[86]),

πρὸς δὲ τοῖς Σκιάποσιν λί-
μνη τις ἔστ', ἄλουτος οὗ
ψυχαγωγεῖ Σωκράτης·

ubi bene schol. „ἐπειδὴ λιτοί εἰσιν οἱ φιλόσοφοι καὶ ἄτροφοι — ἄλουτον δὲ εἶπε — καθὸ ἀλουτοῦντες καὶ ῥυποφοροῦντες ἐφιλοσόφουν οἱ περὶ τὸν Σωκράτη." Simul eodem in loco Chaerephontis meminit[87]), eius socii,

Χαιρεφῶν ἡ νυκτερίς,

quam loquendi rationem praeclare explicat scholiasta „ἐπεὶ οὔτε νυκτερὶς ἡμέρας οὔτε οἱ φιλόσοφοι φαίνονται· καταδεδυκότες γὰρ φιλοσοφοῦσι." Tertius locus, isque celeberrimus, est in Ranis[88]), quibus Aeschylus et Euripides, quorum ab altero remotus, alterius familiaris fuerit, inter se comparantur. De Aeschylo igitur, quem ab inferis revocat, ait:

μακάριός γ' ἀνὴρ ἔχων
ξύνεσιν ἠκριβωμένην

eumque „διὰ τὸ συνετὸς εἶναι" bono civium, cognatorum, amicorumque ad superos redeuntem praedicat. His opponuntur de Euripide dicta

χαρίεν οὖν μὴ Σωκράτει
παρακαθήμενον λαλεῖν

---

86) Arist. Avv. 1553. Ibi primus C. Reisigius veram interpunctionem reduxit. In scholiastae adnotatione verba, quae contrariam interpretandi rationem admittunt, „τὴν λίμνην" omisi, quia aperte falsa ab inepto homine addita bonae adnotationi et admista videntur.

87) Id. ib. 1565, cfr. Süvern, über Aristoph. Wolken p. 69 seq.

88) Id. ib. Ran. 1482—1499.

et in fine carminis

τὸ δ' ἐπὶ σεμνοῖσιν λόγοισι
καὶ σκαραφισμοῖσι λήρων
διατριβὴν ἀργὸν ποιεῖσθαι,
παραφρονοῦντος ἀνδρός·

quibus garrulitatem, grandiloquos sermones et quisquilias nugarum utriusque Aeschyleae prudentiae confert, insanientemque Euripidem Aeschylum sapientem vocavit. In his quoque aptum scholium consulimus: „*σκαριφεύειν γὰρ τὸ τοὺς ζωγράφους ὑποτυπῶσαι πρῶτον τοὺς γραφομένους καὶ σκαριφήσεσθαι ἐπὶ τοῦ ἐπισεσυρμένως τε ποιεῖν καὶ μὴ κατὰ τὴν προσήκουσαν ἀκρίβειαν σκιαγραφεῖν· εἰσὶ δὲ καὶ οἱ φιλόσοφοι λόγοι ὥσπερ σκιαὶ καὶ αἰνίγματα διὰ τὸ ἀερῶδες αὐτῶν καὶ λεπτόν.*"

Quae omnia si componimus, immundum corporis habitum, studia civitati inutilia, quae hominem enervent et dies noctesque in domo detinentes ab utilissimis negotiis prohibeant; garrulitatem, verae prudentiae inopiam, aliaque Socrati exprobravit; quibuscum quae in Nubibus dicuntur, arctissime cohaerent.

Nulla tamen alia sententia ferebatur illa aetate Atheniensium multitudo. Nam primum in Platonis Apologia, qua tota accusatio eiusque caussae exponuntur, Socrates aperte Aristophanem nominat non ut fontem eius originemque, sed ut ex iisdem in se coniectis criminationibus exortam, quibus a multitudine laceratus sit, et testimonii caussa, ex quo suorum verborum veritatem cognoscant. Deinde iisdem diebus idem vir est ab Amipsia in Sophistarum choro productus et a Cratino, ut suspicor, irrisus. Quorum posterior nisi falso auguratus sum, eum pauperem nominavit, et simul cum Callia, Hipponici filio, aut in scenam prodire iussit, aut certe reprehendit; prior autem non pauperem solum, sed etiam famelicum philosophorum pallio indutum Atheniensibus ostendit; neque veritus est, eum, ut Aristophanes, *ἀνδρῶν βέλτιστον* et *ματαιότατον* simul appellare. Tum Socratem ab initio philosophi nomen sibi imposuisse et hoc modo ea omnia, quae philosophis apud Athenienses obiici solebant, in se vertisse, probabile est. Denique non obscure idem ipse poëta significat, qui Socratis famam, quam

apud Athenienses obtinebat, ipse describit. Plura addere longum est et inutile.

XLIV.

Magnam inter ea crimina, quorum Aristophanes Socratem accusavit, et ea, ob quae morte mulctatus est philosophus, esse similitudinem, nemo infitiatur. Quare si de veritate sententiae Aristophanis sermo instituitur, cave ne obliviscaris, alteram simul agi quaestionem, utrum iuste an iniuste Athenienses virum eximium occiderint. Summa igitur cautione opus est. Neque quisquam est, quin temere statuat, Nubium fabulam nihil ad philosophi mortem contulisse [89]). Socratis enim in Apologia, quam a Platone confectam manibus nostris terimus, et cuius fidem et auctoritatem elevare insanum esset, disertis id verbis expressum legitur [90]): „καὶ τοῦτ' ἔστιν, ὃ ἐμὲ αἱρήσει, ἐάνπερ αἱρῇ, οὐ Μέλιτος οὐδὲ Ἄνυτος, ἀλλ' ἡ τῶν πολλῶν διαβολή τε καὶ φθόνος." Nam si Aristophanes non ipse invidia tractus fuit, quod necessario censendum esse sumimus, magnam tamen invidiosis hominibus insidiandi materiam praebuit.

De Aristophanis igitur comoedia Plato ita loquitur [91]): „τοιαύτη τίς ἐστι (sc. ἡ διαβολή)· τοιαῦτα γὰρ ἑωρᾶτε καὶ αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀριστοφάνους κωμῳδίᾳ, Σωκράτην τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον, φάσκοντά τε ἀεροβατεῖν καὶ ἄλλην πολλὴν φλυαρίαν φλυαροῦντα· ὧν ἐγὼ οὐδὲν οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν πέρι ἐπαΐω." Quare aut Plato mendacia dixit, aut Aristophanes falsa in Socratem crimina coniecit. Ut autem universe omnium dictorum veritatem negavit, ita singulatim plurima redarguit.

---

89) cfr. Rueckert. ad Plat. Sympos. p. 278 „manebit et illud fortasse, valuisse hanc fabulam aliquid ad excitandam philosopho eam invidiam, qua postea accusatores nactus, oppressus est."

90) Plat. Apol. p. 28. Idem alibi p. 17 „ταύτην τὴν φήμην κατασκεδάσαντες, οἱ δεινοί εἰσί μου κατήγοροι."

91) Id. ib. p. 19.

De eloquentiae suae vi contra Melitum dicit[92]): „ἐπειδὰν μηδ' ὁπωστιοῦν φαίνωμαι δεινὸς λέγειν, τοῦτό μοι ἔδοξεν αὐτῶν ἀναισχυντότατον εἶναι.“ De mercede accepta et de schola sua[93]): „οὐδέ γ' εἴ τινος ἀκηκόατε, ὡς ἐγὼ παιδεύειν ἐπιχειρῶ ἀνθρώπους καὶ χρήματα πράττομαι, οὐδὲ τοῦτο ἀληθές“ et alio loco[94]) „νῦν δὴ ὁρᾶτε καὶ αὐτοί, ὅτι οἱ κατήγοροι τἆλλα πάντα οὕτως ἀναισχύντως κατηγοροῦντες, τοῦτό γε οὐχ οἷοί τ' ἐγένοντο ἀπαναισχυντῆσαι, παρασχόμενοι μάρτυρα, ὥς ἐγώ ποτέ τινα ἢ ἐπραξάμην μισθὸν ἢ ᾔτησα.“ Nunquam se privatim aliquem aliquid docuisse affirmat[95]) „εἰ δέ τίς φησι παρ' ἐμοῦ πώποτε ἢ μαθεῖν ἢ ἀκοῦσαι ἰδίᾳ, ὅτι μὴ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες, εὖ ἴστε ὅτι οὐκ ἀληθῆ λέγει.“ Haec autem omnia, quum nemo neque negare possit, neque audeat, quare plura faciam verba? Totius antiquitatis fama vitae innocentiam et Platonis et Socratis celebrat; quis est, qui eam convellere conetur neque in iustam summae temeritatis reprehensionem incurrat?

Ubi de accusatorum suorum copia coram iudicibus Socrates exponit, haec legimus eius verba[96]): „ὅσοι δὲ φθόνῳ καὶ διαβολῇ χρώμενοι ὑμᾶς ἀνέπειθον, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ πεπεισμένοι ἄλλους πείθοντες οὗτοι πάντες ἀπορώτατοί εἰσιν.“ Itaque aut invidiosis eum hominibus adiungere, qui quod verum esse non credebant, id suis sermonibus propagare conabantur: aut accensere illis cogimur, qui aliorum voce audita, de calumniarum veritate non dubitabant. Ac bene actum foret, si quid ipse philosophus de ea quaestione senserit, sciremus. Atque in Apologia Platonis bis comoedia ita commemoratur[97]), ut nihil certi inde elicere queas; quanquam e loquendi ratione magis posterior, quam prior sententia confirmatur. Sed quae praeterea a

---

[92]) Plat. Apol. p. 17.
[93]) Id. ib. p. 19.
[94]) Id. ib. p. 22.
[95]) Id. ib. p. 33.
[96]) Id. ib. p. 17.
[97]) Adde loco antea commemorato p. 17 „εἴ τις κωμῳδιοποιὸς τυγχάνει ὤν.“

Platone de Aristophane dicta sunt, ea omnia posteriorem sententiam omni modo veriorem esse ostendunt; de quibus in secundo huius commentationis capite locutus sum.

At his explanandis non necessarium est plus operae adhibere, quoniam alia adest via, quam nobis ipsa illa Socratis vestigia prementibus multo maiore confidentia inire licet. Tota enim vivendi ratio Socratis ita comparata erat, ut vel prudentissimum fallere et in eam opinionem trahere posset. Nam quanquam neque eloquentiam neque physicam philosophiam se neque callere, neque docuisse, iterum iterumque affirmat: tamen quomodo in eas criminationes facillime incideret, intelligimus. Alteram enim semper exercere videbatur, qui omnes Sophistas et homines insignes redarguere posset [98]): hanc autem non magni faciebat quidem, quia quae hactenus physici enucleaverant, irrita et vana erant, sed non contemnebat. Audi ipsum. Posteaquam Aristophanis accusationem paucis verbis complexus falsam esse dixit, statim addit [99]) „καὶ οὐχ ὡς ἀτιμάζων λέγω τὴν τοιαύτην ἐπιστήμην, εἴ τις περὶ τῶν τοιούτων σοφός ἐστι, μήπως ἐγὼ ὑπὸ Μελίτου τοσαύτας δίκας φεύγοιμι· ἀλλὰ γάρ μοι τῶν τοιούτων οὐδὲν μέτεστι." Deinde sese litteras non docuisse contendit, et adiicit „ἐπεὶ καὶ τοῦτό γέ μοι δοκεῖ καλὸν εἶναι, εἴτις οἷός τ' εἴη παιδεύειν ἀνθρώπους." Eodemque modo aliis quoque in locis loquitur. Neque explicari posset, quo tandem modo ex ipsius disciplina prodierint, qui physicae philosophiae operam dederunt [100]). Propterea Anaxagorae, Archelai, Heracliti, Prodici aut libros legit aut scholas frequentavit, sed re perspecta omnium operam vanam esse iudicavit [1]). Ea

---

98) Credo tamen plerosque ut Aristophanem defenderent, nimis multa Socratis reprehensoribus concessisse. Vera eius esse verba „ἀκούσεσθε εἰκῇ λεγόμενα τοῖς ἐπιτυχοῦσιν ὀνόμασι" Apol. p. 17 tenendum est. Recte cogitata simpliciter eloqui voluit. cfr. Dionys. de Demosth. p. 956 et 968.

99) Plat. Apol. p. 19.

100) Imprimis adire iuvabit Schleiermacheri, Viri vere eximii, praeclaram disputationem „über den Werth des Socrates als Philosophen", quae legitur in: Abhandl. der Berl. Akademie, Philos. Classe, p. 50—68.

1) Reisig. praef. ad Nubb. p. XII.

igitur omnia, quae quoniam a multis explicata video breviter tango tantummodo, ostendunt, quomodo error oriri possit. Sed accedit aliud idque omnium firmissimum argumentum.

Notum est omnibus, ad invidiam in Socratem incitandam imprimis nonnullos eius amicos et socios sua contulisse[2]). Idem iam ab initio interdum sibi evenisse, Socrates ipse non negat[3]). „ἐντεῦθεν οὖν οἱ ὑπ' αὐτῶν ἐξεταζόμενοι ἐμοὶ ὀργίζονται, οὐχ αὐτοῖς· καὶ λέγουσιν ὡς Σωκράτης τίς ἐστι μιαρώτατος" cett. In eorum igitur numero quum permulti fuerint, quos ab aliis nominatos habemus; ad neminem tamen maiore hic iure provocatur, quam ad Euripidem. Quem ubi nomino, redit mihi tristitia de Caroli Reisigii morte concepta, cuius in hac quaestione magna laus fuit et magna gloria. Quanquam enim non omnia probare meo iudicio possum, quae invenisse ille sibi visus erat: tamen in erroribus quoque viri ingenii eius apparet acies.

Carolus Reisigius quum primum Coniectaneorum ederet librum, quo de criticis potissimum metricisque rebus suas rationes exposuerat: se non solum singulari linguae Graecae cognitione affluere, seque Aristophaneae orationis peritissimum esse ostendit, sed simul totius se scriptoris mentem animumque summa diligentia detegere et aperire studuisse docuit. Iam tum igitur se viri defensorem contra criminationes propter Nubes in eum coniectas exstiturum esse significavit[4]). Huic promisso suo ita stetit in praefatione ad Nubes scripta, ut quaecunque protulit, sint aut verissime aut verisimiliter dicta. A Suevernio autem, viro clarissimo, aliisque impugnatus suam sententiam defendit; quae abiicienda esse videbat, abiecit; et quae firmanda, firmavit[5]). Hinc Socratis cum Euripide coniunctionem prae ceteris effecisse, ut Aristophanes a veritate aberraret,

---

[2]) cfr. Xenoph. Memorab. I, 2, 12. Aesch. contr. Timarch. p. 306. Lactant. III, 19.

[3]) Plat. Apol. p. 23.

[4]) Reis. Coniect. Praef. p. VI.

[5]) In Rhenano Museo l. l.

physicaeque philosophiae et malae eloquentiae studium ei exprobraret, quae est eius disputationis sententia primaria, nemo erit, qui negare aut refutare audeat.

Memoratu dignum mihi videtur esse, quod eadem coniunctio utriusque viri iam aliis ante Reisigium in mentem venit. Car. Aug. Boettigerus, V. C., in libello eximio „Aristophanes impunitus deorum gentilium irrisor" inscripto duobus locis eam rem tetigit. „Notissimum est" ait [6]), „poëtam nostrum ut invidiam faceret Socrati, in famosa illa fabula, qua acerbissime illum exagitavit, finxisse, Socratem, spretis diis patriis, adorare Chaos, aërem, nubes. Chorus ipse conflatus est e Nubibus, quae cum ex more hymnos canant in deos, impia passim dicta effutiunt in deos; v. 568 invocantes inducuntur patrem suum Aethera, — *μεγαλώνυμον ἡμέτερον πατέρ' Αἰθέρα σεμνότατον. Sentiebant Athenienses, qui haec audirent, cum Socrate irrideri hic Euripidem, quippe quem vocabulum σεμνὸν fere ubique iungere in fabulis suis τῷ αἰθέρι non nesciebant.*" In nota addit „hinc intelligitur etiam, quam acerbe Euripidem Socratis sectatorem et amicum ut *ἄθεον* perstrinxerit noster in Thesmophoriazusis." Praeterea alio quodam [7]) loco suam sententiam explicat. „Nimirum infensus erat Euripidi ob insignem, quo Socrates Euripidem complexus ferebatur, favorem." Boettigeri igitur opinionem si cum Reisigii effatis componimus, utrique assentiri debemus. Euripides enim et Socrates inter se amicissimi et coniunctissimi propter sententias, quibus ferri videbantur, ab Aristophane vehementer sunt impugnati, ut Socrates Euripidi, Euripides Socrati eas criminationes excitaret.

Euripidem maximi factum esse ab Socrate, certissimis testimoniis a viris doctissimis probatum est [8]). Eius enim carmina multa continent, quae ad morum doctrinam pertinent;

---

[6]) Bött. Aristoph. p. 27.
[7]) Id. ib. p. 20.
[8]) Reisig. praef. ad Nubb. p. XIV seqq. Süvern, über Aristoph. Wolken p. 58.

multa, quae Socrates, homines emendare et corrigere exoptans, laudabat magnique aestimabat. Sed praeterea quoniam is Anaxagorae fuerat discipulus, multa ex physica philosophia admiscuit, a tragoediae natura aliena et Socrati ipsi invisa. Aristophanes autem Socratem omnia ea probare credebat; quae e vitae ratione colligi poterant, addebat, et ita in eundem incidebat errorem, in quem tam multos omnibus temporibus incurrisse scimus, ut certos fontes, e quibus vera rei cognitio hauritur, negligant, eosque adeant, qui mancam et imperfectam scientiam praebent. Id quam parum reprehendi possit, nemo non videt. Hinc factum esse, ut nulla in Socratem iactata sit criminatio, quae non simul tetigerit Euripidem; nulla in Euripidem, quam non de Socrate quoque dictam reperimus. Viros coniunctos iisdemque, ut putabat, studiis deditos, eadem semper ratione oppugnavit.

Qua in re quum Carolo Reisigio assensionem praebere cogar: alia tamen eius reperta meo quidem iudicio minus probo. Nam si dicit „eum oportuit adesse, medius fidius, fere *παρακαθήμενον Σωκράτει*, ut auctor voluit in Ranis et in scena conspici“, huius rei necessitatem non perspicio. Immo multa adsunt, quae quo minus eum in scena visum esse sumamus, impediunt. Ut unum tantummodo commemorem, tanta est Euripidis auctoritas, ut si utrumque coniungere voluisset, haud dubie Chaerephontem ei non praetulisset; quem tamen statim ab initio solum cum Socrate coniunxit [10]). Tota igitur Reisigii ratio audacior et subtilior mihi videtur esse, quam verior. Neque me movet Pollucis locus, quo suam caussam firmari credebat. Audi enim, quo modo illam difficultatem solvere studuerim. Vere mihi Reisigius perspexisse videtur, Pollucem diligenter locutum et utramque vocem „*πέτευρον*“ et „*κρεμάθρα*“ in Nubibus repertam esse. Sunt enim haec eius verba [11]) „*Πέτευρον δὲ, οὗ τὰς ἐνοικιδίας ὄρνιθας ἐγκαθεύδειν συμβέβηκεν,*

---

[9]) Reisig. praef. in Nubb. p. XX.

[10]) Arist. Nubb. v. 104.

[11]) Polluc. X, 56.

Ἀριστοφάνης λέγει, ὥσπερ καὶ κρεμάστραν ἐν ταῖς Νεφέλαις." Sed illud „πέτευρον" nostris in Nubibus legi existimo, quanquam mutilátum èt corruptum; nisi forte in Pollucis codicibus aliter scribendum est. Strepsiades quum e Socrate quaesivisset, quare in aëre versaretur, Socrates respondet [12])

ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον.

Quae quum, ut solet, homo rusticus non intelligat, pervertit hoc fere modo,

ἔπειτ' ἀπὸ ταῤῥοῦ τοὺς θεοὺς ὑπερφρονεῖς.

Mutatione facillima — ac nescio an commodiorem ea efficiat sententiam — scribere possumus

εἶτ' ἀπὸ πετεύρου τοὺς θεοὺς ὑπερφρονεῖς.

Nam memorabilis est scholiastae adnotatio, quam ipsam Suidas exhibet, „ταῤῥός μετέωρόν τι ξύλον, ἐφ' ᾧ ἀλεκτορίδες κοιμῶνται." Hac igitur ductus, scholiastam et Pollucem de eodem omnino instrumento, sive id ταῤῥός, sive πέτευρον fuerit, loqui voluisse conieci. Fortasse in posterum haec coniectura melioribus codicibus firmatur.

Quodsi igitur eam rationem, qua Reisigius Euripidem in comoediam intulit, minus aptam esse censemus: alia tamen via fortasse, id quod voluit, assequi licet. Erat Suevernii coniectura, λόγον ἄδικον et δίκαιον noti Atheniensibus hominis cuiusdam personam tulisse. Infeliciter tamen ille ad Thrasymachum et Aristidem provocavit [13]), quo nulla certa testimonia ducunt. Legenti mihi sermones, quos λόγοι habent, saepe nata est coniectura, Euripidem potuisse iniustae orationis personam esse. Quaecunque enim dicuntur, ea omnia hoc modo intellecta commodam praebent sententiam. Ac nonne aptissimum foret, si ita Euripidem ut Socratis ministrum in scenam induxisset, quem suis in tragoediis Socratica dogmata docere credebat. Ab Euripide autem ad Aeschylum trahitur animus; quocum praeclare convenit chori allocutio [14])

---

[12]) Arist. Nubb. 225 seq.
[13]) De ea re disputavi in critica Seebodii bibliotheca l. l.
[14]) Ar. Nubb. 1025.

σὺ καλλίπυργον σοφίαν
κλεινοτάτην ἐπασκῶν.

Sed nihil affirmare audeo. In his enim rebus, ne in errores incidas, maxima cautio adhibenda est.

Revertimur ad institutum nostrum. Quoniam enim certum est nullique dubitationi obnoxium, Euripidem Socratemque amicos et socios fuisse; eosdemque viros simillimo modo ab Aristophane irrisos videmus: vix credo quenquam nimis incertam vocaturum esse hanc, quam proposuimus, a Reisigio primum accuratius expositam coniecturam.

(Ne moles primi voluminis nimis crescat, huius commentationis partem alteram alteri volumini adiungere decrevimus.)

QUAESTIONES DE PLUTI AETATE ET INDOLE.

Cap. I.

Aristophanis Plutus superstes quo consilio edita sit?

Saepe mirabar, tot viros, quos e maxime raro criticorum genere iudicare debeo, quum de Pluto, etsi passim et parcius, quam de reliquis fabulis agerent, quasi non digna esset, cuius indoles diligentius exploraretur, ad unum omnes opinione duci, quam ne veterum quidem comprobavit consensio. Neque ab illis admodum differt Fr. Ritterus [1]), qui nuper primus, quae ad Plutum pertinent, altius repetita docte et diligenter disposuit. Is enim ut recte vidit, Plutum, quam habemus, esse posteriorem, ita in ceteris a recto aberravit, opinatus hanc esse mediae comoediae annumerandam, quae eiusmodi tantum vitia castigasset, quibus omnium fere temporum multi populi obstricti essent. In Pluto posteriore, quippe quae sola nobis relicta sit, rem aliter se habere, nunc mihi docendum est.

Multi Aristophanis fabulas adierunt, quasi ipsi Athenienses essent, qui, quidquid audirent, et ad quem finem et quo sensu dictum sit, nullo negotio intelligerent. Secus est. Nimirum

---

[1]) Dissertatio de Aristophanis Pluto, scripsit Franciscus Ritter. Bonnae 1828. — Quam disputationem, simulac mihi innotuit, ad me perferendam curavi veritus, ne, quum eadem tractasset, antevertisset. Quanquam vero in plurimis ab eo dissentio, cum voluptate tamen fateor, eam quaestionis partem, quae est de Pluto posteriore, non solum meam sententiam confirmasse, sed etiam quaedam, quae me fugerant, suppeditasse.

nos ab aevo, quo fabula acta est, remotiores, quae rerum tunc temporis gestarum forma, caussae, nexus et fines fuerint, explorare ante oportet, quam, quid in singulis poëta sibi voluerit, scire possumus; idque eo difficilius est, quo subtilius saepe verum consilium praetexuit figmentis lepidis et coloribus alienis, ut, et poëtae et morum magistri munere functus, non solum prodesset, sed etiam delectaret. Quo factum est, ut Plutus, qui Chremyli cura visum recepisse fingitur, multis adhuc coecus esset, nec tanti fieret, quanti faciendus fuit [2]), quamvis vir celeberrimus G. Suevern [3]) viam ingeniose muniverit, qua aditum ad penetralia poeseos Aristophaneae occupare possimus. Interim viros illos, qui de Pluti ingenio et indole egerunt, excusari posse arbitror, quod aetas, qua Plutus posterior docebatur, minus accurate nobis descripta est, quam, quae huic antecessit proxime, rebus praeclare gestis et viris illustribus celeberrima.

Auctore hypotheseos Pluti praecinente [4]) hodie usque canunt, Aristophanem in Pluto *Athenienses malis artibus locupletatos castigasse*, sive [5]), quod ad idem fere redit, *omnem vim comicam in insanam Atheniensium ditescendi cupiditatem cadere.* Ut hoc secundarium poëtae fuit consilium, ita miror, verum ac proprium non perceptum esse, quod Ritterus V. D. [6]) tangere iam prope erat.

---

[2]) F. A. Wolfius, ingeniosissimus Aristophanis interpres, in Praefat. ad Nubb. versionem hoc fert iudicium: *Im Plutus spricht sich nicht zur Hälfte seiner Kraftfülle der eigenthümliche Geist des Dichters aus; es sei nun, dass ihm damals höheres Alter, oder eine strengere Theatercensur beschränkte, oder dass der Plutus uns in einer allumgezüchtigten Bearbeitung übrig blieb, oder dass Aristophanes an derselben gar weniger Antheil hatte, als einer von seinen Söhnen, der frostige Araros, unter dessen Namen, wie erzählt wird, die spätere Aufführung geschah.* In his quidem quatuor errores manifestos inesse, hoc caput et alterum docebit. De extremo errore confer notam 22. ad cap. II.

[3]) In praelect. de Nubb. et Avv.

[4]) *βουλόμενος Ἀριστοφάνης σκῶψαι τοὺς Ἀθηναίους ἀδικίᾳ καὶ συκοφαντίᾳ καὶ τοῖς τοιούτοις συνόντας καὶ διὰ τοῦτο πλουτοῦντας, πλάττει πρεσβύτην τινά κ. λ.*

[5]) Ritter l. l. p. 5. Simile quid opinatur in Pluto tractari Manso, Nachträge zu Sulzers Theorie d. schön. Künste, Th. VII.

[6]) l. l. p. 6.

Idque eo magis mirari debes, quum Thomas Mag. in hypothesi Ranarum multo dignius tulisset de Pluto iudicium. Ceteris enim fabulis positis, quae cum Nubibus et Ranis omnium nobilissimis comparetur, solam Plutum dignam habet haec addens: *ὡς ἐν τῷ δράματι Πλούτου τῷ τότε τῶν Ἀθηνῶν ἄρχοντι ὁπωσδήποτε χαριζόμενος, τότε τὸν Πλοῦτον ἀναβλέψαι φησὶ καὶ πλουτῆσαι τοὺς ἀγαθούς.* et paullo post: *ὡς οὖν τὸ δρᾶμα τοῦ Πλούτου ὑπὲρ τοῦ τότε ἄρχοντος Ἀθηνῶν ἀσυμφανῶς ξυνετάξατο.* At interpretes recentiores adeo incogitantes fuerunt, ut non interrogarent, quare Plutus antea coecus tunc temporis visum recepisse a poëta fingeretur. Sed quid haec sibi velint, si me secutus fueris altius rem quaesiturum, facile senties.

Etenim quum in confessis sit, Aristophanem in fabulis componendis altius et dignius consilium exsecutum esse [7]), ut non solum hominum privatorum vitia insectaretur, sed etiam magistratus corrigeret et reipublicae civiumque saluti consuleret, aliquid simile sibi proposuisse, quum Plutum faceret, per se iam credibile est. Iam si alicubi Aristophanes Graecitatis et morum magister, vitiorum et perniciei publicae exactor, *ἀλεξίκακος τῆς πατρίδος καθαρτής*, quem se esse ipse diserte dicit (Vespp. 1030), is apparet in Pluto.

Thucydides [8]) egregie significavit, Graecam nationem ingenio et moribus multifarie diversam in duas partes primarias dividi posse ubivis sibi adversarias, Iones et Dores, qui cum in bello Peloponnesiaco, tum hoc finito magis magisque sibi adversabantur, et non solum vitam et mores maiorum, sed etiam civitatum formas mutarunt. Recentiores hanc Graecae nationis diversitatem nomine *Ionismi* et *Dorismi* signarunt, illi Athenas, huic Spartam sedem tribuentes. Spartani si Atheniensibus comparantur, sunt severi, duri, simplices et paucorum dominatus cultores; Athenienses contra leves, inconstantes, hilares, mobiles, reipublicae et libertatis amantissimi. Eaque varietas ita in utriusque gentis ingenio posita est, ut etiam vita, mores, artes, poësis, architectura, adeoque victus et vestitus

---

[7]) Suevern, de Nubb. p. 20, 25 et al.
[8]) lib. II, c. 37.

pariter differrent. Bello Peloponnesiaco confecto utriusque gentis partes omnem Graeciam vexabant, nec facile urbs inveniri potuit, quae non tumultu ab illis excitato perturbaretur. Imperium tyrannorum crudele et triste diu lugebant Athenienses[9]), nec fautores Spartanorum (*Λακωνίζοντες* Xen. Hist. Graec.), quibus omnes Graeciae urbes refertae erant, desierunt seditionibus perpetuis patrios mores convertere, ut, quanto odio civibus bonis fuerint Lacedaemonii, vix dici possit[10]). Quo tempore Aristophanes patriae amans et morum peregrinorum osor acerrimus quum, quae scribere voluisset, vetaretur, nihil omnino fabularum condidit. Nam lege Lamachi[11]), qui erat de trigintaviris, Ol. XCIV, 1 (= 404 a. Ch. n.) denuo vetitum est, ut ne quis Comicorum de rebus publicis mentionem faceret in scena, neve homines nominatim castigaret. Exactis tandem tyrannis et antiqua reipublicae forma ac libertate per Thrasybulum et exules feliciter recuperata, quum boni (etiamtunc enim multi Lacedaemoniis favere pergebant) liberatorum famam celebrarent et laetarentur de nova libertate, de muris et classibus refectis[12]), tunc demum Aristophanes ad pristinam consuetudinem vitia reipublicae insectandi et corrigendi rediit. Nam cum ceteris trigintavirorum institutis etiam Lamachi legem aut antiquatam esse, aut sua sponte abolevisse, fabula, quae inscribitur Ecclesiazusae, certissimo documento est. Ecclesiazusas legi isti, cuiuscunque fuit, totas adversari, inter omnes

---

9) Lysias Epitaph. *ὥστ' ἄξιον ἦν ἐπὶ τῷδε τῷ τάφῳ* (ubi sepulti erant, qui Thrasybulo duce Atheniensibus libertatem vindicaverant.) *τότε κείρασθαι τῇ Ἑλλάδι καὶ πενθῆσαι τοὺς ἐνθάδε κειμένους, ὡς ξυγκαταθαπτομένης τῆς αὐτῶν ἐλευθερίας τῇ τούτων ἀρετῇ.*

10) Xenoph. Hist. Gr. p. 295 ed. Steph. *τίς γὰρ ἤδη αὐτοῖς (Λακεδαιμονίοις) καταλείπεται εὐμενής; οὐκ Ἀργεῖοι μὲν ἀεί ποτε δυσμενεῖς αὐτοῖς ὑπάρχουσιν; ἀντὶ γὰρ ἐλευθερίας διπλῆν αὐτοῖς δουλείαν παρεσχήκασιν κ. λ.*

11) cfr. Schoell, Gesch. der Griech. Lit. übers. von Schwarze. Berlin 1828. B. I, p. 293. Ritter. dissert. de Pluto p. 34 sq. qui copiose docet, nullam legem tempore Pluti posterioris Comicis inimicam fuisse.

12) Lysias l. l. *καὶ γάρ τοι καὶ μεγάλην ἀντὶ μικρᾶς ἀπέδειξαν τὴν πόλιν, ὁμονοοῦσαν δὲ ἀντὶ στασιαζούσης ἀπέφηναν, τείχη δὲ ἀντὶ τῶν καθῃρημένων ἀνέστησαν. ἐκεῖνοι μὲν οὖν διὰ τοὺς ἐν Πειραιεῖ κινδύνους ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων ζηλοῦνται.*

constat[13]); impugnant enim cum rempublicam Platonicam, tum rerum novarum studiosos, nec minus, quam priores fabulae, refertae sunt irrisionibus hominum illius aevi, ut Agyrrhii, Neoclidis, Aristylli, de quibus, quum in Pluto quoque irrisi sint, occasio dicendi se nobis offeret in capite altero.

Athenienses vero quamvis liberati essent et ad maiorum instituta revocati, multi tamen superfuerunt, qui, dum aut servituti iam adsuefacti, aut lucri caussa Lacedaemoniis faverent, quid reipublicae commodo esset, non curabant[14]). Ceterarum urbium cives pariter animati. Iam has Atheniensium insidias ut coërceret et cives ad meliores mores reduceret, composuit Aristophanes Ecclesiazusas et denuo edendam curavit Plutum. Atque nunc eo perducta est disputatio, ut, quid de consilio, quo Plutus edita sit, sentiam, libere effari mihi liceat.

Aristophanes Plutum, quam habemus, eo consilio docuit, ut, quum sibi persuasum haberet, gloriam ac potentiam Atheniensium reviviscere non posse, nec stare, nisi civitas omnium rerum abundantia gauderet et cives mores patrios custodirent, hos a rerum novarum studio, quo capti multi Lacedaemonios sequebantur, et ab affectatione morum Spartanorum sive, ut uno verbo dicam, a Dorismo revocaret[15]).

Videamus nunc singula.

Ac primum omnium quis est, quin viderit, in Pluto duo illa, quae sibi repugnent opposita, *paupertatis sordes* esse et

---

[13]) et nuper monuit Ritter l. l. p. 34 seq.

[14]) Testes sunt Lysias l. l. τῆς μὲν αὐτῶν ἐλευθερίας καὶ τοῖς βουλομένοις δουλεύειν μετέδοσαν. Isocrates Areopag. c. 25 p. 150 ed. Cor. καὶ τὴν ἡμετέραν πολιτείαν, ᾗ πάντες ἐπιτιμῶσιν, ἣν παραβάλωμεν αὐτήν, μὴ πρὸς τὴν ὑπ' ἐμοῦ ῥηθεῖσαν, ἀλλὰ πρὸς τὴν ἐπὶ τῶν τριάκοντα καταστᾶσαν, οὐδεὶς ὅς τις οὐκ ἂν θεοποίητον εἶναι νομίσειεν. coll. c. 27. Aristoph. Ecclesiaz. 790 sq. (ed. Dind.). Xenoph. Histor. Graec. lib. III sq.

[15]) Extremum hoc Plutus commune habet cum Ecclesiazusis, atque simili consilio Nicocharem Lacones docuisse, quum una cum Aristophane de palma certaret, verisimile est. Ecclesiazusae imprimis spectant ad partes istius aevi seditiosas, cf. v. 829 sq. 841 sq. 806, ubi homo introducitur, qui neque vim magistratuum nec leges timet, qui plebiscita vituperat et civitati aliquid offerendum negat; nihilominus, quia reipublicae sic visum sit, parendum esse dicit, simulatque audivit, secundum plebiscitum sumtu publico coenam civibus parari.

divitiarum splendorem h. e. *Spartam* et *Athenas*; ut Penia recte glorietur se esse virorum fortium nutricem (558), Pluti partes agentes Athenarum florem recuperari non posse opinentur, nisi Penia cum suis (h. e. Spartani) expellerentur (450). Ubique enim poëta nos commonefacit, Spartanos indignos esse, qui Atheniensium vice fungantur.

Chorus, qui actionis fabulae comes introducitur, totus ad irrisionem Spartanorum factus est. Constat enim e senibus incultis et sordidis, qui crassis baculis innisi incedunt. Ergo toti externa specie Lacones. Tales enim morum et vitae Lacedaemoniorum imitatores iam descripsit Avv. 1282 (Inv.):

> ἐλακωνομάνουν ἅπαντες ἄνθρωποι τότε,
> ἐκόμων, ἐπείνων, ἐῤῥύπων, ἐσωκράτουν,
> σκυτάλι' ἐφόρουν.

ubi scholiastae ad ἐσωκράτουν recte notant: ὡς πένητα [16]), et ad σκυτάλι' ἐφόρουν: ἐφόρουν γὰρ βαρείας βακτηρίας οἱ Λάκωνες. Senes chori in Pluto baculis innisos incessisse, apparet ex v. 271

> μῶν ἀξιοῖς φενακίσας ἡμᾶς ἀπαλλαγῆναι
> ἀζήμιος, καὶ ταῦτ' ἐμοῦ βακτηρίαν ἔχοντος.

Si verum esset, quod scholiasta ad hunc versum dicit, omnes senes Athenienses duobus in baculis nisos incessisse, Aristophanes certe in Avv. l. l. mores Lacedaemonios aliter significasset. Quocirca Athenienses illam senum cohortem primo adspectu ὡς λακωνομανοῦντας riserunt, non ob sordes et rusticitatem. Quantum enim Athenienses, morum peregrinorum affectatores, a patriae amore desciverint, vel inde patet, quod Aristophanes deum adeo fecit dicentem, patriam esse, ubi bene sit v. 1148.

Plutus ipse v. 80, 84 etc. vestitu et tota externa specie Lacedaemonius est. Quo ingeniose poëta significare voluit, Plutum illuc usque Lacedaemonios secutum esse, quos nunc, quum visum recepisset, relinquat, ad Athenienses, quibus aptior esset,

---

[16]) Significantius G. Suevern de Nubb. pag. 69. „In den Vögeln v. 1282 drückt er durch *ἐσωκράτουν den Inbegriff einer harten und im Aeussern vernachlässigten Lebensart aus.*“

rediturus. Qui quaeso fieri potuit, ut Plutum divitiarum praesidem, quem quisque sibi fingere solet lautum et magnificum, poëta introduceret sordidum et miserum, nisi a Lacedaemoniis venientem significare voluisset?

Non desunt personae singulae ad irridendos Lacedaemonios propositae. Unum de illis esse Patroclem, quem v. 84 se non lavisse dicit, ex quo natus sit, cum scholiasta [17]) ad hunc versum iam recte animadvertit Berglerus. Quin etiam in exclamatione ὦ Δάματερ, qua Chremylus utitur 551 et 869, Dorismus notatur Lacedaemoniis familiaris.

Cavillationem morum Spartanorum eo quoque contineri puto, quod toties furta eaque callide facta sale comico perstringit. Lacedaemoniis quippe furtum, si quidem clam et astute factum esset, impune erat. Furta et alias ab Aristophane passim notari non ignoro, sed neque tam frequenter alias hoc fit, neque cum totius fabulae nexu tam arcte coniunctum deprehenditur. Huc iam pertinet sententia v. 561, furari decorum esse, dummodo contigerit latere, et quod Mercurius v. 1136 gloriatur, se fecisse, ut Cario lateret dominum, quoties aliquid furatus esset. Imprimis vero personae Carionis et Mercurii hunc in finem factae esse videntur.

Mercurius v. 1150 se commendat portae custodem, qui fures arceat, cui statim opponitur ἐμπολαῖος (mercaturae tutor); hic enim Atheniensis, ille Spartanus. Pariter v. 1154 sq. Ἑρμῆς δόλιος opponitur τῷ ἡγεμονίῳ, unde colligi potest, hanc fabulam ita conditam esse, ut Athenienses ad se ab Lacedaemoniis revocaret, id quod apud hos versus iam acute vidit Palmerius, Hemsterhusio frustra adversante. Quum enim Mercurius ille respectu habito proprie diceretur πομπός, non ἡγεμόνιος, quoad memini, veri quidem est simillimum, Mercurio ibi de consilio tributum esse hoc epitheton, ut Athenienses animadverterentur, quippe qui passi essent sibi principatum (ἡγεμονίαν) eripi ab Lacedaemoniis. Aristophanes pietatis et integritatis cultor non ausus esset, Mercurium furibus fautorem, esurientem et fame-

---

17) εἰς ἣν τῶν Λακωνικὸν βίον ζηλούντων.

licum introducere, quod iam Spanhemium [16]) offendit, nisi tale quid sub eius persona lateret.

Si Carionem ubivis rapiendi cupidum poëta finxit, qui domino panis frustum raptum iret 316, et mulierculae dormienti calliditate perfecto Lacone digna, in templo etiam ollam pultis plenam exhauriret 685 sq., significare fortasse voluit, mores Spartanos servis aptiores esse, quam hominibus ingenuis et liberis.

Imo sacerdos fur introducitur v. 676, qui sacrificii reliquias clam in sacco condit.

Interdum Spartanorum irrisio paullo tectius indicatur, ut v. 878 sq. ubi Blepsidemus auspicatus, Chremylum furti reum fore, quum eius condemnationem per imaginem significare vellet, picturam Heraclidarum elegit, qui extorres Athenas venerant, supplicum habitu ac ritu ad aram Iovis provoluti. Nonne his quasi indicat, indignum esse, quod Athenienses ferrent Spartanos dominos, quorum proavos supplices tuiti essent. Multa praeterea Pluto insunt, quae huc trahi possint. Nam, ut unum hoc obiter tangam, adolescentuli quoque mores, quos v. 1074 prodit, non abhorrent ab usu Spartanorum, quum Chremylo seni vetulam ipsius amicam tentanti dicit: ἐγὼ περὶ ταύτης οὐ μαχοῦμαί σοι, αἰσχυνόμενος τὴν ἡλικίαν τὴν σήν, ἐπεὶ οὐκ ἄν ποτ' ἄλλῳ ἐπέτρεπον ποιεῖν.

Saepissime Plutum mihi legenti in memoriam rediit Thrasybuli oratio, qua apud Xenoph. Hellen. II, 4 cives interrogat, postquam Athenas liberavit: ἀλλ' ἐπὶ Λακεδαιμονίοις δὴ οἴεσθε μέγα φροντητέον εἶναι; πῶς; οἵ γε, ὥσπερ οἱ τοὺς δάκνοντας κύνας κλοιῷ δήσαντες παραδιδόασιν, οὕτω κἀκεῖνοι ὑμᾶς παραδόντες τῷ ἠδικημένῳ τούτῳ δήμῳ οἴχονται ἀπιόντες.

Porro Aristophanes docere voluit, *gloriam Atheniensium reflorescere non posse, nisi denuo respublica ditesceret.* Plutus enim restituitur reipublicae caussa, non Chremyli gratia, ut quidam putabant; nec manet apud Chremylum, sed solenni pompa ducitur in arcem, ubi antea fuit aerarium. Adparatione pompae tota extrema fabula occupata est, quae fabulam claudit

16) Spanhem. ad v. 1161.

dignissima. Quare Plutus oculorum acie refecta salutatum se non convertit ad Chremylum, nec ad alium privatum hominem, sed ad totam Atticam v. 767 sq., quae verba imprimis idonea sunt ad poëtae consilium illustrandum:

καὶ προσκυνῶ γε πρῶτα μὲν τὸν Ἥλιον,
ἔπειτα σεμνῆς Παλλάδος κλεινὸν πέδον,
χώραν τε πᾶσαν Κέκροπος, ἥ μ' ἐδέξατο.
αἰσχύνομαι δὲ τὰς ἐμαυτοῦ ξυμφοράς,
οἵοις ἄρ' ἀνθρώποις συνὼν ἐλάνθανον·
τοὺς ἀξίους δὲ τῆς ἐμῆς ὁμιλίας
ἔφευγον, εἰδὼς οὐδέν, ὦ τλήμων ἐγώ.
ὡς οὐδ' ἐκεῖν' ἄρ', οὐδὲ ταῦτ' ὀρθῶς ἔδρων·
ἀλλ' αὐτὰ πάντα πάλιν ἀναστρέψας ἐγὼ
δείξω τολοιπὸν πᾶσιν ἀνθρώποις, ὅτι
ἄκων ἐμαυτὸν τοῖς πονηροῖς ἐνεδίδουν.

Fac te haec audire quasi Atheniensem, qui Spartanorum duritiem et divitiis insuetis auctam cupidinem Graecos ceteros spoliandi, et quanto omnibus hac de caussa odio fuerint, bene noverit, nec tibi difficile erit intellectu, improbos (*πονηρούς*), apud quos se fuisse deum pudet, et a quibus Athenienses, temere a se relictos, revisere gaudet, Spartanos esse.

Quos Plutus se suaque consuetudine digniores dicit v. 772, illos se esse cum voluptate Athenienses intellexerunt. Non minus iucundum esse debebat, quod Plutum dicentem audiverunt, eum invitum apud alium populum fuisse v. 777. Id vero est illud, in quo totius fabulae cardo vertitur: nimirum *Plutus, quamdiu secutus est Spartanos, coecus fuit, postquam visum recepit, se ipsum recepit ad Athenienses longe digniores.*

Huc accedit, quod poëta tam saepe significat, quot commoda reipublicae Pluto adiutore parentur: v. 172 *τὰς τριήρεις οὐ σὺ πληροῖς;* 181 *τὰ δὲ πράγματ' οὐχὶ διὰ σὲ πάντα πράττεται;* 184 *κρατοῦσι γοῦν κἂν τοῖς πολεμίοις ἑκάστοτε ἐφ' οἷς ἂν οὗτος (ὁ Πλοῦτος) ἐπικαθέζηται μόνος.* Quanquam singulas locutiones, ut iam dixi, non adeo urserim; quum non pauciores in contrariam partem trahi possint. At sycophantae verba, qui Plutum perniciem reipublicae habet v. 945, ex ingenio lo-

quentis sumenda esse et contrarium indicare, vix opus est, ut moneam. Sunt enim sycophantae. Pariter se res habet cum aliis lepide dictis, quibus paupertas se frustra commendat, et quae iusto vehementius premuntur. Iudicium enim de tota fabula eiusque fine non dependet ab singulis vocibus, sed ab actionum nexu et eventu.

Victoriis de Persarum copiis reportatis, Athenienses Victoriae deae alas circumciderunt (*νίκη ἄπτερος*), ne in posterum transfugere posset ad alium populum. Melius fuit, Pluto deo, quem Rhodii alatum finxerunt [19]), alarum remigium praesecare, quippe quo non solum Victoria, sed, ut poëta dicit, Iuppiter ipse sit inferior. Quamdiu Athenienses divitiis bello Persico comparatis pollebant, ab omnibus Graeciae urbibus principes habebantur; tum vero Lacedaemoniis victoribus, tyrannorum imperio pressi et divitiis privati, gloriam et potentiam cesserunt, nec ab ulla Graeciae urbe colebantur. Quod quum sensissent, iure quidem rei familiari melius consulendum putabant, at multi ratione inhonesta ac turpi ad priorem felicitatem enitebantur, quos poëta in hac fabula acerbe monitos voluit. Atque hoc quamvis secundarium fuerit poëtae consilium, eo tamen magna pars fabulae occupatur, indidemque factum est, ut omnes hoc unum tenerent et, quod maius esset, praetermitterent [20]). In his enim versatur officium poëtae, in reliquis, quae poeseos floribus quasi redimita eo suaviora esse debebant, munus morum magistri [21]); utrique satisfaciendum erat, nisi

[19]) Philostr. Icon. II. *ἐφέστηκε τῇ ἀκροπόλει καὶ ὁ δαίμων ὁ Πλοῦτος· γέγραπται δὲ πτηνὸς μὲν ὢν κ. λ.*

[20]) Saepe vitia eorum, qui subito divites facti sunt via illicita et turpi, exagitat: sic v. 340. Blepsidemus miratur, quod Chremylus, postquam dives evasit, amicorum adhuc memor sit; sic 567 poëta monet, rhetores bonos esse, quamdiu egeni sint; sic 837 tangit amicorum fugam in rebus dubiis; sic introducit amicum deceptum, amicam deceptam, sacerdotem et deum deceptos, qui omnes miseriarum originem in subito nimiarum divitiarum confluxu ponunt.

[21]) Rectissime igitur se habet, quod G. Suevern, vir summe venerabilis, per literas mihi significavit rogatus, Plutum ut ceteras Aristophanis fabulas ad mores Atheniensium et rempublicam corrigendam factam esse, quanquam consilium illud singulare viro summo, tempus Pluti prioris respicienti, persuadere non potui. Non Lacedaemonios poëtam

leiunus ac morosus vitiorum exactor haberi voluisset, quem tantum aberat ut cum voluptate Athenienses audivissent, ut cum indignatione explosissent. Kusteri igitur Grammaticum p. XIII. Lips. p. XXXIII, qui opinatus est, *Πλοῦτον νεωτερίζειν κατὰ τὸ πλάσμα*, communi ceterorum errore teneri, vix erit, qui neget.

Ceterum quae hucusque de fabulae consilio disputavi, ex aliqua parte iam docuerunt, Plutum esse posteriorem eamque ab antiquae comoediae ingenio neutiquam abhorrere.

Cap. II.

Aristophanis Plutum, quae superest, esse posteriorem et eam annumerandam comoediae antiquae.

Interpretum alii quum viderent, homines quosdam in Pluto nominatim illusos, quippe quod contra legem Lamachi fieret ante Plutum alteram latam [22]), deinde res commemorari, quae

---

spectasse putat, sed civium classem v. 80 significatam, quae poëtae, ut civitati pernicies, ubivis fuerit odiosissima, a qua divitiae iniuriis paratae ad alteram, ad *γεωργούς*, quibus ubique bene cupiisset, et per hos in reipublicae usum converterentur.

[22]) Aristophanes Plutum bis edidit; primo Ol. XCII, 4., Diocle archonte, iterum viginti annis post, Ol. XCVII, 4., Antipatro archonte. Tempus autumnale sive Dionysia *κατ᾽ ἀγρούς* indicari mihi videntur v. 283 et 1126 (1129). Utramque fabulam ipse docuit, ut testantur schol. ad v. 173 et Anonymus in argumento fabulae, cuius verba Fischerus in contrariam partem interpretatus est, quasi Plutum secundam poëta per filium Ararotem docuisset. Quae quum et Hemsterhusium decepissent, breviter hic illustrabo: *τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα [δι᾽ αὐτῆς] τοῖς θεαταῖς βουλόμενος, τὰ ὑπόλοιπα δύο δι᾽ ἐκείνου καθῆκε Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα.* h. e. „*Quum Plutum posteriorem sub suo nomine docuisset et filium Ararotem spectatoribus commendare vellet, duas reliquas fabulas Cocalum et Aeolosiconem per eum docuit.*“ Nam verba *δι᾽ αὐτῆς* aut universim spectant ad *κωμῳδίαν*, aut spuria sunt, nisi vis, ut totum sibi repugnet. Hemsterhusius vero temere coniecit *τὰ ὑπόλοιπα* esse librarii, quem taeduisset, eadem iterare, quae cetera argumenta iam tractassent, et valere *τὰ λοιπὰ ὡσαύτως*. Extremas fabulas his verbis significari, quid attinet dicere?

tempori secundae editionis fabulae convenirent, miram in hanc inciderunt opinionem, Plutum superstitem neque priorem esse, neque posteriorem, sed ex utraque a grammatico nescio quo consarcinatam [23]); alii cum scholiastis Plutum nostram priorem habuerunt, in quam ex posteriore nonnulla translata essent. Huic opinioni non feliciter adversatus est Spanhemius [24]), indigesta doctrinae copia magnus, opinatus, homines in Pluto nominatim castigatos iam obiisse, quum fabula denuo ederetur. Eos nondum obiisse tunc temporis, ex Ecclesiazusis discere potuit, ubi eorumdem nominum homines sale comico perfricantur. Sed tota haec quaestio absolvi nequit, nisi, quae veteres et recentiores Pluti utriusque esse opinati sint, ante audiverimus.

Hic vero distinguendos esse censeo criticos veteres et recentiores; hi enim haud raro ad duplicem fabulae editionem confugiunt, ubi, quomodo difficultatibus implicitos se expediant nescii, aliquid tamen dicere malunt, quam prudenter tacere. Videamus singula.

Quos versus ex Pluto posteriore veteres vocant, eosdem in ea fabula, quae ad nos pervenit, adhuc reperimus integros, quos autem ex priore laudant, frustra quaerimus.

Athenaeus IX, p. 368 D. ex Pluto posteriore laudat: *οἴμοι δὲ κωλῆς ἣν ἐγὼ κατήσθιον*, qui versus apud nos est 1125. Scholiasta Venetus ad Hom. Iliad. ψ. 361 *παρ' Ἀριστοφάνει*, inquit, *ἐν Πλούτῳ δευτέρῳ· ἵνα τοὐμὸν ἱμάτιον φορεῖν μεμνῇτό μου*, qui est versus 988. Eustathius duplicem Pluti editionem ignoravit, universe enim citare solet *παρὰ Κωμικῷ* vel *παρ' Ἀριστοφάνει*.

At quod scholiasta ad Aristoph. Rann. v. 1125 (1120 Dind.) disertis verbis affirmat legi *ἐν Πλούτῳ πρώτῳ· „τῶν λαμπαδηφόρων τε πλείστων αἰτίαν τοῖς ὑστάτοις πλατειῶν“*, id frustra in

---

[23]) Huius opinionis auctor est L. Kusterus; eidem se addiderunt Brunck. in not. ad v. 115 et alii, quorum somnia typis denuo excudi iussit Bekker. ad Plut. 115.

[24]) Felicius utramque opinionem refutavit Ritterus in dissert. de Aristoph. Plut. p. 49 sq. Unde, quae mecum faciunt, hic in notis posui.

nostra fabula investigatur, immo ne locus quidem reperiri poterit, cui haec verba accommodentur [25]). Vix enim alius esse hic versus potest, quam tetrameter iamb. catal., sic reponendus:

τῶν λαμπαδηφόρων τε πλείστων αἰτίαν πλατειῶν
τοῖς ὑστάτοις.

quo metri genere Cario et Chorus confabulantes utuntur a v. 253—317. Hinc colligi potest, priorem Plutum ab posteriore prorsus diversam fuisse, et in illa fabulae parte ab aliis personis alias res actas esse.

Huc denique referendus est Anonymus in argum. huius fabulae supra vocatus, qui, quum diceret, hanc fabulam sub Antipatro archonte editam esse, alteram editionem se habere putabat, quia prima viginti annis ante Antipatrum data esset.

Secundo loco testimonia scholiorum Pluto adscriptorum colloco haud raro discrepantia. Ac primum constat, scholia, quibus Aristophanis comoediae explicantur, variis temporibus a variis auctoribus confecta et undequaque congesta non omnia parem fidem mereri. Antequam igitur ea, quae de Pluto utraque habent, iudicare possimus, scire debemus et explorare, quid scholiastae ipsi de hac re exploratum et compertum aut habuerint, aut habere potuerint, aut denique se habere ipsi professi sint.

Iam nobilissimus scholiasta (cod. Paris.), historicae doctrinae plenus, in hac re ita ambiguus est et anceps, ut eius verba manifeste prodant, eum ignorasse, utrum Plutus, quae exstet, sit prior an posterior. Haec sunt eius verba ad v. 173: *δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐν δευτέρῳ φέρεσθαι, ὃς ἔσχατος ἐδιδάχθη ὑπ'*

---

25) Ritterus l. l. p. 53 putat haec verba potuisse inesse colloquio Chremyli et Blepsidemi cum Penia. Quum vero illud colloquium constet trimetris iamb., qui deinde a versibus anapaesticis excipiuntur, haec vero verba neque trimetrum iamb. neque tetrametrum anapaest. efficere possint, non video quomodo illi colloquio inculcari possint. Quod de sensu dicit, nimis alte repetitum est; vult enim: Paupertatem vituperari, quod, cum homines victu privaret, caussa esset, ut multi in certamine tardius currentes (*τῶν λαμπαδηφόρων ὕστατοι*) afficerentur verberibus (*πλατείαις*). Quasi saginati celeritate pedum vincerent macilentos, vel divites egenos.

αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον, εἰ μή, ὅπερ εἰκός, ἐκ τοῦ δευτέρου τοῦτο μετήνεκται. ἐκεῖ γὰρ ὀρθῶς ἔχει. Etenim si scivisset, utra Plutus, quam interpretabatur, esset, certe dixisset, aut τοῦτο δὲ ἐκ δευτέρου, aut ἐκ πρώτου.

Certius scholiasta apud v. 1147 (Dind.) de verbis εἰ σὺ Φυλὴν κατέλαβες notat: τοῦτο οὖν ἔοικέ τις ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου μετενεγκὼν ἐνθάδε, ὀλιγωρῆσαι τῆς ἀλογίας ταύτης, ἢ καὶ αὐτὸς ὁ ποιητὴς ὕστερον ἐνθεῖναι ἀπὸ τῶν συνθηκῶν τῶν Ἀθήνησι γενομένων πρὸς τοὺς καταλαβόντας. Is quidem Plutum iudicavit esse priorem, in quam aliquis inepte hunc versum intulisset, nisi, id quod praeferre videtur, poëta ipse haec postea temporis caussa adscripsisset.

Sui confidentior apparet scholiasta Iunt. ad v. 115, qui diserte ex Pluto altera pro versu isto alium profert hunc:

τῆς συμφορᾶς ταύτης σε παύσειν, ἧς ἔχει.

in quibus verbis alii euphemismum, alii μείωσιν, plurimi saltem plus elegantiae deprehendere sibi videntur, quam in iis, quae nunc textus habet; cum tamen, sive metrum sive sensum spectes, ille versus eo, quem nunc textus repraesentat, sit ita inferior, ut, si quidem perfectiora alteri manui debentur, versus a scholiasta venditus rectius tribueretur Pluto priori. Equidem sic iudico: Quum scholiorum auctores unam tantum editionem Pluti haberent eamque priorem esse putarent, deinde quum alias versus pauci ex Pluto excerpti circumferrentur, versum hunc, quem in exemplaribus suis non reperiebant, posterioris esse opinari debebant [26]).

Audiendus porro scholiasta Iunt. ad v. 119, qui hunc versum omnium Pluti facile difficillimum in editione altera mutatum esse testatur his verbis: μεταπεποίηται δὲ καὶ τοῦτο ἐν τῷ δευτέρῳ. Melius certe fuit, si dixisset, quomodo mutatus esset; quod quum omitteret, vereor, ne vana iactaverit somnia.

Restat denique incerta scholiastae notitia v. 515 ad verba Δηοῦς καρπὸν θερίσασθαι adscripta: ἤδη τὸ ἔπος τοῦτο τῆς

---

[26]) Quae difficultas a scholiasta, alias de hac re incerto, moveri possit, non video; difficultatem tamen quandam hic loci esse, dicit Ritter. l. l. p. 53, quam, etsi professus sit, convellere oblitus est.

μέσης κωμῳδίας ὄζει, quibus dicere voluit, locutionem illam sumptam esse ex Pluto posteriore, qui aliquid saperet mediae comoediae. Etiamsi vox Δηώ pro Δημήτηρ alias ab Aristophane non usurpetur [27]), antiqua tamen est, et quamvis Homero recentior, ut Hermannus docet praefat. ad Hymn. p. CI., aetati Aristophanis tamen usitata, ut scholiastam nihil aliud offendere posset, quam grandior et tumidior locutio, ut recte vidit Meinek. Quaest. II, p. 4.

Quae hucusque de scholiastarum testimoniis disserui, ea docent, illos, quamvis utramque Pluti editionem non haberent, neque scirent, quomodo altera a prima differret, Plutum superstitem priorem habuisse.

Transeamus nunc ad interpretes recentiores, quos saepe locos difficiles et res intricatas, ne solliciti sint, vides relinquere aut breviter tacta deponere, ut doctum nescio quid de utraque Pluto dicant, quod rem ipsis non melius callentes obstupefaciat eisque silentium imbeat. Quanta horum virorum coniecturis fides haberi possit, vix opus est, ut moneam. Scilicet fons eiusmodi sapientiae suum cuique est ingenium. Iam his se non comitem adiunxit, sed dux praeivit Hemsterhusius, vir alioquin ingeniosus et doctrinae verae plenus.

Berglerum quidem, qui praeter ceteros Aristophanis fabulas diligenter legit, hic pluribus notare nolui, quod apud v. 1060 dicit, *inde patere, hanc comoediam proxime accedere ad novam*, quum haud scio an ignoraverit, quo tempore comoedia coepta sit nova vocari.

Hemsterhusius in diiudicanda lectionis varietate ad v. 677 (ed. m.), ubi in nonnullis libris γνώμαις exhibetur pro λήμαις, illud putat in Pluto priore fuisse, quia difficile sit constituere, utrum ab Aristophane profectum fuerit. Equidem arbitror, quia γνώμαις λημᾶν metaphora dura sit et inepta, Aristophanem nunquam sic scripsisse. Eadem levitate suspicatur ad v. 656 vocabulum θυλήματα, quod scholiasta pro varietate lectionis notavit, Pluti posterioris esse. Magis sibi temperat in nota ad

---

[27]) Id imprimis urget Ritter. l. l. p. 51. Occurrit Δηοῖ iam in Hymn. in Cer. 47. 211.

v. 768, ubi duplicem lectionem *κλεινὸν πέδον* et *κλεινὴν πόλιν* obscure innuit, ex duplici fabulae editione originem duxisse, quanquam non ausus est indicare, utra posterioris fuerit. Fischerus vero, unde nescio, pro certo affirmat, in priore fuisse *πέδον*, in posteriore *πόλιν*, quia illud obscurius dictum fuisse sensisset poëta. Similiter in perpendenda lectionis varietate ad duplicem fabulae editionem provocat ap. v. 159 et 521, coniiciens primo loco editionem priorem pro *ὀνόματι* aliud vocabulum habuisse, secundo vero loco scriptum fuisse *παρ' ἀπίστων ἀνδραποδιστῶν* pro *πλείστων ἀνδραποδιστῶν*. Audacius rem gerit ad v. 821 sq., a quo usque fere ad finem fabulae in libris manuscriptis mira personarum variatio deprehenditur, ut alii, quae servus habet, domino tribuant, et contra. Quam personarum summutationem Hemsterhusius duplici fabulae editioni deberi putat, ac si unquam poëta ingenuus ita inepte mores et orationem personarum fingere potuisset, ut, quae nunc servo tribuerit, nonnullis annis post domino commodiora essent. Huc denique et pertinet, quod totum versum 1187 sacerdoti tribuit et monet, Pluti posterioris esse. Hemsterhusius igitur Plutum iudicavit esse priorem, et *utriusque editionis discrimen in eo deprehendisse sibi videbatur*, *ut hic illic verbum aptius poneretur pro obscure aut ambigue dicto.*

Maiores turbas inter criticos civit versus 812. Hic enim non solum Hemsterhusius, sed etiam Lambertus Bosius et Brunckius coniecerunt, in Pluto posteriore *εἶκος*, in priore *ἰκνός* fuisse, quod vocabulum Bentleius quoque, Vir Summus, probavit, quasi Aristophanes dixisset: *muscipulam esse eburneam factam.* Hoc ex eburnea porta somnium a Kustero, Hemsterhusio et Brunckio probatum esse, recte quidem miratur C. Reisigius Coniect. p. 103; at duo isti versus, quorum alterum prioris, alterum posterioris Pluti esse, nobis persuadere vult Vir ingeniosissimus, non magis quam Bentleii coniectura per corneam portam exiisse multis videbuntur.

Haec ab aliis de Pluto priore et posteriore passim dicta quanti facienda sint, vel inde iudicari poterit, quod nemini investigare placuit, quid tandem discriminis inter utramque intercederet. Alteram vero editionem non solum versari in verbis

aliquot singulis et locutionibus quibusdam refingendis et emendandis, sed in tota fabula eiusque indole de integro novanda, quum aliunde edocti scimus, tum maxime ex iis manifestum est, quae a me de consilio, quo fabula scripta sit, disputata sunt. Ab illo autem consilio, quod indicavi, tempus Pluti prioris prorsus abhorrebat. Quocirca illis assentiri non possum, qui utriusque fabulae argumentum idem fuisse et in altera editione nihil nisi verba aut versus aliquot mutata esse putant [28]). Deinde et hoc tenendum: Graecos easdem comoedias longiore temporis spatio praeterlapso iterum non audivisse, etiamsi placuissent, quia singula quaeque certo suo consilio, ut cives corrigeret et reipublicae prodesset, daretur, quod pluribus annis post, ubi aliae personae et alii rerum nexus essent, poëtae iisdem dramatis nullo modo poterant secundo assequi. Quare Plutus posterior viginti annis post priorem edita ab illa non verbis singulis, sed tota differret, necesse fuit. *Sive nunc Plutus superstes est prior, sive posterior, alterutra tota est; posteriorem esse, nunc ex consilio manifestum est, quo fabulam scriptam esse ostendi, nunc ex iis, quae deinceps disputaturus sum, apparebit clarius.*

Ac primum quidem fabula in omnibus partibus abundat indiciis temporis, quo Plutus secundo prodiit, nec quidquam continet, quod Pluti prioris tempori tantum conveniat. Nam illa argumentandi ratio, qua scholiastae et interpretes recentiores utuntur, Plutum priorem esse, in quam notitiae quaedam temporis serioris translatae sint, tum demum locum habere poterit, si cui contigerit, indicia temporis prioris Pluti proferre certa [29]).

Plutum posteriorem prodit v. 1143, *μὴ μνησικακήσῃς, εἰ σὺ Φυλὴν κατέλαβες*, quam metaphoricam locutionem omnes consentiunt a victoria sumptam esse, quam reportaverunt Thra-

---

[28]) Utriusque Pluti argumentum idem fuisse, Ritterus quoque comprobare conatus est.

[29]) Quas in nostra fabula allusiones ad prioris editionis tempus invenisse sibi videtur Ritterus l. l. p. 70, ea sunt ita universe dicta, ut in quavis fabula paris argumenti similia facile invenias. Interea illa proposuit, ut doceret, utrique fabulae simile argumentum fuisse, non ut inde evinceretur, Plutum superstitem esse priorem.

sybulus et exules de Trigintaviris. Illa vero pugna post primam Pluti editionem commissa, quum tempore Pluti posterioris ut recuperatae libertatis initium celebraretur et in omnium ore esset, huius locutionis ansam dedit. Eiusdem generis est, quod legimus v. 546 ὑμεῖς γ' οἵπερ καὶ Θρασυβούλῳ Διονύσιον εἶναι ὁμοῖον (φατέ) h. e. „*vos res dissimillimas putatis inter se esse similes; nam sic etiam Dionysium crudelem Siciliae tyrannum putabitis similem esse Thrasybulo, qui nuper Atheniensibus libertatem restituit.*" Hoc vero post primam Pluti editionem paucis annis ante alteram factum esse, satis compertum est. Adde, quod Dionysius tempore prioris Pluti nondum tyrannus iste atrox evaserat, qui post habitus est, quum fabula denuo ederetur.

Homines, quos nominatim in Pluto poëta castigavit, tempore Pluti posterioris demum floruisse, prius, rebus male gestis, non innotuisse, satis perspicue potest ostendi.

His adnumerandus est Agyrrius, homo ignavus, at, quum subito dives factus esset, insolens, quem v. 176 διὰ Πλοῦτον πέρδεσθαι dicit. Eum esse Agyrrium, qui Thrasybulo duci in praefectura Lesbi successerit, partim iam recte viderant Meurs. Lect. Att. et Vales. ad Harpocrat. sub h. v., partim ex Ecclesiaz. v. 103. 184 apparet, quae fabula duobus vel tribus annis ante Plutum secundam edita est.

At Valcken. Diatrib. p. 293 merito notat Meursium, quod Agyrrium hunc nebulonem inter Archontes retulit. Ibidem et fons divitiarum Agyrrii significatur; redemerat enim triginta talentis quinquagesimam mercium, quae portum Athenarum inveherentur.

Xenoph. Hist. Graec. p. 817 ed. Steph. mihi etsi tacitus ostendere videtur, cur Agyrrius iste ut homo timidus et ignavus a poëta castigari potuerit. Narrat enim l. l. Agyrrium, Thrasybulo ab Aspendiis in Asia interfecto, in Asiam missum esse, ut ducis occisi loco exercitui praeesset. In sequentibus vero eius nulla fit mentio; imo paullo post Iphicrates mittitur, qui strenuus et fortis laudatur [30]).

---

30) Ritterus l. l. bene animadvertit, Agyrrium illum esse, qui mercedem

Sic Aristyllus quoque, fellator sordidus, nusquam castigatur, nisi in Plut. 312 et Ecclesiaz. 674, et utroque loco in eandem partem. Ut enim homines ob divitias superbientes frequentiores fuerint, fellatores plures eiusdem nominis eodem tempore vixisse, vix est credibile; nisi forte putas, fellationem vitium gentilicium haberi posse. Ceterum sub Aristyllo videtur mihi Aristocles nescio quis latere, si quidem verum est, quod Eustath. p. 989, 49 tradit, Aristoclem ὑποκοριστικῶς sic dici.

Quae dixi magis adhuc pertinent ad Neoclidem rhetorem malignum et τὰ δημόσια κλέπτοντα, quem Plut. 661 sq. 712 sq. 742 et Ecclesiaz. 255 et 419 acerbe notat et in utraque fabula ab lippitudine significat. Quamvis Neoclides hic apud historiae scriptores non occurrat, eum tamen vero suo nomine ab Aristophane signatum esse, credendum est; quia nomina ficta mores hominum, quibus dantur, significare solent. cf. Auctor. hypothes. Pluti. Quae cum ita sint, plures rhetores, quibus eadem vitia fuerint, eosque eiusdem nominis id temporis eodem oculorum morbo laborasse, quis credat?

Deinde Lais eiusque turpis amator Philonides (v. 179, 301.) argumento esse possunt, nos Plutum posteriorem habere. Iam scholiasta hac de re observat, ὅτι Ἀριστοφάνης οὐ λέγει σύμφωνα κατὰ τοὺς χρόνους. Putavit enim Plutum esse priorem, cuius tempore Lais quatuordecim annos nata esset, eandemque ob caussam Athenaeus [31]) Naidem pro Laide substituere voluit, quam in amicis Philonidae fuisse, aliunde constaret. Quod aetatem Laidis attinet, ea quidem non admodum urgenda fuit, quum meretrices XIV annorum haud scio an Atheniensibus non displicuerint; sed si poëta Laidem coram populo Atheniensi iocando significare voluit, necesse erat, ut esset iam omnibus nota (περιβόητος ἑταιρίς). Omnes difficultates evanescunt, si acceperis Plutum esse

---

eorum, qui populi concionem frequentarent, paullo ante Ecclesiazusas, Ol. XCVI, 4 datas, ad tres obolos augendo plebeculae sibi favorem conciliasset, (cit. Boeckh. Haush. d. Ath. I, p. 247.) eumque inde notatum esse Eccles. 184 sq.

[31]) Athen. XIII, 7. p. 592 (Cas.): μνημονεύει αὐτῆς (Ναΐδος) καὶ Ἀριστοφάνης ἐν τῷ Γηρυτάδῃ· μή ποτε δὲ κἀν τῷ Πλούτῳ, ἐν ᾧ λέγει· „Ἐρᾷ δὲ Λαῒς κ. λ.“ γραπτέον Ναΐς, καὶ οὐ Λαΐς.

posteriorem, quippe quo tempore Lais triginta quatuor annos nata esset et fatis suis omnibus nota [32]).

De Pamphilo, qui v. 174 tangitur, mihi significanda sunt testimonia veterum, quae vulgo desiderantur. Occurrit enim ap. Xenoph. Hist. Graec. p. 318 infr., ubi Aeginam missus et a Gorgopa Lacedaemonio obsidione cinctus esse narratur, donec novis auxiliis contigisset eum liberare. Cur Aristophanes in eum invectus sit, scholiasta docet his Platonis Comici verbis: *καὶ νὴ Δι' εἰ Πάμφιλόν γε φαίης κλέπτειν τὰ κοινά, ἅμα δὲ συκοφάντην.* Cetera vide in not. ad v. 1.

Cum aetate Pluti prioris Philoxenum, cuius figmenta Aristophanes v. 290 sq. imitatur, nullo modo poteris coniungere. Ille enim Cyclopem scripserat ad irridendum Dionysio maiori, de quo supra a me dictum est [33]). Multo minus adhuc dubitari potest de Timotheo illustri illius temporis duce, cuius nimiam aedificandi magnificentiam ridet v. 180. Iam de ceteris hominibus, quos nominatim cavillatur poëta, ut Philepsio 177, Dexinico 746 [34]), Pausone 602, parum quidem compertum habemus, quum tamen non soli, sed cum aliis coniuncti producantur, qui tempore Pluti secundae florebant, nec aliunde contrarium doceri possit, merito suspicari licet, eos eiusdem aetatis viros fuisse. Antequam alias notitias temporis propono, personis nominatim castigatis addere debeo Persarum regem. Etenim si Aristophanes Carionem dicentem facit v. 170

μέγας δὲ βασιλεὺς οὐχὶ διὰ τοῦτον κομᾷ;

quaeritur num haec irrisio in tempus Pluti posterioris verti possit. Huc proprie spectare, testatur Xenoph. Hist. Graec. III, p. 294, l. 10: *πέμπει Τιμοκράτην τὸν Ῥόδιον ἐς τὴν Ἑλλάδα, δοὺς χρυσίον ἐς πεντήκοντα τάλαντα ἀργυρίου, καὶ κελεύει πει-*

---

32) Ritter. l. l. p. 20 sq. coll. 87. Laidis vitam copiose et docte exponit, idemque de nostro loco fert iudicium.

33) Accuratius de Philoxeno agit Ritter. p. 19 sq. Docet Cyclopem scriptum esse circa Ol. XCV.

34) Iste enim Dexinicus in theatro cum audiret ficus aridas spargi, subito surrexit, ut earum aliquid sibi arriperet. Ergo praesens castigatur, ut Nubb. 1093 *τουτονί, καὶ τὸν κομήτην τουτονί.* Rann. 297. 307.

ρᾶσθαι, πιστὰ τὰ μέγιστα λαμβάνοντα, διδόναι τοῖς προεστηκόσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἐφ᾽ ᾧτε πόλεμον ἐξοίσειν πρὸς Λακεδαιμονίους. ἐκεῖνος δὲ ἐλθὼν δίδωσιν ἐν Θήβαις μὲν Ἀνδροκλείδᾳ τε καὶ Ἰσμηνίᾳ καὶ Γαλαξιδώρῳ· ἐν Κορίνθῳ δὲ Τιμολάῳ τε καὶ Πολυάνθει· ἐν Ἄργει δὲ Κύκλωνί τε καὶ τοῖς μετ᾽ αὐτοῦ. οἱ μὲν δὴ δεξάμενοι τὰ χρήματα ἐς τὰς οἰκείας πόλεις διέβαλλον τοὺς Λακεδαιμονίους. et p. 295, l. 30: ὁ μὲν τῆς Ἀσίας βασιλεὺς καὶ τὰ μέγιστα συμβαλλόμενος πρὸς τὸ ὑμῶν κρατῆσαι.

Haec tot personarum certarum indicia alteram quoque quaestionem, Plutum posteriorem comoediae antiquae esse adnumerandam, ex parte iam absolverunt. Soli comoediae veteri licitum et proprium fuit, ut homines certos expresso nomine in scena perfricaret sale comico; id vero in Pluto fieri videmus.

Iam denique nec res desunt, quae, si in Pluto priore deprehenderentur, anachronismum, quem dicunt, proderent.

Ex v. 173 discimus, Athenienses tempore Pluti superstitis exercitum conductitium Corinthi aluisse. Palmerius quum saepe alias, tum et hic acute vidit, hoc pertinere ad bellum Corinthiacum sive sociale (συμμαχικόν), quod ab Ol. XCII, 3 geri coeptum sit.

Maioribus quidem difficultatibus implicitum est foedus illud, quod Athenienses cum Aegyptiis pecuniae caussa fecisse dicuntur v. 177. Interpretum veterum et recentiorum somniis missis rem bene illustravit Ritterus [35]), qui docuit, seditionem Aegyptiacam exarsisse ante bellum, quod contra Persas a Cypriis Euagora duce susceptum esset. coll. Isocr. Paneg. p. 69. d. e. Bellum Cyprium exorsum esse Ol. XCVIII, 3 coll. Diod. XV, c. 2 et ante hoc iam tres per annos a Persis bellatum esse contra Aegyptios. coll. Isocr. l. l. Belli Aegyptii initium cadere in Ol. XCVII, 4. Quo in bello Athenienses aere conductos Aegyptiis fuisse socios, ex hoc Aristophanis loco dubitari non posse. Quanquam diffitendum non est, cardinem huius argumenti labare, ceteris tamen explicationibus haec multo videtur esse probabilior. Ab initio putabam foedus hoc explicari posse ex Thucyd. I, 104 et 109. Arridebat quoque Palmerii opi-

[35]) l. l. p. 50 sq.

nio [36]), Comicum tangere Chabriam ducem Atheniensium, quem Nectanebo Aegyptiorum regi opem tulisse contra Persas, Corn. Nepos testetur (Chabr. 2). Utcunque res se habet, Pluto priori nullo modo potest vindicari.

Huc et conferri potest merces concionantium, quae a iudicum mercede distinguenda est. Iudicialem enim mercedem, postquam trium obolorum fuisset Equitt. 50. 255. Vespp. 629. 711 (Inv.), uno obolo deminutam esse, videmus Ran. 140. Quare recte observat schol. Rav. ad Equitt. 51: *οὐχ ὁμοίως δὲ οὐδὲ τὸ αὐτὸ διώριστο, ἀλλὰ κατὰ διαφόρους χρόνους διάφορος ἦν καὶ ὁ μισθός.* At concionantium mercedem circa Ol. XCVI. demum ad tres obolos auctam esse, docet Boeckh. V. C. [37]). Quae cum ita sint, soli Pluto posteriori concedi possunt v. 325 sq., quibus Chori senes queruntur, quod coacti essent, ut in concionibus trium obolorum caussa truderentur.

Minutias multas misi, ne prolatae ab aliis premantur et graviora intacta relinquantur. Sic Iustus v. 843 dicit, se scisso et sordido pallio amictum tredecim annos alsisse, quod, ut opinor, tunc temporis post trigintaviros expulsos tredecim anni praeterlapsi erant. Sed haec de Pluto posteriore disputasse, contentus sum. Transeundum est ad aliud argumentum, quo evinci posse arbitrantur, Plutum ad mediam comoediam pertinere. Nititur hoc in Chori natura. Dicunt enim Chorum Pluti alium esse, atque in ceteris Aristophanis fabulis. Sive Chorum intelligunt, qui desideratur in Pluto, velim ut dicant, unde illud sciant, sive Chorum significant, qui adhuc superest, errant [38]). At eas ipsas Chori partes, quae exciderint, alias fuisse,

---

36) Palmer. Exercit. p. 787.

37) Haush. d. Athen. I, 247.

38) Schoell. l. l. p. 294: „Die zweite Eigenthümlichkeit der mittlern Comödie besteht in Beschränkung des Chors.“ „So hörte denn mit dem politischen Vorrechte der Comödie auch die festliche Würde des Chors auf; er sank seitdem zur handelnden Person herab, wie wir ihn in dem Plutus des Aristophanes finden.“ Ritter. l. l. p. 14 aliam diversitatem notat: „Nam antiqua, inquit, illa cantica cum toto fabulae argumento arctissime coniuncta sunt, haec prorsus ab eo diversa esse possunt; illis magna et saepe vel primaria comoediae pars continetur, haec solum adhibentur, ubi propter fabulae *οἰκονομίαν* requiruntur.“ His longe melius Chori naturam significat Suevern de

ac viri docti vulgo putant, docebo; postquam eum, quem habemus, ceteris Aristophanis Choris parem esse didicerimus. Quem in finem Chorum Pluti cum Choris fabularum priorum comparemus.

Plut. 483. Chorus, Chremyli, Blepsidemi et Peniae confabulationibus immixtus, colloquentes adhortatur, ut adversariam prudenter et artificiose disputando vincant:

ἀλλ' ἤδη χρῆν τι λέγειν ὑμᾶς σοφόν, ᾧ νικήσετε τηνδὶ
ἐν τοῖσι λόγοις ἀντιλέγοντες.

Eodem officio funguntur Chorus Nubb. 948 (Inv.):

νῦν δείξετον τὼ πισύνω
τοῖς περιδεξίοισι
λόγοισι, καὶ φροντίσι, καὶ γνωμοτύποισι μερίμναις,
ὁπότερος αὐτοῖν λέγων ἀμείνων φανήσεται.

coll. 1023 ibid.

πρὸς οὖν τάδ', ὦ κομψοπρεπῆ μοῦσαν ἔχων,
δεῖ σε λέγειν τι καινόν.

et Ecclesiaz. 571 (Dind.):

νῦν δὴ δεῖ σε πυκνὴν φρένα καὶ φιλόσοφον ἐγείρειν
φροντίδ' ἐπισταμένην
ταῖσι φίλαισιν ἀμύνειν.

Deinde Chorus Pluti 958. Vetulae percontanti locum demonstrat:

ΓΡΑΥΣ.

ἆρ' ὦ φίλοι γέροντες ἐπὶ τὴν οἰκίαν
ἀφίγμεθ' ὄντως τοῦ νέου τούτου θεοῦ,
ἢ τῆς ὁδοῦ τοπαράπαν ἡμαρτήκαμεν;

ΧΟΡΟΣ.

ἀλλ' ἴσθ' ἐπ' αὐτὰς τὰς θύρας ἀφιγμένη
ὦ μειρακίσκη· πυνθάνει γὰρ ὡρικῶς.

Nubb. p. 81 sq. quae vellem ut adscribi spatium pateretur. „Je nach der Beschaffenheit des Inhalts der Stücke steht der Chor gleich von vorn herein auf dem überlegenen und richtigen Standpunkte der Handlung, welcher, dem politischen Character der alten Comödie zufolge, der des wahren Interesse des Atheniensischen Staats und Volks ist“ etc.

Idem indicis viae officium Choro esse videmus Ran. 434 sq., ubi Baccho advenae interroganti Plutonis aedes ostendit:

ΔΙΟΝΥΣΟΣ.
ἔχοιτ' ἂν οὖν φράσαι νῷν
Πλούτων' ὁπουνθάδ' οἰκεῖ;
ξένω γάρ ἐσμεν ἀρτίως ἀφιγμένω.
ΧΟΡΟΣ.
μηδὲν μακρὰν ἀπέλθῃς,
μηδ' αὖθις ἐπανέρῃ με·
ἀλλ' ἴσθ' ἐπ' αὐτὴν τὴν θύραν ἀφιγμένος.

Confer et Choros tragicos pari officio functos, ut Sophocl. Oed. Tyr. 924 (934), coll. Electr. 1098 (1104):

ΑΓΓΕΛΟΣ.
ἆρ' ἂν παρ' ὑμῶν ὦ ξένοι μάθοιμ' ὅπου
τὰ τοῦ τυράννου δώματ' ἐστὶν Οἰδίπου;
μάλιστα δ' αὐτὸν εἴπατ', εἰ κάτισθ' ὅπου.
ΧΟΡΟΣ.
στέγαι μὲν αἵδε· καὐτὸς ἔνδον, ὦ ξένε.

Contrarium munus Chorus in scena solus relictus in se suscipit percunctandi adventantem, quid nuntiet, ut, si laeta res sit, gaudeat, sin tristis, lugeat. Sic Plut. 627:

ΧΟΡΟΣ.
τί δ' ἔστιν ὦ βέλτιστε τῶν σαυτοῦ φίλων;
φαίνει γὰρ ἥκειν ἄγγελος χρηστοῦ τινος.
ΚΑΡΙΩΝ.
ὁ δεσπότης πέπραγεν εὐτυχέστατα,
μᾶλλον δ' ὁ Πλοῦτος αὐτός κ. λ.

Quibuscum compara Sophocl. Trachin. 87

ΧΟΡΟΣ.
τί δ', ὦ γεραιά, καινοποιηθὲν λέγεις;
ΤΡΟΦ.
βέβηκε Δηάνειρα τὴν πανυστάτην
ὁδῶν ἁπασῶν κ. λ.

coll. Eurip. Med. 1241 sq. 1263 sq. 1296 sq. Hippol. 1245 sq.

Quid extremo Pluti Choro cum ceteris simile sit, vide sis not. crit. ad v. 1205.

Ex his quidem apparet Chorum Pluti Choris ceterarum fabularum prorsus respondere. Nec longa ista confabulatio Chori cum Carione, quem invitatus sequitur, ut felicitatis per Plutum venturae particeps fiat et actiones scenicas cantu et saltu ornet, comoediae antiquae adversatur.

Existit igitur nunc quaestio subdifficilis, num illae Chori partes, quae exciderunt, aliter comparatae fuerint, atque in ceteris Aristophanis fabulis?

Chorum autem nonnullis Pluti locis excidisse, non solum videmus ex actionum nexu et verisimilitudine; id quod passim a me notatum est; sed etiam verbis disertis et argumentis idoneis scholiastae docent ad v. 619, 641, 771, 885, 1043 (Dind.), ubi cod. Cant. 2 et edd. vett. consensu affirmant, post v. 622, 766, 797, 955, 1093 Chorum excidisse. Commatium post v. 766 amissum esse testatur et cod. Rav., qui locus, si quis alius, parabasi aptus fuit.

Iam quaeritur, num, quae Chori partes Pluto excidisse feruntur, reliquarum fabularum canticis similes fuerint? Hic enim sola coniectura valet, quum testis oculati auctoritate prorsus careamus. Anonymus Kusteri [39]), praeterquam quod ipse dubius haeret, fide modica est, sive nulla. Primus de hac re docte disputavit Ritter. l. l. p. 11 sq., quanquam haud scio an neminem habiturus sit, cui persuadeat. Opinatur enim, cantica illa intercidisse, quia a poëta propter fabulae oeconomiam scripta fuerint, ut in orchestra canerentur, non ut exemplaribus fabulae inserta et in publicum emissa domi legerentur. Antiqua illa cum toto fabulae argumento arctissime fuisse coniuncta, haec ab eo prorsus diversa; illa magnam et saepe vel primariam comoediae partem continuisse, haec contra adhibita, ubi fabulae oeconomia postulasset.

---

39) p. XIV. *πάλιν δὲ, ἐκλελοιπότος καὶ τοῦ χορηγεῖν, τὸν Πλοῦτον γράψας, εἰς τὸ διαναπαύεσθαι τὰ σκηνικὰ πρόσωπα καὶ μετεσκευάσθαι ἐπιγράφει Χοροῦ, φθεγγόμενος ἐν ἐκείνοις ἃ ὁρῶμεν τοὺς νέους ἐπιγράφοντας οὕτω ζήλῳ Ἀριστοφάνους.* h. e. Rittero interprete p. 13 sq. „Iterum, deficiente item choregorum munere, Plutum scribens adscripsit cantica chori, ut apparatus scenicus mutari et actores requiescere possent. (In illis (chori partibus) recitare facit, quae videmus novae comoediae scriptores adiicere imitatos Aristophanem.)“

At primum quod de nexu, qui choro amisso cum fabulae oeconomia fuerit, disputavit, in eo non solum incertus est, sed etiam cum aliorum criticorum placitis pugnat [40]). Nam caussa illa, ex qua amissa sint Chori cantica, mihi non liquet. Non negaverim, fieri potuisse, ut cantica, quae cum fabulae argumento levi aut nullo nexu cohaererent, facile amitterentur, quamvis Euripidis fabulae inhaereant, quae non magis necessariae partes sunt fabulae. Deinde illud in mera coniectura nititur et in se veri est dissimile, *Aristophanem Chorum duplicis naturae eidem comoediae adscripsisse, alterum, qui cum fabula coniunctus esset, alterum extra fabulae nexum positum.* Ad hoc accedit, quod pars Chori solennis et paullo amplior extat v. 290 sq., quae, quia cum cantu et saltu recitaretur, maiores sumptus et apparatus postulavisse videtur, et antiquae comoediae naturam redolet. Denique tenendum est, illas Chori partes, quae amissae dicuntur, parabaseos nimirum genera in ceteris Aristophanis fabulis non magis cum toto fabulae argumento cohaerere. Sed huic disputationi, quae pro natura sua absolvi nunquam poterit, finis imponendus, ne quis cum Aristophane merito me increpet:

ποθεῖς τὸν οὐ παρόντα καὶ μάτην καλεῖς.

Tertiam comoediae mediae proprietatem [41]) eo contineri putant, quod fabulae huius aetatis aliorum poëtarum opera populo usitata ita transformassent, ut risum audientium cierent: παρῳδίαν dicunt. Quale hoc parodiae genus fuerit, parum constat; diversum fuisse a consuetudine singulos poëtarum versus et singula dicta ludendi, pro certo habetur. Quum enim alios poëtas, tum maxime risit Euripidem eiusque figmenta. Quare hoc quidem manifestum, parodiam illam, quam tractamus, non in aliquot versibus, sed in magna fabulae parte versatam esse. Eiusmodi parodiam in Plut. 300 sq. invenisse sibi visus est Ritter. l. l. p. 28, ubi pro Circe Homerica posita sit Lais meretrix, pro Ulyssis sociis amici Philonidis, pro Aeaea in-

---

40) v. c. Schoell. l. l. p. 293. Quasi Chorus in reliquis Aristophanis comoediis aliter ageret, atque in Pluto. cf. nos supra.

41) Schoell. l. l. p. 294. Ritter. l. l. p. 27 sq.

sula Corinthus, pro Ulysse ipse Philonides, pro venenis *μεμαγμένον σκῶρ*. At hunc lusum, qui paucis versibus circumscriptus saltationis caussa fictus esse videtur, non magis parodiam habere poteris, quali usa est comoedia media, quam alterum ibid. 310 sq., ubi Chorus se Ulyssis personam acturum dicit, qui Circen, quam Cario imitatur, ferociter aggressus sit. Sunt enim allegoriae quaedam lepidae, alias quoque Aristophani usitatae, quae a parodia, quam media comoedia usurpavit, prorsus abhorrent. Sic iam in Vespp. 180 sq. lusum similem habes, quo idem Ulysses Homericus ex arietis alvo suspensus, quum Cyclopem effugeret, eiusque nomen *οὔτις*, quod eundem deceperat, in allegoriam trahitur. Quis est autem, qui Vespas ad mediae comoediae ingenium factas esse affirmare audeat? Similiter alias iocatur, ut de se ipso et sua fabula Nubb. 534:

νῦν οὖν Ἠλέκτραν κατ' ἐκείνην ἥδ' ἡ κωμῳδία
ζητοῦσ' ἦλθ', ἤν πουπιτύχῃ θεαταῖς οὕτω σοφοῖς.
γνώσεται γάρ, ἤν περ ἴδῃ, τἀδελφοῦ τὸν βόστρυχον.

Ab initio quidem, quum aliis interpretibus adhuc crederem, Plutum ad mediam comoediam pertinere, et sedule circumspicerem investigaturus, quem poëtam Aristophanes lusisset, in rebus longe aliis me parodiam illam observasse opinabar. Euripidem fuisse, non bonum Homerum, quem ludificatus sit, non opus erat vates Thebanus, qui auguraretur. Eius enim Ionem paullo ante Plutum editam iocosi lusus ansam dedisse, indicia manifesta me reperisse putabam. Ut apud Euripidem Xuthus exit Apollinem consulturus de prolis spe, sic in Pluto Chremylus proficiscitur Apollinem consulturus de filii educatione; ut apud Eurip. Apollo Xuthum iubet, eum filium habere, in quem incidat templum relicturus, ita Chremylus et hic iubetur, eum sequi, in quem incidat templo exiturus. Ut vero haec sibi sunt simillima, ita cetera prorsus discrepant. Ergo in his non risit Euripidem? Risit vero. At haec cavillatio, Aristophani ubivis familiaris, certe diversa est a more isto mediae comoediae, quo poemata quaedam ita transformabantur, ut *παρῳδίαι* dicerentur. Brevis autem adsimilatio, quam significavi, nullo alio consilio facta est, nisi ut, id quod in omnibus fabulis fieri videmus, fucum Euripidis sale comico per-

stringeret. Quis est enim, qui Ionis initium accuratius consideratum cum Aristophane non rideat?

Quod denique in numeris Pluti fabulae Ritterus l. l. p. 32 sibi visus est invenisse mediae comoediae indicium, quum diceret hiatum, qui Plut. 87. 138. 1113 in vocibus οὐδὲ ἕν, μηδὲ ἕν, οὐδὲ εἷς commissus sit, antiquiores Atticorum Comicos evitasse et in ceteris Aristophanis comoediis frustra quaeri, id minus nihilo est. Idem enim hiatus occurrit Ran. 954 (Inv.) σαφὲς δ' ἂν εἶπεν οὐδὲ ἕν. Nil novi Aristophanem fecisse in Pluto, nihil saltem, quod ab antiquae comoediae indole abhorreret, Epicharmus et Crates docere debebant, quos pro paucitate versuum nobis relictorum illum hiatum saepius admisisse, Ritterus ipse recte vidit. cf. Etym. M. v. στατῆρες. et Athen. VI, p. 267. e., ubi Crat. versus: ἔπειτα δοῦλον οὐδὲ εἷς κεκτήσετ' οὐδὲ δούλην.

Sed haec hactenus. Ut enim revertar, unde tota disputatio profecta est, me non solum satis multa protulisse arbitror, e quibus pateat Plutum superstitem esse posteriorem et ad comoediam pertinere veterem, sed etiam ea refutasse, quibus confisi hanc fabulam ad mediam comoediam relegatam voluerunt alii.

Scribebam mens. April. MDCCCXXIX.

Bernardus Thiersch.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Quanquam non levi brachio versatus est in emaculandis speciminibus typotheticis qui aerumnosum illum laborem in se suscepit, accidit tamen, ut menda nonnulla remanserint partim typothetarum socordiae partim scriptis schedis tribuenda. Graviora infra notata invenies.

In Prolegomenis. p. XL.

Codicum Ambrosianorum descriptionem a Dr. Ferd. Hauthalio magnae spei viro factam *), qui Horatii caussa Italiam et Galliam peragrat, E. Hechtius V. C. nuper in patriam reversus ad me pertulit.

Nr. 222. Cod. chartac. form. max. fol. CCCLXII. Ad secul. XIV. pertinere videtur. Nonnulla iam collata esse, ex notis proficiscitur. Notae aliq. rubr. factae inveniuntur, passim facillimae ad legendum. Scholia adsunt crebra.

Continet:

Partem trag. Sept. c. Theb. Aeschyli.
Persas eiusdem.
Aristophanis Plutum.
— — Nubes.
— — Ranas.
Hesiodi scut. Hercul.
Pindari Hymn. XII.
Hesiodi oper. et dies.

*) Quot et quam praeclaros antiquitatis thesauros Italia nobis occultet, quum aliunde notum est, tum inde denuo percipi potest, quod Hauthalius V. D. scribit, se Mediolani XIII codices Horatii reperisse adhuc plane incognitos eorumque aliquot praestantissimos.

In notis criticis.

Criticorum lex, ut varietas lectionis prima sede collocata notas librorum post se habeat, magnam quae efficit perspicuitatem, in prima fabulae huius parte usque ad v. 440 a me non diligenter servata est, quia iste notarum fasciculus scribi coeptus est, quo tempore aliorum incuria deceptus opinabar, nihil referre, qui ordo teneretur. Monendum hoc fuit, ne quis codici alicui lectionem tribuat, quae alius libri sit; monitus vero errare nequit. Ubi enim librorum signa praecedunt, quae sequantur lectiones, eas ad illos pertinere, nunc facile intelligitur. In altera Pluti parte legem meliorem non deserui.


p. 58 ad v. 303 excidit: σκῶρ Cant. 3. 4. edd. vett.
p. 60 ad v. 345 excidit *Pors.* post ἀνύσας.
p. 101 lin. 14. Pro ξυλησάμενοι, quae nulla vox est, pone αὐτά γε συλησάμενοι.
p. 158 ad v. 765 lege *offendit* pro *defendit.*
ibid. ad v. 766 lege *quia* pro *qui.*
p. 204 ad v. 998 adde: pariter ἔτι et ἐπί commutantur Ran. 619.

In interpretationibus.

p. 10 colum. 1 lin. 12. Adde: de servor. poenis vid. Xenoph. Mem. II. 1. 16. Nostr. Ran. 617.
p. 25 col. 2 lin. 10. Corrige: Formula haec valet: *et dicto eventum facient dii*, vel: *et vera praesagio.* Id certe apparet ex Herodot. VI. 86. τῷ δὲ Κροίσῳ ἑστεῶτι ἐπὶ τῆς πυρῆς εἰσελθεῖν τὸ τοῦ Σόλωνος, ὥς οἱ εἴη σὺν θεῷ εἰρημένον, τὸ „Μηδένα τῶν ζωόντων εἶναι ὄλβιον.“
p. 51 col. 1 lin. 11 lege ἐκ pro ἐ.
p. 58 col. 2 lin. 20 scribe *Philoetio.*
p. 63 col. 1 lin. 14 scribe *adiutor.*
p. 102 lin. 30. Dele vocem *Mutatio* cum linea sequente.
p. 127 col. 2 lin. 20 adde: vel Eurip. Suppl. 818 ὦ πόλις Ἀργεία, τὸν ἐμὸν πότμον οὐκ ἐσορᾶτε.
p. 156 col. 2 lin. 24 lege: *ubi cavendum.*
p. 205 col. 1 infra. Adde de proverb. πάλαι ποτ' ἦσαν etc. Eustath. p. 1358, 6 sq.

Vitia typothetica quae in Commentationem de Aristophanis Vita irrepserunt in fine illius Commentationis indicabuntur.

ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΠΛΟΥΤΟΣ.



ΤΑ ΤΟΥ ΔΡΑΜΑΤΟΣ ΠΡΟΣΩΠΑ.

ΚΑΡΙΩΝ δοῦλος, πιστὸς μὲν Χρεμύλῳ τῷ δεσπότῃ ὑπαρηγῶν, ἀλλὰ καὶ κλέπτης πανοῦργος καὶ φεναχιστὴς ἐπίτριπτος. δευτεραγωνιστεῖν φαίνεται.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ πρεσβύτης μὲν πλάττεται ἄγροικος καὶ πένης, ἐπιθυμούμενος πλουτεῖν καὶ ἄλλους πλουτίζειν, ἄλλως δὲ ἀνὴρ χρηστὸς καὶ ἁπλοῦς. πρωταγωνιστεῖ.

ΠΛΟΥΤΟΣ τὸ μὲν σχῆμα εἰσάγεται λακωνίζων αὐχμώδης καὶ γέρων μισάνθρωπος, ὡς ὑπὸ Διὸς φθονήσαντος τυφλωθείς.

ΧΟΡΟΣ ΓΕΡΟΝΤΩΝ τοῦ Χρεμύλου δημοτῶν ῥυπώντων, κυφῶν, ἀθλίων, ῥυσῶν καὶ νωδῶν, οἳ Καρίωνι καλέσαντι προθύμως ἕπονται βακτηρίαις ἐρειδόμενοι, ὥστε τοῦ Πλούτου μετέχειν. τὸ εἶδος οὖν λακωνίζοντες.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ εἷς τῶν χαλεπῶν φίλων, οἳ φαίνονται παραχρῆμα, ὅταν εὖ τις πράττῃ, παράσιτος μὲν καὶ κόβαλος τοῦ κέρδους ἥττων. ὑπηρέτης γὰρ ἦν τῶν τὰ δημόσια ἐνεργούντων. [φίλος Χρεμύλου. Cod. Mon.]

ΠΕΝΙΑ ἧς οὐδαμοῦ οὐδὲν πέφυκε ζῶον ἐξωλέστερον, ὡς αὐτός φησιν ὁ Κωμικός, τὴν ὄψιν ὠχρὰ καὶ ὡς Ἐριννὺς βλέπουσα μανικόν τι καὶ τραγῳδικόν. μάτην διδάσκει ἑαυτὴν πάντων τῶν ἀγαθῶν τοῖς ἀνθρώποις αἰτίαν εἶναι.

ΓΥΝΗ ΧΡΕΜΥΛΟΥ σκώπτεται μὲν ὡς μεθύουσα, ἄλλως δὲ ἀδιάφορος.

ΔΙΚΑΙΟΣ πρότερον μὲν ἀνὴρ ἄθλιος καὶ αἰσχρῶς ἐξαπατηθεὶς ὑπὸ τῶν φίλων, νῦν δὲ Πλούτου τὴν ὄψιν ἀναλαβόντος εὐτυχής, τὰ τριβώνιον καὶ τὰ ἐμβάδια ἔρχεται ἀναθήσων τῷ θεῷ χαριζόμενος.

ΣΥΚΟΦΑΝΤΗΣ πολυπραγμονῶν, τῶν τῆς πόλεως πραγμάτων καὶ τῶν ἰδίων ἐπιμελητής, εἰσάγεται μὲν νῦν κακῶς πράττων καὶ διὰ τὸν Πλοῦτον ἀναβλέψαντα ἅπαντα τὰ ἐκ τῆς οἰκίας ἀπολωλεκώς, πάρεστι δὲ τὸν θεὸν αὖθις τυφλώσων καὶ τὸν Χρεμύλον κατηγορήσων κλέπτην, ὡς παρ' ὑπόνοιαν πλουτήσαντα.

ΓΡΑΥΣ δεινὰ παθοῦσα ἀφ' οὗ ὁ Πλοῦτος ἤρξατο βλέπειν. νεανίσκος γὰρ πενιχρὸς μὲν εὐπρόσωπος δὲ καὶ καλός, πρότερον φιλήσας αὐτὴν νῦν δὲ πλούσιος γενόμενος ἀφῆκεν. διὸ καὶ καταβοᾷ τοῦ Πλούτου.

ΝΕΑΝΙΑΣ καλῶς ἐπιστάμενος τὰ τῆς γραὸς καπρώσης ἐφόδια κατεσθίειν, ἕως πένης ἦν, πλουτῶν δὲ τὴν ἀρχαίαν φίλην καὶ πολιὰν ἀπολείπει ὑβρίζων καὶ δεινῶς σκώπτων.

ΕΡΜΗΣ τῶν ἀνθρώπων οὐκέτι θυόντων πεινῶν καὶ κακῶς πράττων αὐτομολεῖ πτωχὸς ἐλθὼν πρὸς τὸν Καρίωνα Ἐναγώνιος γενησόμενος, ἀπολιπὼν τοὺς θεοὺς ὁμῶς ἀποτετριμμένους.

ΙΕΡΕΥΣ ΔΙΟΣ ἀφ' οὗ Πλοῦτος βλέπει οὐκ ἔχων καταφαγεῖν, ὡς οὐδενὸς ἀξιοῦντος ἔτι θύειν, καὶ παρὰ Χρεμύλῳ μένειν βουλόμενος, καίριος ἐλθὼν ἀποδείκνυται Πλούτου ἱερεύς.

Ἰστέον [1]) δὲ ὅτι τὰ τοῦ δράματος πρόσωπα πεπλασμένα εἰσὶ παρὰ τοῦ ποιητοῦ. Χρεμύλος γὰρ ἀπὸ τοῦ χρέος [2]) καὶ

1) Sumta haec ex hypothesi edd. Kust. Hemsterh. et edd. vett.

2) Istam etymologiam ridens Hemst., nomen Chremyli derivat a χρέμος, unde χρεμετὸν et χρεμετίζω. Grammaticus fortasse aptius cogitavit hominem lucri callide cupidum (χρέος — αἱμύλος). Aesch. Prometh. 205. coll. 213. αἱμύλας δὲ μηχανὰς ἀτιμάσαντες. Etenim nomen si fictum est, ad personae mores fingi debebat. cf. Donat. ad Terent. Adelph. I. 1. 1.

αἰμύλῳ, τὸ ἀπατῶ, εἴρηται ὁ ἀπατῶν δηλαδὴ τοὺς Χρεωφειλέτας [3]) διὰ πενίαν. καὶ τὸ Καρίων ἐξελληνιζόμενον τὸν δοῦλον δηλοῖ. Κᾶρες γὰρ οἱ δοῦλοι. ὅθεν καὶ παροιμία· ἐν Καρὸς αἴσῃ [4]), ἤτοι ἐν δούλου τάξει. καὶ τὸ Βλεψίδημος δέ, ἤτοι πτωχὸς ὁ βλέπων ἀεί ποτε εἰς τὸν δῆμον.

3) Edd. Iunt. 2. Crat. Ven. 1. 2. Wechel. Canin. Raphel. et Hemsterh. exhibent χρεοφειλέτας.

4) Vulgo ἐν Καρὸς ἄτῃ. Correxit Hemst. Quomodo proverbium hoc, ex Homer. Il. IX. 378. ortum, scholiasta intellexerit, id quidem patet; quid Homerus voluerit, adhuc non satis liquet. cf. Heynii Observat. ad Homer. Il. T. V. p. 603. sq. De simili locutione ὥσπερ ἐν Καρί Plat. Euthyd. p. 344. cf. Heind. not. —

ΘΩΜΑ ΤΟΥ ΜΑΓΙΣΤΡΟΥ ΥΠΟΘΕΣΙΣ.

Βουλόμενος Ἀριστοφάνης σκῶψαι τοὺς [1]) Ἀθηναίους ἀδικίᾳ καὶ συκοφαντίᾳ καὶ τοῖς τοιούτοις συνόντας, καὶ διὰ τοῦτο πλουτοῦντας, πλάττει πρεσβύτην τινὰ γεωργὸν Χρεμύλον τοὔνομα, δίκαιον μὲν ὄντα καὶ τοὺς τρόπους χρηστόν, πένητα δὲ ἄλλως· ὃς μετά τινος αὐτῷ θεράποντος ἐλθὼν εἰς Ἀπόλλω, ἐρωτᾷ [2]) περὶ τοῦ ἰδίου παιδός, εἰ χρὴ τουτονὶ τρόπων χρηστῶν ἀμελήσαντα ἀδικίας ἀντιποιεῖσθαι καὶ ταὐτὰ τοῖς ἄλλοις ἐπιτηδεύειν· ἐπειδήπερ οἱ μὲν τοιοῦτοι ἐπλούτουν, οἱ δὲ τὰ ἀγαθὰ πράττοντες πένητες ἦσαν, καθάπερ αὐτὸς οὗτος ὁ Χρεμύλος. ἔχρησεν οὖν αὐτῷ ὁ θεὸς σαφὲς μὲν οὐδέν· ὅτῳ δὲ ἐξιὼν ἐντύχοι [3]), τούτῳ ἕπεσθαι. καὶ ὃς γέροντι ἐντυγχάνει τυφλῷ, ἦν δὲ οὗτος ὁ Πλοῦτος, καὶ ἀκολουθεῖ κατὰ τὰς μαντείας, μὴ εἰδὼς ὅτι ὁ Πλοῦτός ἐστι [4]). δυσχεραίνων δὲ ἐπὶ τούτῳ [5]) καθ' ἑαυτὸν ὁ θεράπων, μόλις αὐτὸν ἐρωτᾷ τίνος ἕνεκα τούτῳ ἀκολουθοῦσι. καὶ ὁ Χρεμύλος αὐτῷ λέγει τὴν μαντείαν. ἔπειτα μανθάνουσι παρ' αὐτοῦ τοῦ [6]) Πλούτου ὅστις ἐστὶ καὶ ὅτου χάριν τυφλὸς ἐγεγόνει παρὰ τοῦ Διός. οἱ δὲ ἀκούσαντες ἥσθησάν τε καὶ βουλὴν ἔσχον [7]) ἀπαγαγεῖν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ καὶ τὴν τῶν ὀφθαλμῶν θεραπεῦσαι πήρωσιν. καὶ ἵνα τὰ ἐν μέσῳ παρῶ, τάς τε τοῦ Βλεψιδήμου ἀντιλογίας καὶ τῆς Πενίας αὐτῆς, ἀπήγαγόν τε αὐτὸν ὅτι τάχιστα καὶ ὑγιᾶ ἐπανήγαγον οἴκαδε, ἐπλούτησάν τε ἱκανῶς οὐκ αὐτοὶ μόνοι [8]), ἀλλὰ καὶ ὅσοι βίου χρηστοῦ πρόσθεν ἀντεχόμενοι πένητες ἦσαν.

1) τοὺς ad Ἀθηναίους addidit Brunck. ex 2 codd. B. et suo. Consent. Monac.

2) Cod. Monac. ἐρωτῶσι, ad utrumque referens.

3) ἐντύχῃ Cod. Monac. Ald. et Iunt. 2.

4) μὴ εἰδὼς ὅστις οὗτός ἐστι. Ald. et Monac. Haud male, quia nomen Pluti antecedit.

5) Edd. antiqq. ἐπὶ τοῦτο. Emendavit Kusterus. Consent. Monac.

6) τοῦ ad Πλούτου ex codd. cum Kust. adiecit Brunck. In Ald. et Iunt. 2. legitur: παρ' αὐτοῦ Πλοῦτος ὅστις.

7) Vulgatum βουλὴν ἔσχον, quod est Graecitatis inferioris, Brunckius immerito mutavit in βουλὴν ἐβουλεύσαντο.

8) Cum Kust. et Hemster. servavi lect. antiq. αὐτοὶ μόνοι. Brunck. Invern. Bo. et Dind. leg. αὐτοὶ μόνον.

ΑΛΛΗ ΥΠΟΘΕΣΙΣ.

Πρεσβύτης τις Χρεμύλος πένης ὢν καὶ ἔχων υἱὸν κατανοήσας, ὡς οἱ φαῦλοι ποτηνικαῦτα εὖ πράττουσιν, οἱ δὲ χρηστοὶ ἀτυχοῦσιν, ἀφικνεῖται εἰς θεοῦ χρησόμενος, πότερον τὸν παῖδα σωφρόνως ἀναθρέψειε, καὶ ὅμοιον ἑαυτῷ τοὺς τρόπους διδάξειεν — ἦν γὰρ οὗτος χρηστός — ἢ φαῦλον, ὡς τῶν φαύλων τότε εὐπραγούντων. ἐλθὼν οὖν εἰς τὸ μαντεῖον, περὶ μὲν ὧν ἤρετο οὐδὲν ἤκουσεν· προστάττει δὲ αὐτῷ, ᾧτινι πρῶτον ἐξιὼν συντύχῃ [1]) ἀκολουθεῖν.

Ταῦτα διατελεῖ τρίτη ἔτι ὑπόθεσις ἥδε·

καὶ [2]) δὴ τυφλῷ καὶ γέροντι συντυχὼν εἵπετο πληρῶν τὸν χρησμόν. ἦν δὲ Πλοῦτος οὗτος. ὕστερον δὲ προσδιαλεχθεὶς αὐτῷ εἰσάγει εἰς Ἀσκληπιοῦ, ἰασόμενος αὐτὸν τῆς πηρώσεως, καὶ οὕτω πλούσιος γίνεται. ἐφ' ᾧ δυσχεράνασα ἡ Πενία παραγίνεται λοιδορουμένη τοῖς τοῦτο κατορθώσασι, πρὸς ἣν καὶ διάλογος οὐκ ἀφυὴς γίνεται, συγκρινομένων τῶν φαύλων τῆς Πενίας καὶ τοῦ Πλούτου ἀγαθῶν ὑπὸ Βλεψιδήμου καὶ Χρεμύλου. πολλῶν δὲ [3]) ἄλλων ἐπεισρεόντων ἐν τῷ ὀπισθοδόμῳ τῆς Ἀθηνᾶς ἀφιερώσαντο Πλούτου ἰνδάλματα. Τὰ μὲν οὖν τῆς ὑποθέσεως τοιαῦτα.

Προλογίζει δὲ θεράπων δυσχεραίνων πρὸς τὸν δεσπότην, ὅτι τυφλῷ καὶ γέροντι κατακολουθεῖν οὐκ ᾐσχύνετο.

1) Kust. leg. συντύχοι.

2) Initium huius argumenti, quod praecedentia fere ad verbum iterat, omitti debebat.

3) Vulgo πολλῶν τε sine interpunctione ante πολλῶν; quod fabulae repugnare editores recent. non viderunt. Kusterus primus correxit πολλῶν δέ.

ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΟΥ ΥΠΟΘΕΣΙΣ ΔΙ' ΙΑΜΒΩΝ.

Μαντεύεται δίκαιος ὢν τις καὶ πένης,
εἰ μεταβαλὼν πλούτου τυχεῖν δυνήσεται.
ἔχρησεν ὁ θεὸς συνακολουθεῖν ᾧπερ ἂν
ἀνδρὶ περιτύχῃ. Πλοῦτος δ' ὀπτάνεται τυφλός.
γνοὺς δ' αὐτὸν ἤγαγεν οἴκαδ', ἄλλους δημότας
καλέσας μετασχεῖν· εἶθ' ὑγιάσαι τὰς κόρας
ἔσπευδον, εἰς Ἀσκληπιοῦ δ' ἀπῆγον· ἡ δ'
ἄφνω [παροῦσ' ἄγειν] Πενία διεκώλυσεν.
ὅμως ἀναβλέψαντος αὐτοῦ, τῶν κακῶν
οὐδεὶς ἐπλούτει, τῶν δ' ἀγαθῶν ἦν τἀγαθά.

Ἐδιδάχθη [τὸ δρᾶμα] ἐπὶ ἄρχοντος Ἀντιπάτρου, ἀνταγωνιζομένου αὐτῷ Νικοχάρους μὲν Λάκωσιν, Ἀριστομένους δὲ Ἀδμήτῳ, Νικοφῶντος δὲ Ἀδώνιδι, Ἀλκαίου δὲ Πασιφάῃ. Τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι, καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα δι' αὐτῆς τοῖς θεαταῖς βουλόμενος, τὰ ὑπόλοιπα δύο δι' ἐκείνου καθῆκε, Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα.

v. 4. Kust. περιτύχοι. Post Πλοῦτος δ' reposui ex edd. Ald. Iunt. 2. Ven. 1. 2. Canin. et Raph. — Pes quartus sic restitui potest: Πλοῦτος δὲ φαίνεται τυφλός. v. 3 et 4. Both. corrigendo plane alios fecit.

v. 8. Verba παροῦσ' ἄγειν sunt Hemsterhusii, qui tamen sic scribi iubet: ἄφνω δὲ παροῦσ' ἡ Πενία διεκώλυσ' ἄγειν. Kust. vult: ἄφνω δὲ τούτους ἡ Πενία διεκώλυσεν. Apud dramaticos poetas penultima certe producitur. cf. Eurip. Hecub. 145. Sin formam διεκώλυσεν in versus fine Alexandrinus probavit, equidem malim:

— ἀπήγαγον,
ἡ δ' ἐξαπίνης ἄγειν Πενία διεκώλυσεν.

Quare non opus fuit, ut Both. scriberet διεκώλυεν.

v. 17. καθῆκε, h. e. ἐδίδαξε i. εἰσήγαγε. τὰ γὰρ δράματα, ἤτοι τὸν Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα, τὸν υἱὸν εἴασε διδάσκειν.

ΠΛΟΥΤΟΣ.

ΚΑΡΙΩΝ. ΧΡΕΜΥΛΟΣ. ΠΛΟΥΤΟΣ. ΧΟΡΟΣ.

ΚΑΡΙΩΝ.

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστίν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί,
δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.
ἢν γὰρ τὰ βέλτισθ' ὁ θεράπων λέξας τύχῃ,
δόξῃ δὲ μὴ δρᾶν ταὐτὰ τῷ κεκτημένῳ,

v. 3. τὰ omis. Ven. 2. — 4. Codd. Dorv. Cant. 3. 4. Ask. et tres Brunckii *ταυτὰ*, quam lectionem pervetustam iam scholiasta reprehendit. Ceteri libb. msc. et edd. omnes *ταῦτα*, quod necessarium esse putant, quia ad *βέλτιστα* respiciat. Mihi aliter videtur; nam hic verborum nexus: *καὶ ἢν ὁ θεράπων δόξῃ μὴ τὰ αὐτὰ δρᾶν τῷ δεσπότῃ*, quem nemo editorum vidisse videtur, certe concinnior est, quod in protasi duplici pro duobus unum restituit subiectum, in sequentibus adeo continuatum. Ceterum et sensus melior: *de servo male agitur, si, quod dominus facit, idem non putat sibi faciendum, quamvis optime suaserit.* Non enim intelligo, cur de servo actum sit, si eius bona consilia dominus spreverit. Id vero vult altera lectio.

v. 1. *Ὁρῶν ὁ Καρίων τὸν ἑαυτοῦ δεσπότην Χρεμύλον μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τοῦ μαντείου τυφλῷ ἀνδρὶ ἑπόμενον, σχετλιάζων καὶ δυσφορῶν λέγει τοῦτο.* Schol. Thom. Mag. ex codd. Monac. et Paris. — *ὦ Ζεῦ καὶ θεοί*, intell. *ἄλλοι*, ut infra 895. vel *πάντες*, quae formula apud oratores et in diverbiis occurrit, nec a philosophorum dialogis aliena est. Demosth. p. Phorm. extr. *νὴ τὸν Δία καὶ θεοὺς ἅπαντας.* id. in Lept. §. 34. Plat. Protag. p. 310. d. *εἰ γὰρ ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ ἐν τούτῳ εἴη.* Xen. Cyr. II. 2. 10. — *παραφρονοῦντος δεσπότου*, simil. Nubb. 846. *παραφρονοῦντος τοῦ πατρός.* coll. 819. ibid. et Pac. 54. Sophocl. Electr. 472. *εἰ μὴ 'γὼ παράφρων μάντις ἔφυν, καὶ γνώμας λειπομένα σοφᾶς.* Schol. interpr. *παρὰ τὸ εἰκὸς φρονεῖν* *male sapere*, ut infra 504. *παραπαίειν καὶ ληρεῖν*, et *παραγνῶναι* *perverse statuere* Xen. Mem. I. 1. 17.

4. *τῷ κεκτημένῳ*, de hero, ut *ἡ κεκτημένη* de hera, Ecclesiaz.

μετέχειν ἀνάγκη τὸν θεράποντα τῶν κακῶν.
τοῦ σώματος γὰρ οὐκ ἐᾷ τὸν κύριον
κρατεῖν ὁ δαίμων, ἀλλὰ τὸν ἐωνημένον.
καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. τῷ δὲ Λοξίᾳ,
ὃς θεσπιῳδεῖ τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου,
μέμψιν δικαίαν μέμφομαι ταύτην, ὅτι
ἰατρὸς ὢν καὶ μάντις, ὥς φασιν, σοφός,

11. ὥς φασίν Pors. cum cod. Dorv. ὥς φασι omisso ν cod. Monac. edd. Ald. Iunt. 1. 2. 3. Ven. 2. Wech. Crat. Can. Brub. Raph. Port.

1161. (Dind.), ὁ ἀνὴρ τῆς ἐμῆς κεκτημένης. Pariter infr. 7. ὁ ἐωνημένος. cf. Bernhardy. Wissenschaftl. Synt. p. 316. Hinc quae domino sunt, κτήματα Eustath. p. 685, 31. coll. 999, 17. et 1447, 6., quibus et servus annumeratur, nisi quod hic fuit, ut cum Aristot. Pol. I. 4. loquar, κτῆμα ἔμψυχον, quasi *supellex animata*. De construct. verb. δοκεῖν cf. infr. 1065. — τῶν κακῶν, πληγῶν. Schol.

6. τοῦ σώματος τὸν κύριον κ. λ. Sic Xenoph. Mem. I. 4. 9. ψυχὴ τοῦ σώματος κυρία. De sensu Aristot. Eth. I. 34. τοῦ δεσπότου ὁ οἰκέτης. ut ne sui corporis quidem habeat potestatem. Eurip. Med. 235. ἃς δεῖ πόσιν πρίασθαι δεσπότην τε σώματος. — οὐκ ἐᾷ ὁ δαίμων, non *fatum*, nec *fortuna*, ut vulgo accipiunt; sed *genius iste*, quem Socrates homini cuique, simulac natus sit, adesse eiusque sortem moderari fecit. Menand. ap. Clem. Alexandr. Strom. V. p. 727. ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαραστατεῖ εὐθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου. cf. Plat. d. Rep. p. 617. et Phaed. p. 107. d. ὁ ἑκάστου δαίμων, ὅσπερ ζῶντα εἰλήχει. κ. λ. — τὸν ἐωνημένον, cf. v. 4. Dicendum fuit ὠνησάμενος. At schol. recte notat: διχῶς εὕρηται καὶ ἐπὶ τοῦ μὲν ἠγορακότος, ὡς ἐνταῦθα· ἐπὶ δὲ τοῦ ἠγορασμένου. Passive enim ponitur Xen. Mem. II. 7. 12. ἐωνήθη δὲ ἔρια, quod fieri negabat Passow. Lex. h. v. Alia e Xenoph. exempla citata vid. ap. Sturz.

8. καὶ ταῦτα μὲν δ. τ. Sic Aeschyl. Prometh. 500. τοιαῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Sophocl. Elect. 696. (657.) καὶ ταῦτα μὲν τοιαῦτα. Plat. Crit. ab init. ἔστι ταῦτα. Transitionis formula, σχῆμα ἀποθετικὸν τῆς πρώτης διανοίας. καὶ ταῦτα μὲν δὴ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον. Schol. cf. Viger. p. 176. (ed. Herm.) — τῷ δὲ Λοξίᾳ, ut iam scholiastae placuit: τῷ Ἀπόλλωνι λοξὰ μαντευομένῳ. Etiamsi vocis derivatio sit varia, Carioni tamen eiusque moribus bene haec convenit. Sic adeo Eurip. Orest. 275. Λοξίᾳ δὲ μέμφομαι, ὅστις μ' ἐπάρας ἔργοις ... εὔφρανε τοῖς μὲν λόγοις, τοῖς δ' ἔργοισιν οὔ. Ergo Apollo, cuius vaticinia ita sunt flexiloqua et obscura, ut interpres novo egeat interprete. cf. Cic d. Divin. II. 56. Eustath. p. 794, 54.

9. τρίποδ. ἐκ χρυσηλ. quem, ut fabula est, piscatores Milesii retibus fortuito captum Apollini dicavere, cum priores tripodes fuissent aerei. Quare epitheto huic falso putant subesse aliquid supra soccum comicum, quod scholiasta sub θεσπιῳδεῖ latere rectius vidit. Sic Sophocl. Oed. Tyr. 1268. εἱμάτων χρυσήλατοι περόναι. coll. Trachin. 926. et Eurip. Iphig. Aul. 1565. κανοῦν χρυσήλατον. coll. Med. 948. At θεσπιῳδεῖν et θεσπίζειν, quod Sophocli usitatius est, τραγικεύεται (Schol.). Eurip. Ion. 7. Φοῖβος

μελαγχολῶντ' ἀπέπεμψέ μου τὸν δεσπότην·
ὅστις ἀκολουθεῖ κατόπιν ἀνθρώπου τυφλοῦ,
τοὐναντίον δρῶν ἢ προσῆκ' αὐτῷ ποιεῖν.
οἱ γὰρ βλέποντες τοῖς τυφλοῖς ἡγούμεθα·
οὗτος δ' ἀκολουθεῖ, κἀμὲ προσβιάζεται,
καὶ ταῦτ' ἀποκρινομένου τὸ παράπαν οὐδὲ γρύ.
ἐγὼ μὲν οὖν οὐκ ἔσθ' ὅπως σιγήσομαι,

12. *μελαγχολῶν τ'* edd. Ald. Iunt. 2. — *μοι.* coni. — 13. *ὅστις δ' ἀκολουθεῖ* cod. Dorv. advers. metr. *ἀκολουθεῖν* Cant. 3. *ὅς τις* edd. Ald. Iunt. 1. 2. 3. Crat. Ven. 2. Wech. Canin. Brub. Raph. Port. probante Beckio. — 14. *ποεῖν* sic Dobraeus, Porsone docente, ubi prima syllaba corripitur, ut 116. 118. etc. — 17. *ἀποκρινομένῳ* cod. Rav., quod Invern. Dind. et Bo. receperunt. *ἀποκριναμένου* Cant. 4. Bentleius ingeniose coniecit *ἀποκρινόμενος*, idque Porson, ut exspectandum fuit, tuitus est. Ceteri libri omnes *ἀποκρινομένου*.

ὑμνῳδεῖ βροτοῖς, τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα θεσπίζων ἀεί. coll. Sophocl. Antig. 1054. 1091. Trachin. 1133. Phil. 610. 1425. Oed. Col. 388. 1428. 1516. (ed. Elms.) *θεσπιῳδὸς Κασσάνδρα* Eurip. Hec. 673.

11. *ἰατρὸς ὢν κ. μ.* (alias *παιών*) Apollo hic ex arte medica significatur, quod Chremylum, cum tamen esset medicus, aegrotum dimisit, animi nimirum vitio aegrotantem. *ὅτι ἔδει ὡς ἰατρὸν νοσοῦντα δεσπότην θεραπεῦσαι, ἀλλὰ μὴ εἰς μανίαν μᾶλλον κινῆσαι.* Schol. Alias *ἰατρός* et *μάντις* coniunctim quoque dicitur *ἰατρόμαντις*, ut Aeschyl. Eum. 62. — *μελαγχολῶντα*, ut infr. 362., furore ex atrae bilis redundantia laborare, quae morositatis et delirii fons habebatur. *τὸ γὰρ χολᾶν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς τὸ μαίνεσθαι.* Schol. *παρὰ δὲ τοῖς κοινοῖς τὸ θυμοῦσθαι.* addit Moeris. Nubb. 834. *εἰς τοσοῦτο τῶν μανιῶν ἐλήλυθας, ὥστ' ἀνδράσι πείθει χολῶσιν.* De *μελαγχολᾶν* cf. infr. 362. 900. — *ἀπέπεμψέ μου τὸν δεσπ.* In his *μοῦ* friget. Facile se commendat *μοί*, quo sexcenties poeta utitur in sermone familiari. Accedit, quod *μοί* et *μοῦ* nonnumquam miscentur, ut Lysistr. 202.

13. *ἀκολουθεῖ κατόπιν*, ut infr. 753. *a tergo sequi s. pone sequi;* ita et *κατόπιν ἕπεσθαι* infr. 1207. coll. 1091., quibus opponuntur *ἡγεῖσθαι* et simil. — *τοὐναντίον ἢ προσῆκεν. aliud, quam quod decuit.* Loquendi ratio satis vulgaris, de qua vid. Heind. ad Plat. Phaed. §. 105. et 148. *τὴν ἐναντίαν ἐγγύην ἢ ἣν ἠγγυᾶτο.* Cum Genit. vid. infr. 487. 1201. cum Dat. 1044.

15. *ἡγούμεθα.* Hom. Od. *η.* 37. *ἡγήσατο Παλλὰς Ἀθήνη, ὁ δὲ μετ' ἴχνια βαῖνε θεοῖο.* Ergo *praeire s. viae ducem esse*, ut infr. 298. Simil. *ἡγεμονεύειν* Hom. Od. *θ.* 2. et *ἡγηλάζειν ρ.* 217.

17. *ἀποκρινομένου*, quae lectio in codd. omnib., excepto solo Rav., exstat et vulgo pro Genit. absol. sumitur, quem Boissonad. ad Plutum, ceteri ad Chremylum referendum esse censent. Utraque structura dura est, altera, quod Nominat. *οὗτος* praecedit, altera, quod desideratur pronomen. Possit hic locus sic expediri, ut *καὶ ταῦτα* hic non valeat *et quidem;* quum et haec constructio non esset contemnenda: *καὶ*

ἢν μὴ φράσῃς, ὅ τι τῷδ' ἀκολουθοῦμέν ποτε,
ὦ δέσποτ', ἀλλά σοι παρέξω πράγματα.
οὐ γάρ με τυπτήσεις στέφανον ἔχοντά γε.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

μὰ Δί' ἀλλ' ἀφελὼν τὸν στέφανον, ἢν λυπῇς τί με,
ἵνα μᾶλλον ἀλγῇς.

ΚΑΡΙΩΝ.

λῆρος· οὐ γὰρ παύσομαι,
πρὶν ἂν φράσῃς μοι, τίς ποτ' ἐστὶν οὑτοσί.
εὔνους γὰρ ὢν σοι πυνθάνομαι πάνυ σφόδρα.

19. ὅτι coniunctim edd. Ald. Iunt. 1. 2. 3. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Canin. Brub. Raph. Port. et Pors., ut in cod. Monac. — τῷ δ' disiungunt Ald. Iunt. 1. Ven. 1. 2. Crat. Wech. Brub. Raph. — ποτὲ cum accent. Monac. — 20. δεσποτα plene et sine accent. Monac. — 23. ἀγῇς Iunt. 1. videtur error typograph. — 24. οὑτοσὶν Cant. 1. 3.

ταῦτά (scil. τὸ ἀκολουθεῖν et τὸ προσβιάζεσθαι) ἐστιν ἀνδρὸς οὐδὲ γρῦ ἀποκρινομένου. h. e. *et utrumque facit homo, qui responsum recusat.* Dativus, quem cod. Rav. habet, ad eundem Chremylum spectans cum tota enuntiatione hoc sensu nectitur: *et quidem eum ut sequar, qui mihi ne syllabam quidem respondet.* Bentleii coniectura omnes quidem removeret difficultates, sed, si scriptum fuit ἀποκρινόμενος, librarii tot, opinor, non aberrassent. Metro melius conveniret ἀποδόμενος, si quidem coniectura opus est. Adhibetur enim γρῦ etiam de nummulo; Cario fingitur ubivis habendi cupidus, et Chremylus etiamtunc omnium egenus. — οὐδὲ γρῦ. γρῦ et γρύζειν de suum grunnitu proprie dicitur: τινὲς δὲ παρὰ τὸν γρυλλισμόν, τουτέστι τὴν φωνὴν τῶν χοίρων. Schol. coll. Eustath. p. 1657, 8., quod transfertur ad indignabunde mussitantes, sive ore semiclauso murmurantes. cf. Pac. 97. et infra 450. 594. Accipitur haec vox et de *quavis re nihili*, varieque explicatur. vid. Hesych. I. p. 860. Albert. et Erasm. Adag. p. 674. et Suid.

18. οὐκ ἔσθ' ὅπως, οὐδαμῶς. Schol. coniungitur enim haec formula loco adverbii cum verbo, κατὰ περίφρασιν Ἀττικήν, ut schol. addit. Sic et infr. 51. — πράγματα παρέξω, ut Av. 1252 (Inv.) frequens formula, quae de iis usurpatur, qui aliis difficultates movent, aut eos instanter urgent. De hoste premente Xenoph. Hist. Gr. II. 4. ἀπιόντος αὐτοῦ προσέθεόν τινες καὶ πράγματα αὐτῷ παρεῖχον. ibid. paullo inferius: πολλὰ εἷς ἕκαστος τῶν λίθων πράγματα παρεῖχεν. et p. 310. l. 26. ed. Steph. ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι πράγματα εἶχόν τε καὶ παρεῖχον τοῖς ἐν τῷ ἄστει. Eadem signif. infr. 102. Hinc vides, locutionem hanc minime esse forensem, quam vulgo iudicant. Forensis est πράγματα ἔχειν, non παρέχειν, ut Xenoph. Mem. II. 9. 1.

21. στέφανον ἔχοντά γε, *me quippe coronatum.* Coronati domum redibant, quibus laeta obtigerant; quibus vero tristia nuntiata fuerant, vel redeuntibus adversi aliquid acciderat, ii coronas deponebant. Imprimis qui Apollinem consuluerant laurea corona redimiti domum redire soliti sunt et sacrosancti habebantur; ἔθος τὸν εἰς θεοὺς ἀπιόντα στεφανοῦσθαι καὶ ἀνεν-

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἀλλ᾽ οὔ σε κρύψω· τῶν ἐμῶν γὰρ οἰκετῶν
πιστότατον ἡγοῦμαί σε καὶ κλεπτίστατον.
ἐγὼ θεοσεβὴς καὶ δίκαιος ὢν ἀνὴρ
κακῶς ἔπραττον καὶ πένης ἦν.

ΚΑΡΙΩΝ.

οἶδά τοι.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἕτεροι δ᾽ ἐπλούτουν, ἱερόσυλοι, ῥήτορες
καὶ συκοφάνται καὶ πονηροί,

26. οὐ τὶ (sic) κρύψω cod. Rav., quod Invern. adeo in textum recepit. — 28. ἐγὼ γὰρ ὢν θεοσ. καὶ δίκ. ἀνὴρ Dorv.

θυνον εἶναι. Schol. h. l. ad Pac. 1048.

22. μὰ Δί᾽ οὐ μὲν ἐγὼ τυπτήσω σε στέφανόν γε ἔχοντα, ἀλλ᾽ ἀφελὼν τὸν στέφανον τυπτήσω σε, ἵνα μᾶλλον ἀλγῇς οὕτως, *ut eo gravius doleas.* Nam caput corona privatum ad vapulandum aptius. — λῆρος, h. e. λῆρον ληρεῖς, ut infr. 513., vel παῦσαι φλυαρῶν, ut 356. De rebus ineptis inf. 585. ut: *fabulae. logi.* Terent. Phorm. III. 5. 8. — οὐ γὰρ παύσομαι, scil. πράγματά σοι παρέχων.

25. πάνυ σφόδρα, quod genus locutionis dicunt ἐκ παραλλήλου. Similiter infr. 618. πάλιν αὖ, et Nubb. 969. (Inv.) αὖ πάλιν αὖθις. coll. 1368. ibid. Adverbia synonyma saepe cumulantur, ut ἐνθάδ᾽ αὐτοῦ infr. 1184. Porson comparat *forte temere* ap. I. Gronov. ad Liv. X. 43. *una simul* Terent. Heaut. V. 1. 30. *rursus denuo* Plaut. Poen. prol. 9. οὕτως ἔχει καὶ τὸ τυχὸν ἴσως. Schol. Utrumque vero adverbium refero ad πυνθάνομαι, non ad εὔνους, a quo nimis distant, quamvis interdum a verbo suo removeantur, ut 235. et alias. Cum servus vi nihil posset ab hero extorquere, subito simulavit benevolentiam et eam praetexuit causam enixe explorandi: οὕτω σφόδρα πυνθάνομαι, ὡς εὔνους ὤν σοι.

26. ἀλλ᾽ οὔ σε κρ., ut infr. 339. ἀλλ᾽ οὐδὲν ἀποκρύψας ἐρῶ μὰ τοὺς θεούς. Hom. Od. ψ. 265. αὐτὰρ ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ᾽ ἐπικεύσω. In sententiarum initiis ἀλλά modo est vivaciter loquentis, ut 363. 369. etc., modo exhortantis. ἔχει δύναμιν παρακελευσματικήν, idemque valet cum ἄγε, φέρε, εἶα, quae interdum adiiciuntur, ut 314. cf. et 428. 437. Quare cum ἀλλά exordiri potuit Xenoph. Sympos. et Tyrtaei carmen ἀλλ᾽, Ἡρακλῆος γάρ. κ. λ.

27. κλεπτίστατον, hic non *solertissimum* significat, sed *taciturnum* eumque *callide tacentem.* Sic κλέπτης ψηφοποιός Sophocl. Aiac. 1124. (Lobeck.) quod schol. reddit per δόλιος κριτής. cf. Eustath. p. 1061, 50. Quamquam nihil erat, cuius cognitionem alios Chremylus celare vellet; diu tamen tacuit et simulavit, se magnum nescio quid tacere. Nam κλέπτειν nonnumquam est *celare* aut *dissimulare*, ut Sophocl. Philoct. 58. At nihil impedit, quominus in superlativis hoc modo sibi oppositis et hunc sensum esse statuamus: *puto te non minus furtivum, quam fidum esse.* cf. 317. ἐγὼ δὲ λάθρα τοῦ δεσπότου βουλήσομαι λαβεῖν τιν᾽ ἄρτον. et 678. sq. Schol. notat: τὸ σχῆμα παρ᾽ ὑπόνοιαν, ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν εὐνούστατον, παίζων κωμικῶς. ἦν γὰρ ἔλπις συμφω-

ΚΑΡΙΩΝ.

πείθομαι.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἐπερησόμενος οὖν ᾠχόμην ὡς τὸν θεόν,
τὸν ἐμὸν μὲν αὐτοῦ τοῦ ταλαιπώρου σχεδὸν
ἤδη νομίζων ἐκτετοξεῦσθαι βίον·
τὸν δ' υἱόν, ὅσπερ ὢν μόνος μοι τυγχάνει,
πευσόμενος εἰ χρὴ μεταβαλόντα τοὺς τρόπους
εἶναι πανοῦργον, ἄδικον, ὑγιὲς μηδὲ ἕν,
ὡς τῷ βίῳ τοῦτ' αὐτὸ νομίσας ξυμφέρειν.

ΚΑΡΙΩΝ.

τί δῆτα Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων;

31. *πύθομαι* Dorv. non mendum scripturae, quamvis in glossa *πιστεύω*. Nam et infra 103. *πύθου* pro *πίθου* habet. — 34. Bentl. coniec. *ἐκτετολυπεῦσθαι*. Cum tamen verbum non depravatum esse videatur, mutaverim potius *βίον* in *βέλος*, aut, ut ipsi Bentleio alias visum est, in *βιόν*. In libb. nulla varietas lectionis. — 35. *μοὶ μόνος* Dorv. contr. metr. — 37. Edd. vett. except. Frischl. *μηδεέν*. Brunck. primus fertur scripsisse *μηδὲ ἕν*, sed idem iam reperies ap. Frischl. Cod. Dorv. *μὴ δὲ ἕν*. — 39. Invern. ex cod. Rav. edidit *τί δῆθα Φοῖβος*, quod nihil est. Sed vereor, ne Rav. habeat *δῆτα*, quamvis Invern. bis illud exhibeat. Cett. libb. *τί δῆθ' ὁ Φοῖβος*.

νως τῷ πρώτῳ λεχθήσεσθαι τὸ δεύτερον.

29. *οἶδά τοι.* frequens haec est formula confirmandi: *probe scio.* Plat. Theaet. §. 87. *οἶδά τοι, ὦ ἑταῖρε.* Simile Homericum illud: *γιγνώσκω, φρονέω, τάγε δὴ νοέοντι κελεύεις.* cf. Lucian. Demosth. Encom. 5. T. IX. p. 136. — *τινὲς οὐ στίζουσι εἰς τὸ ἱερόσυλοι.* Schol.

32—38. Sententiae, in qua apodosis antecedit protasi, structuram disponit scholion: *ᾠχόμην οὖν πρὸς τὸν θεόν, ἐπερησόμενος καὶ ἐρωτήσων, νομίζων τὸν βίον μὲν ἐμοῦ αὐτοῦ τοῦ ταλαιπώρου σχεδὸν ἄντικρυς ἐκτετοξεῦσθαι καὶ κεκενῶσθαι, πευσόμενος δὲ καὶ ἐρωτήσων, εἰ χρὴ μεταβαλόντα τοὺς τρόπους τὸν υἱόν, ὃς μόνος μοι τυγχάνει, εἶναι πανοῦργον καὶ ἄδικον, ὡς νομίσας τοῦτο αὐτῷ συμφέρειν ἐν τῷ παρόντι βίῳ.*

33. *τὸν ἐμὸν αὐτοῦ βίον.* constructio ab Homero (Od. β. 45. Il. δ. 237. κ. 204. etc.) profecta Atticis usitata et satis trita. Eurip. Electr. 366. *πόσις ἐμὸς αὐτῆς τῆς ἀθλίας.* cf. Godofr. Hermann. de pronom. *αὐτός.* p. 55. — *ἐκτετοξεῦσθαι βίον*, metaphora dura, si quidem lectio est vera. At vereor, ne Graecus homo sic locutus sit; aliunde enim similes locutiones frustra quaerunt. Quare Bentleius in scholio aliquo nisus, quod *ἐκτετοξεῦσθαι* interpretatur per *τετελειῶσθαι*, ex ingenio suo dedit audacius certe: *ἐκτετολυπεῦσθαι* *vitam moerore ad finem perductam.* Mihi, si coniectura opus est, videtur aut accentu mutato *βιόν*, aut *βέλος* scribendum idque ex proverbio explicandum esse. Legitur enim

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.
πεύσει. σαφῶς γὰρ ὁ θεὸς εἶπέ μοι τοδί·
ὅτῳ ξυναντήσαιμι πρῶτον ἐξιών,
ἐκέλευσε τούτου μὴ μεθίεσθαί μ' ἔτι·
πείθειν δ' ἐμαυτῷ ξυνακολουθεῖν οἴκαδε.
ΚΑΡΙΩΝ.
καὶ τῷ ξυναντᾷς δῆτα πρώτῳ;
ΧΡΕΜΥΛΟΣ.
τουτωί.
ΚΑΡΙΩΝ.
εἶτ' οὐ ξυνίῃς τὴν ἐπίνοιαν τοῦ θεοῦ,
φράζουσαν ὦ σκαιότατέ σοι σαφέστατα,

40. *πεύσῃ* Monac. Elb., quam formam et alias Atticae praeferre solent. — 42. *ἐκέλευε* Invern. ex cod. Rav. — 43. *ἐμαυτὸν* Monac. Bar. 2. 3. et edd. Ald. Crat. Wech. Brub., unde Bentl. in Epistol. ad Kust. data bene emendat: *πείθειν δέ μ' αὐτὸν ξυνακολουθεῖν οἴκαδε*, ut verbum *ξυνακολουθεῖν* nullum casum post se habeat. — 44. Reisig. in Coniect. p. 145. suspicatur *ξυνάντας* imperf. qua forma sibi ipsi repugnat ibid. p. 79. sq. docenti, augmentum hoc abesse non posse. — *πρῶτον* Dorv. — Post *πρώτῳ* punctum in Ald. Iunt. 1. 2. 3. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Brub.; iam interrogant Canin. Frischl. et Raph. — In versu exeunte *τῷ γε δή* Iunt. 2. 3. — Beck. V. C. locum hunc sic voluit constitutum: *καὶ τῷ γε δὴ πρώτῳ ξυναντᾷς;* — 45. *ξυνίῃς* cum iot. subscr. edd. vett. Aldina non excepta, ut Porson testatur; at Canin. iot. omisit. *ξυνίεις* coniec. Pors.

apud Aeschyl. in Eumenid. 547. *ἡμῖν μὲν ἤδη πᾶν τετόξευται βέλος* h. e. *nos omnia iam tentavimus* s. *operam omnem frustra consumsimus.* Chremylus igitur dicit: *Cum putarem me miserum operam meam frustra perdidisse* (ut locupletarem me), *Apollinem consului.* Simili sensu *τοξεύω* ap. Eurip. Hecub. 599. *καὶ ταῦτα μὲν δὴ νοῦς ἐτόξευσεν μάτην* h. e. *ἀπέῤῥιψεν οὐ κατὰ καιρόν.*

35. *ὅσπερ ὢν μόνος μοι τυγχάνει*, de hac frequente locutione cf. Phrynich. eiusque interpretem Lobeck. V. D. p. 277. Sed Phrynichi regula, id quod omnes fugit, vera et certa est et, ut brevis sim, sic constituenda: Si Dativus personae et praedicatum subiecti verbo *τυγχάνειν* additur, tum nullo modo potest abesse participium *ὤν*; sin autem *τυγχάνει* universe dicitur, haud raro *ὤν* desideratur. — *ὑγιὲς μηδὲ ἕν.* homo nequam, ut infr. 50, 351. et alias. cf. Doederlein V. D. Lat. Synon. part. 1. pag. 54. sq. — *τοῦτ' αὐτὸ* h. e. hoc unum. cf. not. ad 463.

39—44. *τί δῆτα Φοῖβος.* articulus, qui hic vulgo editur, cum non opus esset, ex cod. Rav., qui, bis testante Invernizio, *τί δῆθα* habet, rescripsi *τί δῆτα Φοῖβος*, ut Eurip. Med. 675. *τί δῆτα Φοῖβος εἶπέ σοι παίδων πέρι;* cf. ibid. 679. et Eurip. Ion. 555. (ed. Herm.) — *ἐκ τῶν στεμμά-*

ἀσκεῖν τὸν υἱὸν τον ἐπιχώριον τρόπον;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

τῷ τοῦτο κρίνεις;

ΚΑΡΙΩΝ.

δηλονοτιὴ καὶ τυφλῷ
γνῶναι δοκεῖ τοῦθ', ὡς σφόδρ' ἐστὶ ξυμφέρον
τὸ μηδὲν ἀσκεῖν ὑγιὲς ἐν τῷ νῦν βίῳ.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

οὐκ ἔσθ' ὅπως ὁ χρησμὸς εἰς τοῦτο ῥέπει,

48. *δηλονοτιὴ* Monac. Dorv. Brnck. codd. et edd. vett. *δῆλον ὅτιὴ* disiunctim edd. recent. auctoritate cod. Rav. et scholiastae, ut monet Hemst. Apud scholiastam ego nullum disiunctionis vestigium vidi. *δῆλον ὅτι ἤ* Burges. — Pro *τυφλῷ* Brunck. ex ingenio suo dedit *τυφλός*, tanquam altera constructio falsa esset. *τυφλὸν* coniec. Hotib., ut Brunckianum ferendum neque tamen, ut opinatur, „*haud dubie*" legendum. — 49. Edd. vett. (except. Iunt. 1. et 3.) *συμφέρον*. — 50. Cum Inv. et Dind. tenui *βίῳ*, quod praebent soli Rav. et Ask.; Pors. Both. cum cett. librr. *χρόνῳ*. — Praepositio *ἐν* se mutari fortasse patitur in *ἔν*. — 51. *τουτὶ* Ald. Iunt. omn. Crat. Ven. utraq. Wech. Canin. Brub. Raph. Port. et cod. Cant. 2.

των, ut infra 213. *Πυθικὴν σείσας δάφνην*. Eadem locutio Eurip. Ion. 536. 1353. Hecub. 645. 1050. Orest. 159. Quare scholion recte monet: *τραγικώτερον ἀπεφήνατο προσδιασύρων, ὥς φασιν, Εὐριπίδην*. Nec verbum grandius *ἔλακε* sine vi quadam positum, ut videndum est Ran. 97. et 988. (Inv.) Ceterum verba scholiasta teste inde explicanda, *ὅτι στεφάνην ἔστεπτο ὁ τρίπους, ἐφ' οὗ καθῆστο ἡ Πυθία*. — *πείθειν δ' ἐμ. ξυνακ.* verborum horum nexus, qui aliis parum patuit, hic: *καὶ τοῦτον πείθειν, ὥστε αὐτὸν ἕπεσθαί μοι οἴκαδε*. — *καὶ τῷ ξυναντᾷς δῆτα πρώτῳ;* praesens in interrogatione pro praeterito, ut infra 394; at interpretes incerti, utrum sit oratio recta, an interrogatio, haerent praeterea in *τῷ*, in *ξυναντᾷς* et in *πρώτῳ*. Primum equidem non dubito, quin sententia sit interrogativa, eaque facta ad Eurip. Ion. 552. (ed. Herm.), ubi praesens neminem offendit: *πρῶτα δῆτ' ἐμοὶ ξυνάπτεις πόδα;* ubi et huic nostro non dissimile responsum: *οὐκ ἄλλῳ, τέκνον*. Quae cum ita sint, *τῷ* debet esse interrogativum, ut schol. iam statuit. Pariter infr. 48. 53. Reisigium, qui Coniectan. pag. 145. coniecit *ξυνάντας* imperf., secutus essem, si modo poetae nostro haec forma convenit. De *πρώτῳ* et *πρῶτον* non ambigendum, quia utrumque locum habere potest. Sin autem Euripidem imitatus est, ut videtur, *πρῶτον* praeferendum esse puto.

45. Hi versus illustrantur modo sequentibus 48 — 50. Cario enim putat, oraculum flexiloquum indicare, Chremylo id faciendum esse, quod coecus intelligat; filium enim instituendum esse ad mores aequalium. — *εἶτα* est cum admiratione interrogantis, ut infr. 79. 207. et Nub. 1203. *Ergone? Itane vero?* — *σκαιότατος*, ut Rom. *laeva mens*. cf. Eustath. p. 1468, 62. — *ἀσκεῖν τὸν ἐπιχώριον τρόπον*, ὁμοίως λέγουσιν ἀσέβειαν

ἀλλ' εἰς ἕτερόν τι μεῖζον· ἢν δ' ἡμῖν φράσῃ,
ὅστις ποτ' ἐστὶν οὑτοσὶ καὶ τοῦ χάριν
καὶ τοῦ δεόμενος ἦλθε μετὰ νῷν ἐνθαδί,
πυθοίμεθ' ἂν τὸν χρησμὸν ἡμῶν ὅ τι νοεῖ.

ΚΑΡΙΩΝ.

ἄγε δή, πρότερον σὺ σαυτὸν ὅστις εἶ φράσον,
ἢ τἀπὶ τούτοις δρῶ. λέγειν χρὴ ταχὺ πάνυ.

ΠΛΟΥΤΟΣ.

ἐγὼ μὲν οἰμώζειν λέγω σοι.

53. Edd. vett. scindunt *ὅς τις.* — 55. *πυθόμεθ'* Bar. 3. — 56. *σὺ πρότερον* codd. Monac. Ask. edd. Ald. Iunt. 1. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Canin. Frischl. Brub. Raph. et Port. *σὺ πρῶτον* cod. Borg. Iunt. 2. 3. *πρότερον σὺ* cod. Harl. Rav. (?) edd. Inv. Dind. Pors. *πότερον* coniec. Bentl. aut locum sic constitutum vult: *ἄγε δὲ σὺ πρότερον σαυτὸν ὅστις εἶ φράσεις;* — 57. Alteram versus partem a verbo *λέγειν* cod. Monac. et edd. vett. Chremylo tribuunt.

καὶ κακότητα, οἷον Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ (1069.) „*πῶς με κελεύεις κακότητ' ἀσκεῖν.*" et Herodot. VII. 209. *ἀληθηΐην ἀσκέειν.*

48. *οὕτω δῆλόν ἐστι, ὥστε καὶ τυφλὸν τοῦτο ἐπινοεῖν.* Nam *δοκεῖ* cum infinitivo non magis incertam facit rem aut sententiam, quam Rom. *videtur;* utrumque inservit orationis numero. cf. 418. Ran. 1458. ubi *ἄξειν δοκῶ* pro *ἄξω*, et Ecclesiaz. 170. *λέξειν δοκῶ* pro *λέξω*. Ceterum his verbis proverbium subest illud notissimum: *καὶ τυφλῷ δῆλον.* cf. Heind. ad Plat. Soph. p. 362. Pors. totum locum turbat. — *ἐν τῷ νῦν βίῳ.* oppos. *ὁ πάλαι βίος*, non, ut Fischerus mire putat, altera post mortem futura. Ergo *οἷος νῦν, ἢ τῶν νῦν ἀνθρώπων ἐστίν.* s. *ὡς νῦν διάκειται.* ut infra 496.

51. *εἰς τοῦτο ῥέπει.* cf. de usu verbi Act. Phil. Monac. T. III. Fasc. IV. p. 517. metaphora ducta a lance vergente. Sensus: *Neutiquam ad hoc spectat oraculum.* — *τοῦ χάριν καὶ τοῦ δεόμενος*, sunt fere synonyma, nisi quod hoc extremum maiorem vim habet; nam proprie est *cuius rei indigens*, quo tamen minime Pluti miseria notatur, ut Girard. vult; ita Ran. 239. *ὥνπερ οὕνεκ' ἐλήλυθα.* — *πυθοίμεθ' ἂν τὸν χρησμὸν ὅ τι.* constructio usitatissima, ubi subiectum partis sententiae sequentis obiectum fit praecedentis, ut hic, *πυθ. ἂν ὅ τι ὁ χρησμὸς νοεῖ.* cf. Equit. 1030. — *πρότερον*, non est mutandum, neque tamen *statim* significat, neque *primo*, ut Fischerus vult; sed est solutior oratio pro *εἰ μὴ πρότερον.* Cario hoc sibi vult: „*dic, quis sis, antequam aliquid in te moliar, quod tibi non iucundum foret.*"

amantis, senibusque ovium partes tradit. Cum vero non haberet citharam, voce imitatur sonos citharae *θρεττανελό*. Aristophanes vero respexisse fertur Philoxenum, poetam dithyrambicum aut tragicum, qui Polyphemum Cyclopem (quem Ulysses [Od. IX.] uno, quo gaudebat, oculo privavit) Galateae amore captum amores suos sonis quibusdam horridulis canentem introduxit hacque voce *θρεττανελὸ* utentem, quae per se nihil indicat, nisi, ut scholiasta vult, citharam sonantem: *ἡ γὰρ κιθάρα κρουομένη τοιοῦτο μέλος ποιεῖ, θρεττανελό, θρεττανελό.* Hominum vivaciori natura est, sonos inarticulatos, da veniam verbo, voce imitari cum animantium, tum instrumentorum musicorum. Unde *τήνελλα* Acharn. 1246. *βρεκεκεκέξ, κοάξ, κοάξ.* Ran. 210 sqq. Et in rebus gravioribus magnam vim habet sonus verborum ad similitudinem rei electorum; ita tonitru, ut Rankio meo videbatur, in verborum sonis animadvertitur Nub. 392. *τὸν δ᾽ ἀέρα τόνδ᾽, ὄντ᾽ ἀπέραντον, πῶς οὐκ εἰκὸς μέγα βροντᾶν;* — De Philoxeno vero poeta Syracusano scholiasta haec habet: *Φιλόξενος ὁ διθυραμβοποιὸς* (al. addit *ἢ τραγῳδοδιδάσκαλος*) *ἐν Σικελίᾳ ἦν παρὰ Δωριεῦσι. λέγουσι δέ, ὅτι ποτὲ Γαλατείᾳ τινὶ παλλακίδι Διονυσίου προσέβαλε, καὶ μαθὼν Διονύσιος ἐξώρισεν αὐτὸν εἰς λατομίαν. φεύγων δὲ ἐκεῖθεν ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Κυθήρων, καὶ ἐκεῖ δρᾶμα τὴν Γαλάτειαν ἐποίησεν, ἐν ᾧ εἰσήνεγκε τὸν Κύκλωπα ἐρῶντα τῆς Γαλατείας. τοῦτο δὲ αἰνιττόμενος εἰς Διονύσιον· ἀπείκασε γὰρ αὐτὸν τῷ Κύκλωπι, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ὁ Διονύσιος οὐκ ὠξυδόρκει.* cf. praefat. cap. II. Philoxeni fabulam Theocritus imitatus esse videtur in Idyll. XI., in quo Polyphemus, monstrum illud informe, cupidinem indomitam amoremque aegrum et spretum cantilena lepidissima solatur.

291. *ὧδὶ παρενσαλεύων*, ad quae scholiasta, qua causa adductus nescio, addit *ἔτυψεν αὐτοὺς πρὸς τὴν πύγην.* Cario indicat saltationem obscoenam, quam ut senes imitentur, adhortatur; nihil amplius. — *ἀλλ᾽ εἶα τέκεα θαμίν᾽ ἐπαναβοῶντες*, scholiasta teste (ad v. 290.) sunt ex Cyclope Philoxeni huc ducta. Non Attica esse, unusquisque videt. Vocat vero senes, qui oves imitantur, filios, Cyclopis blanditias simulans, quibus ille ap. Hom. Od. IX. 447. *κριὲ πέπον — ἦ σύ γ᾽ ἄνακτος ὀφθαλμὸν ποθέεις;* et haud dubie apud Philoxenum quoque usus fuit. Ceterum constructio *τέκεα ἐπανα-*

βληχώμενοι, σὲ τουτονὶ πεινῶντα καταλαβόντες,
πήραν ἔχοντα, λάχανά τ' ἄγρια δροσερά, κραιπαλῶντα,
ἡγούμενον τοῖς προβατίοις, εἰκῇ δὲ καταδαρθόντα που,
μέγαν λαβόντες ἡμμένον σφηκίσκον ἐκτυφλῶσαι.

296. Codd. omn. et edd. vett. *πεινῶντα*. Bentl. coniec. *πίνοντα*. Brunck. ex emendatione edidit *πινῶντα*, quod Invern. Pors. Dind. tenent. Eodem iure coniici possit *περῶντα* coll. 283., aut *περιόντα*, ad *καταλαβόντες* aptius. Sed nulla causa est, cur vulgata coniecturae cedat, cum praesertim a scholiasta obscure indicetur: *παιγνιωδῶς ἐπιφέρει τὰ τοῦ Φιλοξένου εἰπόντος τὸν Κύκλωπα λάχανα ἐσθίειν. κρέα γὰρ ἤσθιεν, ὥς φησιν Ὅμηρος, οὐ λάχανα.* — 297. Edd. vett. et codd. Monac. Cant. 3. 4. Dorv. Ask. *καὶ* habent ante *κραιπαλῶντα*. Pro *κραιπ.* cod. Bar. 2. Ask. Cant. 2. *κρεπαλῶντα*. Monac. *κρειπαλῶντα*. In Monac. hic versus et sequentes usque ad 306 temere turbantur. — 298. Hic quoque versus, ut v. 293., factus est ex duobus dimetris, quos libb. mss. excepto Elb. praebent. — Magnus codd. consensus in scriptura verbi *καταδαρθέντα*, quod fortasse pro particip. aor. pass. acceperunt. At haec forma nulla est; quare correxerunt Pors. h. l. et Elmsl. ad Acharn. 274. *καταδαρθόντα*. Equidem praeferam *καταδραθόντα*. — 299. Bentl. haud male coniecit *σφηνίσκον* (culeus), quamvis et huic voci non magis respondeant *μέγαν* et *ἡμμένον*, quam vulgatae *σφηκίσκον*. Ad Homerum Od. IX. respicit, ubi praeter verba, quae nota affert, et comparatio pali adusti cum malo navis adhibetur, v. 321. l. l. *τὸ μὲν* (*ῥόπαλον*) *ἄμμες ἐίσκομεν εἰσορόωντες, ὅσσον θ' ἱστὸν νηὸς ἐεικοσόροιο μελαίνης κ. λ.* Inde mihi in mentem venit, nostro loco sub *σφηκίσκον* latere *ἱστόν*, cui aliquot litterae essent propositae. At quae illae fuerint, num *νεὼς ἱστόν*, quod, si synizesis permissa est, metro non adversatur, an aliae litterae, id quidem difficile est dicere. Hoc vero negari non potest, *μέγαν* melius cohaerere cum *νεὼς ἱστόν*, quam cum reliquis vocibus, quas alii protulerunt.

βοῶντες, ut *φίλε τέκνον* Hom. Od. β. 363. et similia alias, quam Grammatici dicunt *κατὰ τὸ σημαινόμενον*, satis quidem frequens est. — *αἰγῶν κιναβρώντων. ὀσμὴν ἀποπεμπόντων*. Schol. Quod vero caprarum et ovium sonos dicit *μέλη*, in eo enim vis est comica. — *ἀπεψωλημένοι* Aristophani vox usitata de hominibus libidinosis. Acharn. 160. 592. Pac. 907. Thesm. 1198. Videtur vero haec actio ad saltationis genus pertinuisse. — *ἀκρατιεῖσθε*, scil. *ὡς τράγοι*. Ergo: prandium sumite ad morem hircorum, qui, ut scholiasta notat, *λείχουσι τὰ ἑαυτῶν αἰδοῖα*. De *ἀκράτισμα*, *τὸ πρωϊνὸν ἔμβρωμα παρὰ τὸ ἐν ἀκράτῳ βεβρεγμένους προσίεσθαι ψωμούς*, nihil huc pertineret. vid. Eust. p. 1791, 35.

295—300. *αὖ ζητήσομεν*. Bentleii *αὖ ζηλώσομεν*, quod idem valeret atque *ἀντιμιμησόμεθα*, ferri posset, nisi infinitivus sequeretur, qui hoc recepto non haberet, unde penderet. Nam *ζηλόω* dramaticis longe familiarius est, quam *ζητέω*.

ΚΑΡΙΩΝ.

ἐγὼ δὲ τὴν Κίρκην γε τὴν κυκῶσαν ἀνὰ τὰ φάρμακα,
ἣ τοὺς ἑταίρους τοῦ Φιλωνίδου ποτ' ἐν Κορίνθῳ
ἔπεισεν, ὡς ὄντας κάπρους,

300. Vulgo tetrameter catalect., quem scholiasta auctore refeci acatalectum. Edd. et mss. *τὰ φάρμακ' ἀνακυκῶσαν*, unde aut *κυκῶσαν ἀνὰ τὰ φάρμακα*, aut pro *ἀνὰ τὰ* fortasse *ἀγαθά*, quod saepius per compendium scribitur, vel *ἀγανὰ* refingi facile potuit. Nam *κυκ. ἀνὰ τὰ φάρμ.* est: *rutabulum versare in pharmacis.* Contra *ἀνακυκ.*, obiecto altero omisso, universe vix dicitur. Ex libris mss. nulla lectionis varietas notatur, nisi quod in Cant. 1. *γὲ* desideratur. — 301. Reisig. Coniect. p. 120., quamvis nulla sit de verborum ordine in codd. dissensio, versum sic disponit: *ἣ τοὺς Φιλωνίδου γ' ἑταίρους τοῦ ποτ' ἐν Κορίνθῳ*. Legibus, quas sibi in his versibus componendis poeta fecit, certe convenientius. — In exemplo Lipsiensi Iunt. 2. in margine notata et correcta vidit Beckius: *'Οδυσσέως* pro *Φιλων.*, *εἰν αἰαίᾳ* pro *ἐν Κορ.*, *σύας* pro *κάπρους*, *καρποὺς κρανείας* pro *μεμαγμένον σκῶρ*, *ἔβαπτεν* pro *ἔματτεν*. Ex Homero haec illuc translata, quivis videt.

At chorus Ulyssem imitari vult, non Cyclopem, ut sequentia docent. „Nos vero vicissim balantes quidem (nam Cario threttanelo canit) te Cyclopem somno sepultum etc. oculis privare conabimur.“ Senes enim, qui illudentium mos est, Carionis verba nunc in eum convertunt. — *πήραν ἔχοντα*, *καὶ γὰρ παρὰ τῷ Φιλοξένῳ πήραν ἔχων εἰσῆλθεν.* Respexit igitur in his ad Philoxeni fabulam, nam Philoxenus et Theocritus Cyclopem fingunt pastorem, qui Galateam amaret, informem ipsum quidem, neque tamen *κρέα ἀνδρόμεα φάγοντα* (Hom. Od. IX. 347.). Utramque fabulam poeta miscens festive iocatur, nisi in eo iocus positus est, quod Philoxenus sub Cyclopis persona Dionysium tyrannum introduxerat. — *εἰκῇ δὲ καταδαρθόντα*, *ὡς ἔτυχεν, ἢ ἀκαίρως καταδαρθ.* Schol. Resp. Hom. Od. IX. 371. *ἀνακλινθεὶς πέσεν ὕπτιος κ. λ.* — *σφηκίσκος ἡμμένος*, *palus adustus*, *σφηκ.* dictus ob similitudinem aculei apis, non quo similis fuit figurae vespae, ut schol. et interpret. recent. volunt. Apud Homer. Od. IX. Ulysses utitur *μοχλῷ*, *ὃν ἐκέλευσεν ἀποξῦναι τοὺς ἑταίρους*, *ἔπειτα δὲ ἐν πυρὶ ἡμμένον ἑλόντας ὀξὺν ἐπ' ἄκρῳ ὀφθαλμῷ ἐνερεῖσαι.*

300—306. *ἐγὼ δὲ τὴν Κίρκην.* Fabula Circes, quae Ulyssis comites in sues commutavit, nemini non cognita exstat ap. Hom. Odyss. κ. Cario vero, cum senes oves esse nollent, eos apros introducit. Sed totus locus plenus iocorum, dum sub personis fictis homines illius temporis indicantur, quorum nomina partim immista sunt. Pro Ulysse eiusque sociis ponitur Philonides (de quo not. ad v. 179.) cum parasitis, quos Lais altera Circe mutavit. — *κυκῶσαν τὰ φάρμακα*, Hom. Od. κ. 235. *ἀνέμισγε δὲ σίτῳ φάρμακα λυγρά.* et 316. *τεῦξε δὲ κυκεῶ.* — *σκῶρ μεμαγμένον*, *μεμαλαγμένον κόπρον.* Schol. *Stercoris* quodammodo *moretum.* Noster in Ran. 145. *εἶτα βόρβορον πολὺν*, *καὶ σκῶρ ἀεὶ νῶν.* ubi scholion notat, hanc vocem ab Aristophane ante alios primo usurpatam esse. Occurrit vero iam in Epi-

μεμαγμένον σκῶρ ἐσθίειν, αὐτὴ δ' ἔματτεν αὐτοῖς,
μιμήσομαι πάντας τρόπους·
ὑμεῖς δὲ γρυλλίζοντες ὑπὸ φιληδίας
ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι.

ΧΟΡΟΣ.

οὐκοῦν σε τὴν Κίρκην γε, τὴν κυκῶσαν ἀνὰ τὰ φάρμακα,
καὶ μαγγανεύουσαν μολύνουσάν τε τοὺς ἑταίρους,

303. *σκὼρ* Cant. 2. — *ἔμαντεν* Mead. — 304. *πάντα τρόπον* Monac. Elb. Cant. 3. 4. Mead. B. D. Ask. Dorv. (?) Bodl. et edd. Iunt. 2. 3. Port. *πάντας τοὺς τρόπους* Borg. aeque vitiose. — 305. Lobeckio ad Phryn. p. 101. docente *γρυλλίζειν* intactum reliqui, quamvis ex Phrynichi praecepto simplici λ scribendum esset. Librorum nulla dissensio, nisi quod in Dorv. *γρυκίζοντες* esse dicunt. — 306. *μητρὶ* om. Bar. 2. — *ἕπεσθαι* Iunt. 3. — 307. Tetramet. catalect. vulgo exeuntem *τὰ φάρμακ' ἀνακυκῶσαν* scholiasta duce feci acatalectum *κυκῶσαν ἀνὰ τὰ φάρμακα*, nisi praeferas *κυκῶσαν ἀγαθὰ* (s. *ἀγανὰ*) *φάρμακα*. cf. not. ad 300. et praef. — Edd. Port. Frischl. *οὐκ οὖν*. — *γε* om. Bar. 2. — *σὲ* cum accent. Pors. — 308. *μαγκανεύουσαν* codd. Monac. et Mead.

charmi versu apud Athen. VIII. p. 319. — *γρυλλίζοντες*, *ὁμοίως χοίροις βοῶντες, ἢ χοίρων φωνὴν ἀφιέντες*. e schol. Unde *γρύλλος* de porco et *γρῦ* eius grunnitus, de quo cf. v. 17. — *ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι*, *παροιμία ἐπὶ τῶν ἀπαιδεύτων λεγομένη*. Schol. Nimirum de iis, qui ipsi indocti indoctos sequuntur, quod tamen Cario hic loci propria significatione de senibus adhibet.

307. Cum semel in Homericis versarentur, chorus nunc Carioni fata Melanthii caprarii (Od. χ. 474 sqq.) minatur crudelissima. Hoc quum summum esse videretur, nam hucusque minas nimis cumulando et augendo se invicem vincere studebant, iam finis imponendus erat nugis. Praedicata Circes, quae Laidi quoque conveniunt, aliis verbis chorus Carioni reddit. — *τὸν Λαέρτιον*. Etsi verum est, *Λαέρτιος* pro *Λαέρτης* in usu esse, et Ulyssem ὁ *Λαερτίου* apud Sophoclem in Philoct. dici, et *καὶ Λαερτίου* ap. eund. in Aiac. 1. (ita enim *Μελανθεὺς* et *Μελάνθιος* occurrit Od. χ. 152. 161. et al.), hic loci tamen aliud quid offendit. Nam qui Melanthium punivit, Telemachus erat, non Ulysses. Quapropter, si Ulysses respiciendus est, non Melanthii poenam cogitas, sed Ulyssis ipsius periculum, quum suspensus ex oleastro penderet Charybdis rabiem evitaturus (Od. μ. 432 sq.): *ἐγὼ ποτὶ μακρὸν ἐρινεὸν ὑψόσ' ἀερθεὶς, τῷ προσφὺς ἐχόμην, ὡς νυκτερίς, οὐδέ πῃ εἶχον οὔτε στηρίξαι ποσὶν ἔμπεδον, οὔτ' ἐπιβῆναι*. Idem, interpretibus tacentibus, iam indicat scholiasta his verbis: *ὃ συμβέβηκε τῷ Ὀδυσσεῖ κατὰ τὴν ἐρινεοῦ ἐποχὴν ἐν τῷ στομίῳ τῆς Χαρύβδεως*. Sin autem poeta poenam cogitavit, quam Telemachus cum Eumaeo et Piloetio sumsit de Melanthio, haud scio an scriptum fuerit *τὸν Λαρτιάδου*, quod in aliorum heroum patronymicis minus frequenter occurrentibus eodem iure fieri non potuit. Both. Circes fabulam cogitat, quae ab hoc versu aliena est. — *μινθώσομεν κ. λ.* Scholiastae interpretatio idonea: *μίνθος λέγεται ἡ κόπρος τῶν αἰ-*

λαβόντες ὑπὸ φιληδίας
τὸν Λαρτίου μιμούμενοι τῶν ὄρχεων κρεμῶμεν,
μινθώσομέν θ' ὥσπερ τράγου
τὴν ῥῖνα· σὺ δ' Ἀρίστυλλος ὑποχάσκων ἐρεῖς·
ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι.

ΚΑΡΙΩΝ.

ἀλλ' εἶά νυν τῶν σκωμμάτων ἀπαλλαγέντες ἤδη

309. ἣν λάβωμεν pro λαβόντες Monac. Dorv. Cant. 4. Borg. Mead. Harl. Bar. 2., quae lectio iam a scholiasta improbatur ὡς οὐ πάνυ δόκιμον. — Edd. vett. except. Frischl. habent comma post φιληδίας, recentiores post λαβόντες. — 310. τὸν Λαερτίου codd. Harl. Bar. 2. Cant. 4. τὸν Λαέρτου Dorv. Ask. (?) Iunt. 2. 3. Λάρτίου in cett. libb. Fortasse scribendum τὸν Λαρτιάδου. — 312. σὺ δ' ὡς Ἀρίστυλλος (v. Ἀρίστυλος per unum λ, ut Monac.) codd. Borg. Monac. Elb. Dorv. Mead. Ask. Bar. 2. Arund. U. Cant. 4. Videtur ὡς in margine fuisse, ut in cod. Cant. 3., ubi pro scholio σὺ δ' ὡς legitur, aut ut ὥσπερ, quod in Cant. 2. glossa apparet h. l. — 314. Vulgo ἀλλ' εἶα νῦν, quod habet et Monac. ἀλλ' omis. Rav. et Cant. 3.

γῶν (in alio κόπρος ἀνθρωπίνη). ἐπειδὰν δὲ τράγοι ψυγμῷ περιπέσωσιν, εἰώθασιν οἱ αἰπόλοι λαμβάνειν τὴν κόπρον αὐτῶν καὶ χρίειν αὐτῶν τοὺς μυκτῆρας, καὶ οὕτω τῇ δυσωδίᾳ πταρμὸν κινεῖν, τούτῳ δὲ τῷ τρόπῳ λύειν τὸ πάθος. — σὺ δ' Ἀρίστυλλος, h. e. ὡς Ἀρ., quod in codd. tres receptum legitur, *fies alter Aristyllus et dices.* cf. Herm. ad Viger. p. 885. Ergo sine ὡς, ut 294. τράγοι δ' ἀκρατιεῖσθε. et 306. et alias. Sic Lucian. Tim. Αὐτοβορέας τις ἢ Τρίτων, οἵους ὁ Ζεῦξις ἔγραφεν. Aristyllus fellator et foedae libidini deditus (αἰσχροποιὸς καὶ λεσβιάζων) illuditur et in Ecclesiaz. 678. (ed. Invern.), ubi Blepyrus Praxagorae dicenti: εἴ σε φιλήσειεν Ἀρίστυλλος, respondet: οἰμώζοι γ' ἄν, καὶ κωκύοι. At idem hic locus, ubi Praxagora addit: σὺ δέ γ' ὄζοις ἂν καλαμίνθης, me commonefacit, μινθώσομεν, quod antecedit, de herba potius accipiendum esse quam de stercore. Nam μίνθος, μίνθα, ἡδύοσμον, καλαμίνθη et καλάμινθος eadem herba dicitur, quae aut sternumentum fuit aut ob odorem suavem et acrem a fellatoribus adhibebatur, si turpiter amabant et foedae libidini indulgebant. Praeterea scholiasta commemorat Aristyllum ita hiasse et ore aperto fuisse, ut risum spectantium moveret. ὁ Ἀρίστυλλος οὗτος ἦν τῷ στόματι χάσκων, ὡς τοῖς ὁρῶσι κινεῖν γέλωτα. — ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι. de quo scholiasta: ὥσπερ ὁ Ἀρίστυλλος κεχηνὼς ἐρεῖς, ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι, ἀντὶ τοῦ ἐμοί. τοῦτο δὲ παροιμιῶδες εἶναί φασιν. οἱ γὰρ παῖδες τοῦτο εἰώθασι λέγειν, ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι· παροιμιακὸν οὖν ἐστι, καὶ ἐπὶ τῶν ἀπαιδεύτων φασὶ λέγεσθαι. Quae locutio proverbialis, si quidem vera est, in Aristyllo spurco et suillo magnam certe vim haberet.

314—18. ἀλλ' εἶά νυν κ. λ. ut Nub. 937. παύσασθε λοιδορίας, nil amplius. Eurip. Phoen. 984. ἀλλ' εἶα τέκνον φεῦγ' ὡς τάχιστα. Iphig. Aul. 435. Exhortantis igitur est ἀλλ' εἶα ut εἰ δ' ἄγε. Hom. Od. β. 178. Theocr. II. 95. Scholiasta ad Hom. l. l. diserte confirmat τὸ εἶ

ὑμεῖς ἐπ' ἄλλ' εἶδος τρέπεσθ', ἐγὼ δ' ἰὼν ἤδη λάθρᾳ
βουλήσομαι τοῦ δεσπότου λαβών τιν' ἄρτον καὶ κρέας
μασώμενος τολοιπὸν οὕτω τῷ κόπῳ ξυνεῖναι.

Vs. 315 et 316 vulgo efficiunt quatuor dimetros, quorum primus apud Invern. et alios editores a secundo sic scinditur:

ὑμεῖς ἐπ' ἄλλ' εἶδος τρέπε-
σθ'. ἐγὼ δ' ἰὼν ἤδη λάθρᾳ.

ut alter versûs improbanti mihi litteris st! quasi silentium iubeat. Hoc vero tacere non possum, codicem Monac. solum ex omnibus hic loci duos tetrametros acatalectos, ut nos, repraesentare. — 317. Edd. vett. habent *μασσώμενος*. Post Brunckium rediit *μασώμενος* e mss., in quibus sunt Monac. Elb. Dorv. Cant. 1. 2. 3. Bar. 2. Utraque scriptura alias quoque deprehenditur. — Porson et Dind. disiungunt *τὸ λοιπόν*, cum Invern. ex edd. vett. hyphen revocavi. — Si interpunctio opus est in hoc versu, ea poni debet post *μασώμενος*, non, ut in edd. antiq. fit, post *τολοιπόν*. — Post vers. 317 Brunckii et Invern. edd. chori canticum excidisse signa habent, dum ille addit *λείπει κομμάτιον τοῦ Χοροῦ*, hic *Χορός*. Ritter. quoque dissert. de Plut. p. 18. docet hic chori carmen excidisse, quod verba Carionis *ὑμεῖς ἐπ' ἄλλ' εἶδος τρέπεσθ'* indicarent. De his verbis cf. not.

ἀντὶ τοῦ εἶα idque adnumerat *ἐπιῤῥήμασι παρακελευσματικοῖς*. Non puto, Carionem senes hortari, ut ad aliud genus carminis se convertant, quod secundum Brunckii opinionem, quae nullo certo indicio nititur, excidit. Scholiasta nihil desiderat. Fortasse *ὑμεῖς ἐπ' ἄλλ' εἶδος τρέπεσθε* huius opinionis ansam dederunt, quae tamen verba nihil amplius indicare videntur, quam *τὰ ἐναντία τοῖς σκώμμασιν*; nam neque vestes mutandae erant, neque saltationis neque cantilenae genus; mutandus erat iocus et lascivia, et redeundum ad severitatem. *σκώμματα* enim sunt *dicteria*, quibus chorus et Cario hucusque certaverant; *εἶδος* vero de facie, Thesm. 273. (Inv.) quam primarie indicat, sumendum, quippe quae, prout quis animo est affectus, mutanda. Neque hic tempus nec caussa fuit saltandi aut magis adhuc ludendi; occasio haec infra se offert (760.), ubi Pluto sanato Cario sic chorum hortatur: *ἀλλ' εἶ' ἀπαξάπαντες ἐξ ἑνὸς λόγου ὀρχεῖσθε, καὶ σκιρτᾶτε, καὶ χορεύετε.* Accuratius saltem poeta significasset aliud carminis genus, quod Ritter. quoque cogitat Dissert. de Pluto p. 18., ut alias facit v. c. Ran 384. *ἄγε νῦν ἑτέραν ὕμνων ἰδέαν κ. λ.* vel *σχήματα*, ut Pac. 324. vel *ᾠδῇ* Thesm. 991. — *οὕτω* h. e. *hoc statu*, ventre cibi pleno, quae significatio exemplo illustrari potest, quod infra exstat 695. *ἐγὼ τότ' ἤδη τῆς ἀθάρης πολλὴν ἔφλων, ἔπειτα, ἐπειδὴ μεστὸς ἦν, ἀνεπαυόμην*, ubi pro *ἐπειδὴ μεστὸς ἦν* dici potuit *οὕτως*. Ergo *οὕτω* non est, ut alii volunt, *ἔπειτα* aut *τότε*, quod hic *τὸ λοιπὸν* indicat. Amat enim *οὕτως* post participia inferri. cf. Matth. Gr. Gr. §. 565, 2. Xen. Cyr. I. 6. 15. V. 2. 6. — *τῷ κόπῳ* cum scholiasta rectius accipimus *τῇ περὶ τὸν Πλοῦτον ἐπιμελείᾳ*, quam cum aliis de negotiis vulgaribus aut a Chremylo exspectandis Carioni, quippe qui in posterum nulla fore speret.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ. ΧΟΡΟΣ. ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ. ΠΕΝΙΑ.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

Χαίρειν μὲν ὑμᾶς ἐστιν, ὤνδρες δημόται,
ἀρχαῖον ἤδη προσαγορεύειν καὶ σαπρόν·
ἀσπάζομαι δ', ὁτιὴ προθύμως ἥκετε

318. ὦ 'νδρες Pors. cum edd. vett. ὦ ''νδρες Invern. ὤνδρες Dind. ὦ ἄνδρες Dorv. — 320. ὅτι δὴ Cant. 3. Bar. 2. — καὶ addit Iunt. 1. ante προθύμως.

318. *Σύναπτε τὸ ἔστι πρὸς τὸ ἀρχαῖον.* Schol. *ὁ δὲ Χρεμύλος, ὡς καινισθεὶς τῇ τύχῃ, καινοτέραν προσηγορίαν ἐπινοεῖ· τὸ γὰρ χαίρειν παλαιόν ἐστιν.* Chremylus gestiens hoc vult: „vetus salutandi mos abeit nunc antiquatus et me homine quasi novo indignus, qui vos amplector.“ Quamvis vero hoc nihil novi sit, in hoc tamen ipso subest vis comica. Fortasse respicit ad Eurip. Med. 658. *Μήδεια, χαῖρε· τοῦδε γὰρ παροίμιον κάλλιον οὐδεὶς οἶδε προσφωνεῖν φίλους.* — *Χαίρειν, ὑγιαίνειν, εὖ πράττειν* satis tritae formulae salutandi, quae promiscue adhibentur, ita tamen ut prima tempore imprimis matutino, altera vespertino tempore, certe abeuntibus in usu esset. — *ἀρχαῖον*, *antiquatum*, *moribus novis non conveniens*, nos: *altväterisch*. Ita Strepsiades, quum Socrate magistro res novas et gravissimas didicisse sibi videretur, filium pro more antiquo per Iovem obtestantem increpat *ἀρχαϊκὰ φρονεῖς* Nub. 823., quippe quia Iovem nullum esse didicisset. Similiter ibid. 908. *σὺ δέ γ' ἀρχαῖος*, quod Wolfius vertit: *altsinniger Narr!* — *ἀσπάζομαι* plus certe est, quam *χαίρειν*; est enim salutatio eorum, qui in alicuius sinu et amplexu sunt, (*καταφιλῶ καὶ περιπλέκομαι* schol. osculari et amplexari) et saepius occurrit Nub. 1139. Ecclesiaz. 964. 967. Vesp. 602. Av. 1378. etc. — *ξυντεταγμένως.* ut 760. *ἐξ ἑνὸς λόγου καθωπλισμένως μετὰ τάξεως.* Schol. Est enim vox militaris, ut sequens *ξυμπαραστάτης*, quibus prima chori verba bene respondent. Quare Bentleii coniecturam *συντεταμένως* probare non possum, quae neque sensui aptior esse videtur, nec metro consulere, ut aliis visum. Modo ne de armis cogita; est mera metaphorica locutio, quae a Chremylo servata ab choro excipitur. Me multo magis offendunt verba *κοὐ κατεβλακευμένως*; nam non solum languet et friget negativa sententia, sed etiam forma est insueta. — *κατεβλακευμένως*, vox, formatio et forma sententiae aeque inusitata. Scholion interpretatur *ῥᾳθύμως ὡς οἱ*

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

τί ἂν οὖν τὸ πρᾶγμ' εἴη; πόθεν καὶ τίνι τρόπῳ
Χρεμύλος πεπλούτηκ' ἐξαπίνης; οὐ πείθομαι.
καίτοι λόγος γ' ἦν νὴ τὸν Ἡρακλέα πολὺς
ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι τῶν καθημένων,
ὡς ἐξαπίνης ἁνὴρ γεγένηται πλούσιος.
ἔστιν δέ μοι τοῦτ' αὐτὸ θαυμαστόν γ', ὅπως
χρηστόν τι πράττων τοὺς φίλους μεταπέμπεται.
οὔκουν ἐπιχώριόν γέ τι πρᾶγμ' ἐργάζεται.

331. *οὖν* om. Harl. — *καὶ πόθεν* Monac. Cant. 3. 4. Elb. Mead. Ask. — 332. *Χρεμῦλος* Monac. ubique, at vitiose, ut ex hoc loco colligere poteris. — *πεπλούτηκεν* Bar. 2. Monac. Elb. *πεπλούτικ'* Cant. 3. — 333. *νὴ* om. Dorv. — 334. *τοῖς* contra metr. Bar. 2. Elb. *τοῖσιν* Crat. Ven. 1. 2. Wech. — 335. Cum Pors. non dubitavi scribere *ἁνήρ*, cett. *ἀνήρ*. — 336. *ἔστιν δ' ἐμοὶ* Invern. Pors. — *χ' ὅπως* edd. vett. exc. Iunt. 1. sine *χ'* Rav. Borg. Cant. 3. 4. A. B. C. E. Dorv. Mead. Ask. *γ'* pro *χ'* Elb. D. Arund. Monac. Cant. 1. 2. *θαυμάσιον* coniec. Pierson. Porson transposuit verba sic: *ἔστιν δ' ἐμοὶ θαυμαστὸν αὐτὸ τοῦθ', ὅπως*. cf. not. inf. — 338. *γέ τι* Cant. 4. et Rav., unde Invern. sumsit *ἐπιχώριόν γε τι*, quod accentu primae encliticae adiecto tenui. Idem fecit Bo. *γὲ* ante *τὶ* deest in edd. vett. et in codd. Monac. Arund. Mead. Ask. Cant. 1. 2. 3. *γὲ* sine *τὶ* edd. Pors. Dind. At *τὶ*, quod scholiasta quoque servat, minus commode omitti hic potest.

τήνδ' ἱκόμεσθα. Od. ω. 259. 308. 321. etc.

331—338 sunt verba Blepsidemi, qui solus secum loquitur. Pariter et versus 339 verba non versus Blepsidemum Chremylus dicit; sed ab exclamatione *ὦ Βλεψίδημε* v. 340. incipit demum inter utrumque confabulatio.

331—332. *τί ἂν οὖν τὸ πρᾶγμ' εἴη*; qua formula utitur, cuius cogitationes in rei explicatione cum admiratione tenentur occupatae. His cogitationibus proprius est optativus. Rom. *Quid tandem hoc sibi vult?* — *ἐξαπίνης*, *ἐξαίφνης*, *ἄφνω* et *ἐξαπιναίως* ab Atticis promiscue usurpantur, neque *ἐξαπίνης* ab oratione prosa abest, ut Henr. Steph. Thes. IV. c. 17. opinatur. cf. Plat. Rep. X. 337. Thucyd. III. 89. Demosth. c. Neaer. 1378. At *αἴφνης*, *αἰφνηδὸν* et *αἰφνηδὰ* ap. Alexandrinos increbuerunt. Scholiastae derivatio haec: *ἐξαπίνης γίνεται παρὰ τὸ ἀφανής, ἄφινα καὶ ἄπινα*. Et C. D. Ilgen, praeceptor mihi gravissimus, quem cum pietate nomino, ad Hom. Hymn. in Mercur. 473. statuit *ἄπινος* adiectivum fuisse, unde factum sit *ἐξαπίνης*.

333. *καίτοι* ut *quamquam* saepe interruptae cogitationis signum est, ubi nulla antecedit protasis. Ceterum *καίτοι* cum *γὲ* maiorem vim habet quam simplex *καίτοι*. Illud enim *Quamquam maxime*. cf. Reisig. Coniect. p. 295. — *Ἡρακλέα* schol. *ὡς ἀποτρόπαιον τῶν κακῶν*. — *ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι*. *κουρεῖα δὲ ἦσαν ἐργαστήρια, ἐν οἷς οἱ βουλόμενοι τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ*

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἀλλ' οὐδὲν ἀποκρύψας ἐρῶ μὰ τοὺς θεούς.
ὦ Βλεψίδημ', ἄμεινον ἢ χθὲς πράττομεν,
ὥστε μετέχειν ἔξεστιν· εἶ γὰρ τῶν φίλων.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

γέγονας δ' ἀληθῶς, ὡς λέγουσι, πλούσιος;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἔσομαι μὲν οὖν αὐτίκα μάλ', ἢν θεὸς θέλῃ.
ἔνι γάρ τις, ἔνι κίνδυνος ἐν τῷ πράγματι.

339. Rav. *νὴ τοὺς θεούς*, false. — Verba *μὰ τοὺς θεοὺς* a ceteris, quibus adhaerent, commate seiungi non debent, ut fit in edd. plerisque. — 341. *μετέχειν σ'* codd. Bar. 2. Mead. Cant. 1. 2. 3. 4. et ed. Pors. — 343. *οὖν* om. Ask. et Cant. 4. — *ἢν θέλῃ θεὸς* cod. Dorv., quod Hotib. praefert, ut hiatus vitetur. Hiatus in fine versus nihil valet; formula et verborum series per usum sancita est. — 344. *ἔνι γὰρ ἔνι τις κίνδ.* Bar. 2. Qui verborum ordo callide simulanti optime convenit et rhythmum concinnum habet. *ἔνι γάρ τις κίνδ.* Mead. Cant. 3. *ἔνι γὰρ ἔνι κίνδ.* Cant. 4. Dorv.

κώγωνος ἐκείροντο, ὁπότε ἐκβαῖεν τοῦ μέτρου. Schol. At Athenienses in tonstrinis otiosi sedere solebant comperturi, si quid novi esset. Hos rumorum aucupes poeta hic et alias perstringit lepide. cf. Av. 1447. *οὐκ ἀκήκοας, ὅταν λέγωσιν οἱ πατέρες ἑκάστοτε τοῖς μειρακίοις ἐν τοῖσι κουρείοις ταδί.*

336. Quod veteres edd. exhibent *τ' ὅπως*, non adeo vitiosum est, ut quidam putarunt. Nam verba *ἔστιν δέ μοι τοῦτ' αὐτὸ θαυμαστὸν* tum referenda sunt ad praecedentia *ὡς ἐξαπίνης γεγένηται πλούσιος*, et alterum quod miratur *καὶ ὅπως πλούσιος γενόμενος τοὺς φίλους μεταπέμπεται. σκώπτει πάλιν τοὺς Ἀθηναίους ὡς κακογνώμονας καὶ μὴ μεταδιδόντας τοῖς φίλοις χρηστοῦ τινος.* Schol. — *χρηστόν τι πράττειν*, *ἀγαθόν τι πράττειν* etc. ab *ἀγαθῶς*, *καλῶς πράττειν* etc. differre eo videntur, ut illud sit: *feliciter alicui res succedere*; hoc: *bene valere* sive *felicem esse*. v. g. in Pac. 215. *εἰ δ' αὖ τι πράξαιντ' ἀγαθὸν Ἀττικωνικοί.* *χρηστὸν* de *fortuna secunda* non inusitatum. Eurip. Hec. 1201. *τὰ χρηστὰ ἕκαστα ἔχει φίλους.*

339. *ἀλλ' οὐδὲν ἀποκρύψας*, ut supra 26. *ἀλλ' οὔ σε κρύψω* et 284. Modo ne hic suppleas *σέ*, sed *αὐτόν*. Nam Chremylus hoc versu nondum appellat Blepsidemum. Eadem formula, quam familiariter loquentis esse dicunt, saepius occurrit, v. c. Eurip. Phoeniss. 460. Pariter et constructio *οὐδὲν ἀποκρύψας ἐρῶ* v. c. Eur. Hecub. 696. *ἔθετό νιν κρύψας.* — *ἄμεινον ἢ χθές.* Aristophanes *χθὲς* et *ἐχθές* infr. 880. usurpat. Utrumque probat Photius: *ἐχθὲς καὶ χθές, ἀμφότερα ἑλληνικά, καὶ χθιζινὸν καὶ ἐχθεζινόν.* In contrarium tendunt Moeris p. 402. et Thomas p. 913. *ἐχθὲς* esse commune, non Atticum. Cum vero Phrynichus p. 323. *χθεσινὸς* comprobet et Aristophanis esse diserte affirmet, audacius certe, quam par fuit, in Vesp. 281. (288. ed. Invern.) Hermannus V. D. d. Metr. p. 504. praeter codd. auctoritatem *χθιζινὸς*

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

ποῖός τις;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

οἷος —

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

λέγ' ἀνύσας ὅ τι φῄς ποτε.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἢν μὲν κατορθώσωμεν, εὖ πράττειν ἀεί·

345. *οἷος* Invern. et alii cum signo interrog. Pors. et alii cum commate, alii denique cum puncto. Cum aperta sit reticentia, eius signum, quo nos utimur, posui. — *λέγ' ἀνύσας* ut supra 196 et alias. — 346. *εἰ* — *κατορθώσομεν* Dorv. Ask.

intrusit, quod Lobeckius (ad Phryn. p. 323.) et alias restituendum esse putat. Hinc et utraque formula *χθὲς καὶ πρώην* et *ἐχθὲς καὶ πρώην* nuperrime, Plat. Legg. III. 108. T. 8. et Gorg. p. 470. Vid. Gataker. ad Antonin. X. 7.

342. *ὡς λέγουσι*, fere *ὡς ἔπος εἰπεῖν*, s. *ὥς γ' ἐν αὐτοῖς ἡμῖν εἰρῆσθαι*. Plat. Protag. init. Nisi rectius hominis male creduli verba habentur, *ut quidem omnes affirmant*. — *ἢν θεὸς θέλῃ* crebra modestiae formula. cf. infr. 405. *ἢν θεοὶ θέλωσι*. Ran. 536. *εἰ θεὸς θέλοι*. — *ἔνι γάρ τις, ἔνι κίνδ.* *ἔνι* et *ἔνεστι* promiscue quidem ab poetis dramaticis usurpantur, ut in trita illa locutione *νοῦς ἔνεστί τινι* Acharn. 556. Lysistr. 1124. Eurip. Androm. 230. 668. Hippol. 920., hic tamen in iterata breviore forma arcanorum quaedam simulatio subest. Aliter se habet eiusdem formae cumulatio in Lysistr. 545. (ed. Invern.) *αἷς ἔνι φύσις, ἔνι χάρις, ἔνι δὲ θάρσος* κ. λ. — *οἷος* cum signo interrogationis, quod Invern. et alii ponunt, non esse ferendum aiunt, quia metri causa neque alias, neque hic pro *ποῖος*, quae vox nimis vicinam sedem hoc loco habet, poni possit. cf. 388. Iam Girardus vidit, in voce *οἷος* Chremyli orationem a Blepsidemo sciendi cupido esse interruptam, Chremylumque dicturum fuisse, *quale periculum nunquam auditum est*. Equidem vero puto Chremylum tale quid dicturum non fuisse, sed, cum animadverteret Blepsidemum nimis sciendi cupidum, callide et lepide simulasse, se tale quid esse dicturum et ipsum suam orationem abrupisse, ut audiret, quid dicere vellet Blepsidemus. Est igitur *ἀποσιώπησις* s. reticentia, cuius signum reposui. Nunc Chremylum pausam facientem, ut pergat eloqui, commode adhortatur Blepsidemus: *λέγ' ἀνύσας ὅ τι φῄς ποτε*. Illae relativae voces in eiusmodi enunciationibus sunt solennes, ut supra 139. *πῶς; ὅπως;* infr. 461. 458. *τί; ὅ τι;* etc. De formula *ἀνύσας λέγε* cf. supr. 229. Hic addenda est scholiastae interpretatio idonea nostraeque similis: *λέγε ὅ τι φῄς ποτε ἀνύσας, καὶ τελέσας τοῦτο. τουτέστιν, εἰς τέλος καὶ διασάφησιν ἀγαγὼν σὸν λόγον*. Comparari potest Soph. Oed. R. 655. *φράζε δὴ τί φῄς*. Xenoph. Anab. II. 1. 15. *σὺ δ' ἡμῖν εἰπὲ τί λέγεις*. Est enim *τί φῄς* v. *τί λέγεις* nostrum: was du meinst.

346. In diverbiis saepe locutio alterius personae dependet et regitur a verbo, quo usus fuit altera. Id haud raro interpretes vexavit. Pariter et hic e verbis *λέγε ὅ τι φῄς ποτε* ad *εὖ πράττειν ἀεί*, omissis

ἢν δὲ σφαλῶμεν, ἐπιτετρῖφθαι τοπαράπαν.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

τουτὶ πονηρὸν φαίνεται τὸ φορτίον,
καί μ' οὐκ ἀρέσκει. τό τε γὰρ ἐξαίφνης ἄγαν
οὕτως ὑπερπλουτεῖν, τό τ' αὖ δεδοικέναι
πρὸς ἀνδρὸς οὐδὲν ὑγιὲς ἐστ' εἰργασμένου.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

πῶς; οὐδὲν ὑγιές;

348. τοῦτο Harl. vitiose. — 349. καί μοι οὐκ ἀρέσκει τὸ γὰρ ἐξαίφ. ἄγ. Bar. 2. ἄγαν om. Mead. — 351. παρ' ἀνδρὸς Bar. 2. — ἐστιν Bar. 2. — 352. πῶς δ' οὐδὲν edd. vett. omn. Pors. Dind. et codd. Monac. Cant. 1. 2. δ' omis. codd. A. B. C. D. Cant. 3. 4. Bar. 2. 3. Dorv. Ask. Mead. et edd. Brunck. Invern. Bo. et scripserunt πῶς οὐδὲν ὑγιές; δ' eiecto scribendum duxi πῶς; οὐδὲν ὑγιές;

φημὶ ἡμᾶς, transitus factus est. — ἢν μὲν κατορθώσωμεν, κατορθοῦν de quolibet successu, neque solum bellico, ut Thom. Mag. opinatur, sed et de causis forensibus et in universum *rem bene gerere*. Cum autem ὀρθοῦν proprie sit *erigere*, bene hic opponitur σφάλλεσθαι *titubare* pro *rem male gerere*. Quae tamen res bene aut male geri possit, id quidem Chremylus secum sciebat, at Blepsidemo anxie et suspiciose quaerenti de consilio obscure dicit. — καί μ' οὐκ ἀρέσκει, quam locutionem atticam esse scholiasta affirmat, p. οὐκ ἀρεστὸν ἐμοὶ δοκεῖ. Dramaticis poetis valde usitata est Sophocl. Aiac. 581. (ed. Herm.) Eurip. Or. 210. Aristoph. Ran. 103. σὲ δὲ ταῦτ' ἀρέσκει; Acharn. 189. Nam μ' οὐκ non est elisio e μοί, sed μέ. Similiter σὲ cum ἀρέσκειν iungitur etiam apud prosaicos scriptores, Plat. Cratyl. p. 391. d. εἰ μὴ αὖ σε ταῦτα ἀρέσκει. Idem d. Rep. VIII. p. 557. b. de legg. III. p. 702. c. VII. p. 811. e. Par usus in poetarum verbo ἀνδάνειν. cf. Brunck. ad Theogn. v. 26.

351. πρὸς ἀνδρός ἐστιν. Scholiasta monet πρὸς abundare (περισσόν. ἡ πρός περισσὴ Ἀττικῶς.) πρὸς ἀνδρὸς εἶναι plus est et maiorem vim habet, quam ἀνδρὸς εἶναι. Orta est haec locutio, ut mihi videtur, e formulis πρὸς θυμοῦ, πρὸς ἐλπίδος etc., quae opponuntur ἀπὸ θυμοῦ, ἀπ' ἐλπίδος, ita ut πρός quasi adverbiascens notionem induat *secundum*, *convenienter* s. *quod cadit in aliquem* aut *quod alicui convenit*. Quare rectius scholiasta alius: ἡ πρός ἐνταῦθα οὔτε περισσή ἐστιν, ὡς οἴονταί τινες, οὔτε ἀντὶ τῆς ὑπό κεῖται, ἀλλὰ τὸ καθῆκον σημαίνει· ὡς καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ· „οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ θρηνεῖν ἐπῳδάς.“ Citare potuit ipsum Aristophan. Ran. 537. (Inv.) ταῦτα μὲν πρὸς ἀνδρός ἐστι νοῦν ἔχοντος καὶ φρένας, καὶ πολλὰ περιπεπλευκότος. coll. ibid. 546. — πῶς; οὐδὲν ὑγιές; sunt verba cum admiratione indignantis. *Quid? Ego aliquid commiserim?* De ὑγιὲς οὐδὲν cf. supr. 37. 50. — εἴ τι κεκλοφώς, nihil mutandum est. Blepsidemus non omnia effatur, quae dicere voluit, sed apodosin reticet. Dicere voluit: *si quid furatus es, et te nunc furti poenitet, confitendum tibi est; at ego tibi auxilio adero et periculum avertam*. Nam hoc infra 373 sq. dicit, usque ad quem versum et ultra Blepsidemus suspicionem hanc urget, et ab ea

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

ποῖός τις;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

οἷος —

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

λέγ' ἀνύσας ὅ τι φῂς ποτε.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἢν μὲν κατορθώσωμεν, εὖ πράττειν ἀεί·

345. οἷος Invern. et alii cum signo interrog. Pors. et alii cum commate, alii denique cum puncto. Cum aperta sit reticentia, eius signum, quo nos utimur, posui. — λέγ' ἀνύσας ut supra 196 et alias. — 346. εἰ — κατορθώσομεν Dorv. Ask.

intrusit, quod Lobeckius (ad Phryn. p. 323.) et alias restituendum esse putat. Hinc et utraque formula χθὲς καὶ πρώην et ἐχθὲς καὶ πρώην nuperrime, Plat. Legg. III. 108. T. 8. et Gorg. p. 470. Vid. Gataker. ad Antonin. X. 7.

342. ὡς λέγουσι, fere ὡς ἔπος εἰπεῖν, s. ὥς γ' ἐν αὐτοῖς ἡμῖν εἰρῆσθαι. Plat. Protag. init. Nisi rectius hominis male creduli verba habentur, ut *quidem omnes affirmant*. — ἢν θεὸς θέλῃ crebra modestiae formula. cf. infr. 405. ἢν θεοὶ θέλωσι. Ran. 536. εἰ θεὸς θέλοι. — ἔνι γάρ τις, ἔνι κίνδ. ἔνι et ἔνεστι promiscue quidem ab poetis dramaticis usurpantur, ut in trita illa locutione νοῦς ἔνεστί τινι Acharn. 556. Lysistr. 1124. Eurip. Androm. 230. 668. Hippol. 920., hic tamen in iterata breviore forma arcanorum quaedam simulatio subest. Aliter se habet eiusdem formae cumulatio in Lysistr. 545. (ed. Invern.) αἷς ἔνι φύσις, ἔνι χάρις, ἔνι δὲ θάρσος κ. λ. — οἷος cum signo interrogationis, quod Invern. et alii ponunt, non esse ferendum aiunt, quia metri causa neque alias, neque hic pro ποῖος, quae vox nimis vicinam sedem hoc loco habet, poni possit. cf. 388. Iam Girardus vidit, in voce οἷος Chremyli orationem a Blepsidemo sciendi cupido esse interruptam, Chremylumque dicturum fuisse, *quale periculum nunquam auditum est*. Equidem vero puto Chremylum tale quid dicturum non fuisse, sed, cum animadverteret Blepsidemum nimis sciendi cupidum, callide et lepide simulasse, se tale quid esse dicturum et ipsum suam orationem abrupisse, ut audiret, quid dicere vellet Blepsidemus. Est igitur ἀποσιώπησις s. reticentia, cuius signum reposui. Nunc Chremylum pausam facientem, ut pergat eloqui, commode adhortatur Blepsidemus: λέγ' ἀνύσας ὅ τι φῂς ποτε. Illae relativae voces in eiusmodi enunciationibus sunt solennes, ut supra 139. πῶς; ὅπως; infr. 461. 458. τί; ὅ τι; etc. De formula ἀνύσας λέγε cf. supr. 229. Hic addenda est scholiastae interpretatio idonea nostraeque similis: λέγε ὅ τι φῂς ποτε ἀνύσας, καὶ τελέσας τοῦτο. τουτέστιν, εἰς τέλος καὶ διασάφησιν ἀγαγὼν σὸν λόγον. Comparari potest Soph. Oed. R. 655. φράζε δὴ τί φῄς. Xenoph. Anab. II. 1. 15. σὺ δ' ἡμῖν εἰπὲ τί λέγεις. Est enim τί φῂς v. τί λέγεις nostrum: was du meinst.

346. In diverbiis saepe locutio alterius personae dependet et regitur a verbo, quo usus fuit altera. Id haud raro interpretes vexavit. Pariter et hic e verbis λέγε ὅ τι φῂς ποτε ad εὖ πράττειν ἀεί, omissis

ἢν δὲ σφαλῶμεν, ἐπιτετρῖφθαι τὸ παράπαν.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

τουτὶ πονηρὸν φαίνεται τὸ φορτίον,
καί μ᾽ οὐκ ἀρέσκει. τό τε γὰρ ἐξαίφνης ἄγαν
οὕτως ὑπερπλουτεῖν, τό τ᾽ αὖ δεδοικέναι
πρὸς ἀνδρὸς οὐδὲν ὑγιές ἐστ᾽ εἰργασμένου.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

πῶς; οὐδὲν ὑγιές;

348. τοῦτο Harl. vitiose. — 349. καί μοι οὐκ ἀρέσκει τό γὰρ ἐξαίφ. ἄγ. Bar. 2. ἄγαν om. Mead. — 351. παρ᾽ ἀνδρὸς Bar. 2. — ἐστιν Bar. 2. — 352. πῶς δ᾽ οὐδὲν edd. vett. omn. Pors. Dind. et codd. Monac. Cant. 1. 2. δ᾽ omis. codd. A. B. C. D. Cant. 3. 4. Bar. 2. 3. Dorv. Ask. Mead. et edd. Brunck. Invern. Bo. et scripserunt πῶς οὐδὲν ὑγιές; δ᾽ eiecto scribendum duxi πῶς; οὐδὲν ὑγιές;

φημὶ ἡμᾶς, transitus factus est. — ἢν μὲν κατορθώσωμεν, κατορθοῦν de quolibet successu, neque solum bellico, ut Thom. Mag. opinatur, sed et de causis forensibus et in universum *rem bene gerere*. Cum autem ὀρθοῦν proprie sit *erigere*, bene hic opponitur σφάλλεσθαι *titubare* pro *rem male gerere*. Quae tamen res bene aut male geri possit, id quidem Chremylus secum sciebat, at Blepsidemo anxie et suspiciose quaerenti de consilio obscure dicit. — καί μ᾽ οὐκ ἀρέσκει, quam locutionem atticam esse scholiasta affirmat, p. οὐκ ἀρεστὸν ἐμοὶ δοκεῖ. Dramaticis poetis valde usitata est Sophocl. Aiac. 581. (ed. Herm.) Eurip. Or. 210. Aristoph. Ran. 103. σὲ δὲ ταῦτ᾽ ἀρέσκει; Acharn. 189. Nam μ᾽ οὐκ non est elisio e μοί, sed μέ. Similiter σὲ cum ἀρέσκειν iungitur etiam apud prosaicos scriptores, Plat. Cratyl. p. 391. d. εἰ μὴ αὖ σε ταῦτα ἀρέσκει. Idem d. Rep. VIII. p. 557. b. de legg. III. p. 702. c. VII. p. 811. e. Par usus in poetarum verbo ἁνδάνειν. cf. Brunck. ad Theogn. v. 26.

351. πρὸς ἀνδρός ἐστιν. Scholiasta monet πρὸς abundare (περισσόν. ἡ πρός περισσὴ Ἀττικῶς.) πρὸς ἀνδρὸς εἶναι plus est et maiorem vim habet, quam ἀνδρὸς εἶναι. Orta est haec locutio, ut mihi videtur, e formulis πρὸς θυμοῦ, πρὸς ἐλπίδος etc., quae opponuntur ἀπὸ θυμοῦ, ἀπ᾽ ἐλπίδος, ita ut πρός quasi adverbiascens notionem induat *secundum, convenienter* s. *quod cadit in aliquem* aut *quod alicui convenit*. Quare rectius scholiasta alius: ἡ πρός ἐνταῦθα οὔτε περισσή ἐστιν, ὡς οἴονταί τινες, οὔτε ἀντὶ τῆς ὑπό κεῖται, ἀλλὰ τὸ καθῆκον σημαίνει· ὡς καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ· „οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ θροεῖν ἐπῳδάς.“ Citare potuit ipsum Aristophan. Ran. 537. (Inv.) ταῦτα μὲν πρὸς ἀνδρός ἐστι νοῦν ἔχοντος καὶ φρένας, καὶ πολλὰ περιπεπλευκότος. coll. ibid. 546. — πῶς; οὐδὲν ὑγιές; sunt verba cum admiratione indignantis. *Quid? Ego aliquid commiserim?* De ὑγιὲς οὐδὲν cf. supr. 37. 50. — εἴ τι κέκλοφας, nihil mutandum est. Blepsidemus non omnia effatur, quae dicere voluit, sed apodosin reticet. Dicere voluit: *si quid furatus es, et te nunc furti poenitet, confitendum tibi est; at ego tibi auxilio adero et periculum avertam.* Nam hoc infra 373 sq. dicit, usque ad quem versum et ultra Blepsidemus suspicionem hanc urget, et ab ea

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

εἴ τι κεκλοφὼς νὴ Δία
ἐκεῖθεν ἥκεις ἀργύριον, ἢ χρυσίον
παρὰ τοῦ θεοῦ, κἄπειτ' ἴσως σοι μεταμέλει.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

Ἄπολλον ἀποτρόπαιε, μὰ Δί' ἐγὼ μὲν οὔ.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

παῦσαι φλυαρῶν ὠγάθ'· οἶδα γὰρ σαφῶς.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

σὺ μηδὲν εἰς ἔμ' ὑπονόει τοιοῦτο.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

φεῦ·
ὡς οὐδὲν ἀτεχνῶς ὑγιές ἐστιν οὐδενός,

352. Pro εἴ τι Duck. maluit ἤ τι, Münt. εἶτα siccine. Sensum non perspexerunt. cf. not. — 355. ἀποτρόπαιε· μὰ Δί', ἐγὼ μὲν οὔ. Invern. Similiter ceteri interpungunt. Pors. et Dind. ut nos. — 356. ὦ 'γάθ' Invern. Pors. ὠγάθ' Dind. ὦ ἀγάθ' Frischl. Cett. edd. vett. ὦ 'γαθ' sine accentu. ὦ 'γαθὲ Monac. Quare ὠγάθ'. cf. praef. — 357. εἰς ἐμὲ sine elisione Dorv., ut saepe. — τοιοῦτον Monac. Elb. Cant. 1. 4. Harl. Bar. 2. 3. Mead. φεῦ, quod in fine legitur, codd. aliq., in quibus Monac., ad initium versus sequentis reiiciunt. Hinc bene utrumque versum Porson ita disposuit, ut primus exiret τοιουτονί, alter inciperet φεῦ. ὡς οὐδὲν κ. τ. λ. Hoc modo φεῦ extra metrum positum est, quod in hac et aliis interiectionibus licitum fuit, quae saepe inter medios versus insertae deprehenduntur. cf. Reisig. Coniect. p. 248 sq. Cum tamen neutrum pronominis huic loco multo sit convenientius, quam masculinum, et plurimi libb. mss. in neutro conspirent τοιοῦτο exhibentes, ut Cant. 2. 3. Arund. Rav., aut τουτοΐ, ut Dorv., ex utraque hac lectione veram elici posse putaverim, reficto τοιουτοΐ et φεῦ extra metrum collocato.

se defendit Chremylus. — ἐκεῖθεν est δεικτικῶς, digito ostendit templum Apollinis multis donariis refertum, quod, cum indidem Chremylus Plutum abduxisset, in scena conspiciebatur. — ἔπειτα non est *nunc*, ut Fischerus vult, sed *deinceps*, *continuo*; usus ex Homero satis notus. Hom. Il. φ. 551. ubi cf. Eust. p. 1315, 44.

355. Ἄπολλον ἀποτρόπαιε, ἀποσοβητὰ τῶν κακῶν. Schol. θεοὶ ἀποτρόπαιοι, ἀπότροποι ἢ ἀλεξίκακοι, quibus oppeni dicuntur θεοὶ κτήσιοι, in rebus adversis invocantur, utpote *Dii averrunci*, ut avertant calamitatem. Prae ceteris diis Chremylus hic Apollinem averruncum appellat, non solum, ut Münterus vult, quia modo ab oraculo Apollinis reverterat, sed etiam quia Apollo Atheniensibus patrius fuit (Ἀπόλλων πατρῷος), de quo schol. ad Plat. Euthyd. p. 302. d. φασί τινες, Ἀθηναίους αὐτόχθονας φῦναι καὶ τούτων γονέας ἔχειν Γῆν καὶ Ἥλιον, ὅς ὁ αὐτός ἐστιν Ἀπόλλων. οἱ δέ, ὅτι Κρεούσῃ τῇ Ἐρε-

ἀλλ' εἰσὶ τοῦ κέρδους ἅπαντες ἥττονες
ΧΡΕΜΥΛΟΣ.
οὔ τοι μὰ τὴν Δήμητρ' ὑγιαίνειν μοι δοκεῖς.
ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.
ὡς πολὺ μεθέστηχ' ὧν πρότερον εἶχεν τρόπων.
ΧΡΕΜΥΛΟΣ.
μελαγχολᾷς ὤνθρωπε νὴ τὸν οὐρανόν.
ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.
ἀλλ' οὐδὲ τὸ βλέμμ' αὐτὸ κατὰ χώραν ἔχεις,
ἀλλ' ἔστιν ἐπίδηλόν τι πεπανουργηκότι.
ΧΡΕΜΥΛΟΣ.
σὺ μὲν οἶδ' ὃ κρώζεις· ὡς ἐμοῦ τι κεκλοφότος
ζητεῖς μεταλαβεῖν.

360. *Δήμητραν* Bar. 2. Cant. 2. — 361. *μεθέστηκεν* Bar. 2. *μετέστηχ'* Ven. 1. 2. Raph. — *εἶχε τρόπων* edd. vett. omn. et cum al. codd. Monac. *εἶχε πρότερον* Harl. *εἶχες* Rav. dure. Restituit *εἶχεν* Brunck. quod cum Pors. Dind. servavi. — 362. *ὦ 'νθρωπε* Iunt. 1. 2. 3. Crat. Wech. Brub. Port. Pors. *ὦ 'νθρωπε* Canin. Frischl. Ven. 1. 2. Raph. et e codd. Monac. *ὤν 'θρωπε* Ald. *ἄνθρωπε* Dorv. Bar. 2. Harl. A. B. C. et edd. Brunck. Invern. Dind. Bo. In cett. codd. crasis, aut aphaeresis, aut *ὦ* supra scripto ut in B. et Dorv. — 363. *αὐτῷ* cod. Harl. et Monac., ubi tamen in margine *αὐτό* notatur. *αὐτοῦ* cod. F. et edd. Iunt. 2. 3. — *ἔχεις* Ravennas solus, quod receperunt Invern. Dind. — *βλέμμα* sine elisione, ut alias haud raro fit, Monac. — 364. *πεπανουργευκότι* Rav. *πεπανουργηκότος* coni. Boissonad. *ἐπιδηλοῦν τι πεπανουργηκότα* coni. Lamb. Bos. Anim. p. 7. — 365. Elmsl. ad Acharn. 255. Graecius certe: *σὺ μὲν οἶδ' ὃ κρώζεις*. Harl. contra metr. *σὺ μὲν οὖν οἶδ'*. — *κράζεις* codd. Dorv. Elb. — *τι* om. Cant. 4.

χθέντι μιγεὶς Ἀπόλλων Ἴωνα ἐγέννησεν· ἀφ' οὗ καὶ τοὺς Ἀθηναίους ποτὲ Ἴωνας κληθῆναι, καὶ διὰ ταῦτα Πατρῷον αὐτοὺς ἔχειν Ἀπόλλωνα. In hac Atheniensium ab Ione Apollinis filio deducenda origine tota quidem vertit Euripidis fabula, quae Ion inscribitur. Loci de Apolline et ceteris diis averruncis non rari: Eurip. Phoen. 589. Sophoclis Trachin. 304. Aiac. 186. Aeschyl. Suppl. 898. Demosth. adv. Mid. p. 332. et Aristoph. Vesp. 161. Av. 62. De Apollinis averrunci cultu apud Athenienses cf. Pausan. I. p. 44. — *παῦσαι φλυαρῶν. περισσολογῶν.* schol. et Olympiod. *φλυαρία πᾶν τὸ περιττόν, οὐ μόνον τὸ ἐν λόγοις, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐν ἔργοις.* Noster in Lysistr. 159. *φλυαρία ταῦτ' ἐστὶ τὰ μεμιμημένα.* Non solum id, quod *supervacaneum*, sed etiam, quod *ineptum* est, indicat, ut Nub. 364. (Reisig.) *αὗται γάρ τοι μόναι εἰσὶ θεαί· τἄλλα δὲ πάντ' ἐστὶ φλύαρος.* Quod Wolfius apte reddit: *Flausen.* Vox Graecae non absimilis. Ceterum occurrit *φλυαρήσεις ἔχων* Ran. 203. 527., non pleonasmo

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.
μεταλαβεῖν ζητῶ; τίνος;
ΧΡΕΜΥΛΟΣ.
τὸ δ' ἐστὶν οὐ τοιοῦτον, ἀλλ' ἑτέρως ἔχον.
ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.
μῶν οὐ κέκλοφας, ἀλλ' ἥρπακας;

366. Pors. post ζητῶ colon. — 367. τόδ' edd. vett. Pors. et cod. Elb. τὸ δ' Hemst. Brunck. Invern. Dind. Varietas scripturae frequentissima.

verbi ἔχων, ut dicunt; sed ἔχω statum, quo quis est, significat, ut in formulis ἥσυχος ἔχω (cf. supra 126.) etc. — ὠγαθέ, ut *vir bone* Terent. Eun. 5. 2. 11. exclamatio familiariter vituperantis; similiter se habet sed durius est ἄνθρωπε 362. Aliter se habet supra 215.

357. φεῦ, ἀποδυσπετεῖ (ὁ Βλεψ.) ὡς ἠρνημένου Χρεμύλου τὸ κακούργημα. Nam voce φεῦ non solum dolore, sed etiam admiratione et indignatione commoti utuntur. — ἀτεχνῶς ὑγιές, φανερῶς, ἀληθές. Schol. De ἀτεχνῶς cf. not. ad v. 109.; ὑγιές vero de animi integritate et candore frequenter occurrit. cf. 37. 50. 274. 351. — κέρδους ἅπαντες ἥττονες, νικώμενοι ὑπὸ τοῦ κέρδους. Schol. Locutio proverbialis et metaphorica: auri fames vincit omnes s. lucri studio sunt inferiores. Ita Eurip. Dan. 85. κρείσσων γὰρ οὐδεὶς χρημάτων πέφυκ' ἀνήρ. Nub. 1075. κἀκεῖνος ἥττων ἔρωτός ἐστι: *auch der erlag der Liebespein.* Wolf.

361. ὧν πρότερον εἶχεν τρόπων. *Antiptosis* s. casuum permutatio, quam Buttmannus *attractionem* appellat, notissima et maxime vulgaris; at longe insolentiorem personarum protulit permutationem Invernizius ex cod. Rav., unde edidit εἶχες, quam lectionem non improbare videtur Reisig. Coniect. p. 154. Talis vero personarum mutatio, ut pro tertia secunda ponatur, nullam prorsus habet analogiam, nec defendi potest, nisi acceperis, Blepsidemum verba ὡς πολὺ μεθέστηκεν ad spectatores conversum, ὧν πρότερον εἶχες τρόπων ad Chremylum dixisse. Id enim, si enunciatio duabus partibus constat, nonnumquam fit et scenicis poetis proprium est. v. g. ap. Plaut. Aulul. in init. „*At ut scelesta sola secum murmurat! Oculos hercle istos, improba, effodiam tibi.*“ Terent. Hecyr. I. 2. 36. „Vera haec praedicat. Si mihi fidem das, te tacituram, dicam.“ Sed personarum unaque casuum permutatio in una eaque brevi enunciatione iam per se dura est. — μεθέστηκε τρόπων. Similiter μετέστη ξηρῶν τρόπων. Vesp. 1490. (ed. Invern.) μεθιστὰς ἐς τολοιπὸν τὸν τρόπον Vesp. 778. (ed. Invern.); est igitur: *desciscere a moribus prioribus*, ut supra 36. πευσόμενος εἰ χρὴ μεταβαλόντα τοὺς τρόπους τὸν υἱὸν εἶναι πανοῦργον. — ὤνθρωπε. Edd. vett. et codd. complur. auctoritate crasin restitui, quae, ut in ὦνδρες, ὠγαθὲ etc. a libris plurimis servata, ad exemplum Herodoti I. 85. „ὤνθρωπε, μὴ κτεῖνε Κροῖσον.“ exprimenda fuit, quum hic nullum dialecti discrimen valeret. Pariter Acharn. 1120. 1121. 1126 etc.

363—364. Miror interpretum difficilem laborem; verba lectionis vulgatae sunt perspicua. Loquitur ad spectatores: τὸ βλέμμα αὐτὸ οὐκ ἔχει κατὰ χώραν, ἀλλ' ἐπίδηλόν ἐστιν ἀνδρὶ πεπανουργηκότι τι. h. e. *Oculi ipsi non sunt tranquilli, sed aperte sunt homini, qui aliquid commisit.* Nam ἐπίδηλον est adverbium, non adiectivum; et τὶ pertinet ad πεπανουργ.; et τινὶ leni

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

κακοδαιμονᾷς.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

ἀλλ' οὐδὲ μὴν ἀπεστέρηκάς γ' οὐδένα;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

οὐ δῆτ' ἔγωγ'.

369. οὐδὲ μὴν Brunck. ex A. et D., ita Dorv. quoque. Hos sequuntur Invern. Pors. Dind. οὐδεμὴν coniunctim scriptum in edd. vett. et cett. libb. mss. — 370. ἔγωγε Monac.

pro τυγχάνει τινὶ ὂν satis frequens. Haec facilis constructio interpretes fugit, qui ἐπίδηλον aut active, aut pro ὅμοιον, ut scholiasta, accipere voluerunt, aut πεπανουργηκότι in genit. et accus. mutarunt. Nihil sollicitandum est. Nam quid hic aptius, quam, ut Germanice reddam: *Der Blick selbst ist gar nicht fest; sondern gehört einem, der etwas begangen hat.* κατὰ χώραν ἔχειν *suo loco esse, non vagari,* ἡσύχως ἔχειν etc. quare schol. hic: κατὰ τάξιν minus apte; aliud κατὰ τὸ καθεστηκὸς καὶ ὡς δεῖ. Similis locus Ran. 806. ἕξειν κατὰ χώραν, *suo loco manere*, ubi schol. ἀντὶ τοῦ, ἐάσειν οὕτως ὡς εὗρεν τὸν Αἰσχύλον καθέζεσθαι. cf. et Equit. 1365. οὐχὶ κατὰ χώραν μενεῖς; quod schol. expl. οὐκ ἐπὶ σαυτοῦ μενεῖς καὶ ἡσυχίαν σχήσεις; Münt., qui nexum verb. non intellexit, aptum tamen locum attulit Xen. Oecon. 10, 10. εἰ κατὰ χώραν ἔχει ἕκαστα. Comparari potest Eurip. Med. 27, οὔτ' ὄμμ' ἐπαίρουσ', οὔτ' ἀπαλλάσσουσα γῆς πρόσωπον.

365 — 369. σὺ μὲν οἶδ' ὃ κρώζεις, κρώζω et κράζω utrumque de corvo et cornice. Blepsidemus κρώζειν dicitur, non, ut scholiasta praecinente putant, quod vana loquitur, sed potius quod furtum sagit et praedam callide sentire sibi videtur. Quamvis non negaverim κρώζειν per se et adhiberi in παροιμίᾳ ἐπὶ τῶν μάτην θρυλλούντων, ὡς αἱ κορῶναι, schol., sed hic nihil ad rem. — ὡς ἐμοῦ τι κακ. Schol. monet, quod vix opus est, τὸ ὡς οὐκ ἔστιν ἀντὶ τοῦ ὅτι, ὡς οἴονταί τινες. οὐ γάρ ἐστι πρὸς τὸ ζητεῖς, ἀλλὰ πρὸς τὸ κεκλοφότος· καὶ ἔστιν ἀντὶ τοῦ καθά. Ergo *quasi, tanquam.* — μεταλαβεῖν, schol. τῆς κλοπῆς, quod ex κεκλοφότος memoriae facile succurrit. — κακοδαιμονᾷς. Vox poetae usitatissima 382. cf. Nub. 689. 783. 1058. 1109. 1198. ubi Wolfium bene vertentem video: *Iammermensch.* Quum similiter iam scholiasta interpretatus esset ἄθλιος καὶ κακοδαίμων, quid Fischer. et Münt. haec locutio vexaverit, non intelligo. ἀλλ' οὐδὲ μὴν ἀπεστ. Ne aliorum errores commemorem, brevi hunc locum expediam. Blepsidemus pergit inquirere ἀλλ' οὐδὲ μὴν ἀπεστέρηκας. h. e. *age, nec magis* ἀπεστέρηκας, quam κέκλοφας et ἥρπακας? Id enim per ἀλλ' οὐδὲ μὴν indicatur, ut est videre ap. Eurip. Or. 1117. ubi ἀλλ' οὐδ' ἐγὼ μὴν *et certe nec ego magis.* — ἀποστερῶ, ἐστὶν ὅταν παραθήκην τινὸς λαβὼν εἰς διαβολὴν χρήσω, καὶ οὐκ ἐθέλω διδόναι αὐτῷ, ἃ ἔλαβον. Schol.

370. In tanto librorum manuscriptorum et impressorum consensu, qui ποῖ τις οὖν praebent, ab hac vulgata lectione discedere nefas duxi. cf. notam ad v. 434. — κατηγορεῖς γάρ, πρὶν μαθεῖν τὸ πρᾶγμά, μου. Ita interpungit Porson fortasse scholiasta duce, qui τὸ μου σύναπτε πρὸς τὸ κατηγορεῖς. Rectius κατηγορεῖς τὸ πρᾶγμά μου πρὶν μαθεῖν: accusas

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

ὦ Ἡράκλεις· φέρε, ποῖ τις οὖν
τράποιτο; τἀληθὲς γὰρ οὐκ ἐθέλεις φράσαι.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

κατηγορεῖς γὰρ πρὶν μαθεῖν τὸ πρᾶγμά μου.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

ὦτάν, ἐγώ σοι τοῦτ' ἀπὸ σμικροῦ πάνυ
ἐθέλω διαπρᾶξαι, πρὶν πυθέσθαι τὴν πόλιν,

370. ὦ omis. codd. Cant. 3. 4. Monac. Dorv. Ask. Bar. 2. 3. Ask. — — Magnus consensus librorum in verbis ποῖ τις οὖν, quae habent codd. Rav. Monac. A. B. C. D. Harl. Bar. 1. 2. 3. Elb. Arund. Mead. Ask. Cant. 1. 2. 3. 4. et edd. vett. omnes, probantibus Hemsterh. Hermanno ad Soph. Aiac. 904. Reisigio Coniect. p. X., improbantibus Britannis et Italo, qui Kusteri sive coniecturam sive fortuitam correctionem amplectuntur, quam postea solus cod. Borg., liber parvi nominis, praebuit: nimirum ποῖ τις ἄν. — 371. ἐθέλει codd. Monac. Harl. Bar. 2. 3. et Elb., ut Blepsidemus ad spectatores conversus loquatur. Probant Dobr. et Trendelenb. — 372. Cod. Dorv. δὲ pro γάρ. — 373. ὦ τᾶν edd. vett. except. Port. quae, ut Pors. et Invern., ὦ 'τὰν habet. — 374. διαπράξαι cum edd. vett. cod. Monac.

quippe me hoc fecisse, ne explorata quidem re.

373. ἀπὸ σμικροῦ, ἀναλώματος. Schol. ut Equit. 542. ἀπὸ σμικρᾶς δαπάνης ὑμᾶς ἀριστίζων ἀπέπεμπεν. h. e. *qui vos parvo sumtu saturatos dimisit.* Similis usus praepos. ἀπὸ Equit. 798. Et quod comparat Münt. ex Isocrat. ἀπὸ ταλάντων ἑξήκοντα, impendio LX. talentorum. — τὸ στόμ' ἐπιβύσας, ut Pac. 645. οἱ ξένοι χρυσίῳ τῶν ταῦτα ποιούντων ἔβυον τὸ στόμα. et Equit. 440. βούλει τῶν ταλάντων ἓν λαβὼν σιωπᾶν. Ludificatur autem, ut omnes viderunt, rhetorum silentium venale; nam non solum pecunia corrupti verbose defendebant, sed etiam in tempore silebant, ut Demosthenes a Milesiorum legatis mercede captus, qui, quum ei dicendum esset, συνάγχην praetexuit, quodam, qui praesens fuit, lepide corrigente ἀργυράγχην. Gell. N. A. XI. 9. Quare recte schol. h. l. ἐπιβύσας, ἀντὶ τοῦ ἐπιπλήσας. et Equit. 646. ἔβυον, ἐπλήρουν. utroque melius Eustath. ad Od. δ. 134. βεβυσμένος δὲ ὁ γέμων καὶ μετὰ ὠθισμοῦ τινος μεστός. — κέρμασι hic universe dictum, ut schol. δωρήμασι, νομίσμασιν, ἵν' ὅταν καταστῇς εἰς κρίσιν, συνηγοροῦντας αὐτοὺς ἔχῃς διὰ τὴν δωροδοκίαν.

376. καὶ μὴν φίλως. Lectionum varietatis causa fuisse videtur particula ἄν, quae, cum ad λογίσασθαι pertineret, a scribis cum δοκεῖς iungebatur. φίλος vero ab iis exiit, qui in scribendo ultra verba proxima non prospicientes φίλος μοι δοκεῖς cohaerere opinabantur. Similes constructiones particulae ἂν affert Brunck. Vesp. 1198. (1237. ed. Invern.), ubi tamen eadem diversitas lectionis: ποῖον ἂν λέξαι δοκεῖς et δοκῇς. Certior testis est alter locus Av. 1652. (1660. Invern.) πῶς ἂν ποτε ἐπίκληρον εἶναι τὴν 'Αθηναίαν δοκεῖς, ubi nulla varietas deprehen-

τὸ στόμ᾽ ἐπιβύσας κέρμασιν τῶν ῥητόρων.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

καὶ μὴν φίλως γ᾽ ἄν μοι δοκεῖς νὴ τοὺς θεοὺς
τρεῖς μνᾶς ἀναλώσας λογίσασθαι δώδεκα.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

ὁρῶ τιν᾽ ἐπὶ τοῦ βήματος καθεδούμενον,
ἱκετηρίαν ἔχοντα μετὰ τῶν παιδίων
καὶ τῆς γυναικός, κοὐ διοίσοντ᾽ ἄντικρυς

375. Codd. Monac. Elb. Harl. et edd. vett. exc. Canin. *κέρμασι* sine *ν* paragog. — 376. Magna hic lectionis diversitas sed facile diiudicanda. cf. not. Ante Hemsterh. vulgo *φίλος*, quod habent et codd. Borg. Dorv. D. Cant. 3. B. Bar. 3. duo extremi *ω* suprascr.; contra *φίλως* codd. A. C. E. Rav. Monac. Harl. Ask. Mead. Cant. 1. (?) 2. 4. (?). — *φίλος γὰρ* Dorv., quod Hemsterh. in parenthesi cum *μοι* positum non improbat. — *δοκῇς* codd. Monac. B. C. et edd. vett. *δοκοῖς* Mead. *δοκεῖς* codd. Elb. A. D. E. Harl. (?) Borg. Ask. Bar. 2. 3. (?) Cant. 1. 2. 3. 4. — 377. Ald. post *ἀναλώσας* habet *γέ*, quod omn. edd. vett. repetebant, donec ab Hemst. primo, utpote metro infestum, deletum est. Unde illud *γὲ* in Aldinam venerit, adhuc ignoratur; nam deest in omnib. codd., qui exstant et collati sunt. — Cod. Cant. 1. *λογίσαις*. — 379. *παίδων* Bar. 2. Elb. Mead. metro repugn. — 380. *οὐδὲν* pro *κοὐ* Suidas.

ditur. Sensus loci nostri, quem Brunckius propter *φίλος* false reddit, hic est: *Per deos! tu quippe, ut amicum decet, si tres minas pro me impenderis, rationibus mihi duodecim inferes.* *εἰρωνικὸν τοῦτο.* Gl. Dorv. Paris. Spectat enim totum ad *ἀπὸ πάνυ σμικροῦ ἐθέλω διαπρᾶξαι*, quod Blepsidemus promisit.

378. *ὁρῶ τιν᾽ ἐπὶ τοῦ βημ.* Blepsidemus de Chremyli furto persuasus fingit se animo quasi iam Chremylum furti reum et supplicem in iudicium venientem videre. Ipsum quidem Chremylum non nominatim appellat, sed id quod multo maiorem vim habere solet in conscium facinori, per imaginem indicat. Comparat Berglerus Acharn. 1142. (ed. Invern.) *ἐνορῶ γέροντα δειλίας φευξόμενον.* h. e. *video senem reum timiditatis futurum;* hoc vero Lamachus dicit, postquam clypeum oleo detersit et Dicaeopolin hominem pacis amantem in clypeo quasi in speculo conspexit. Utrum vero sub *Heraclidis Pamphili*, quibus exemplo Blepsidemus utitur, drama sit intelligendum, an pictura, scholiastae et interpretes certant. Eiusdem enim nominis pictorem et poetam tragicum fuisse, utrumque autem Heraclidarum supplicum fata celebrasse narrant. Similis fabula Eurip. Heraclid. ubi et plures versus ad hunc quadrant, v. c. 33. 123. 345. Pictura certe, ut plurimi cum Daceria statuunt, huic loco melius convenit, praesertim quum ista, quae Heraclidas supplices repraesentavit, in stoa, ut diserte narratur, fuerit et Atheniensium cuique nota. Persimilis locus, quod ad structuram attinet, exstat in Aeschyl. Eumenid. 40. ubi Pythia, non in imagine, sed re vera conspicit Orestem supplicem ad aram sedentem. — *καθεδούμενον.* de

(385) τῶν Ἡρακλειδῶν οὐδ' ὁτιοῦν τῶν Παμφίλου.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

οὐκ ὦ κακόδαιμον, ἀλλὰ τοὺς χρηστοὺς μόνους
ἔγωγε καὶ τοὺς δεξιοὺς καὶ σώφρονας
ἀπαρτὶ πλουτῆσαι ποιήσω.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

τί σὺ λέγεις;
οὔτω πάνυ πολλὰ κέκλοφας;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

οἴμοι τῶν κακῶν,

381. *τῶν δ' Ἡρακλ.* Ven. 1. 2. Wech. Raph., sed neminem comperi hoc *δ'* in codice aliquo reperisse. *τῶνδ'* Brub. Can. — *τοῦ Παμφίλου* Harl. — 382. *μόνον* Elb. *μόνους* Mead. — 383. *ἐγὼ* Elb. — *δικαίους* pro *δεξ.* Rav. solus, quod Invern. recepit. — *τοὺς σώφρονας* Monac. Bar. 2. 3. Cant. 4. — 384. *ἀπάρτι* codd. A. B. C. Cant. 1. 2. Dorv. et cum Brunck. Invern. *ἀπαρτὶ* ceteri libb. mss. et edd., quod Lobeck. probat ad Phryn. p. 21. — *σὺ τί λέγεις* cod. Monac. Cant. 4. — 385. *πολλὰ* omis. et *κεκλοφὼς* pro *κέκλοφας* Dorv.

hac forma cf. Phrynich. eiusque interpretem doctum Lobeck. p. 269. — *ἱκετηρίαν ἔχοντα*, *ἱκετηρία ἐστὶ κλάδος ἐλαίας ἐρίῳ πεπλεγμένος. οἱ γὰρ ἱκετεύοντες ἐλαίας κατεῖχον κλάδον.* Schol. Ut patet ex Aeschyl. Eumenid. 43. *ἔχοντ' ἐλαίας ὑψιγέννητον κλάδον, λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον, ἀργῆτι μαλλῷ.* Sophocl. Oed. R. 3. *ἱκετηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι.* Hom. Il. α. 14. *στέμματ' ἔχων ἐν χερσίν.* Plaut. Amphitr. init. *velatis manibus orant.* — *κοὐ διοίσοντα ἄντικρυς*, *οὐ διαφορὰν ἕξοντα.* Schol. *οὐδὲν* pro *οὐ*, quod Suidas exhibet, maiorem vim certe haberet, si modo metro esset aptum. De *διαφέρειν* cf. Phrynich. p. 394. ed. Lobeck. de *ἄντικρυς* cf. supra not. ad vers. 134.

382 — 384. Apte haec disponit scholiasta: *εἰ γάρ, ὡς φής, ἐκεκλόφειν, φαῦλος ἦν ἂν τὸν τρόπον· φαῦλος δὲ ὤν, οὐκ ἂν παρέσχον ἄλλῳ τινί· νῦν δὲ τοῖς χρηστοῖς προῃρημένος δοῦναι, δῆλον ὅτι ἀγαθός εἰμι· εἰ δὲ ἀγαθός, οὐ κέκλοφα.* — *σώφρονας. σώφρων λέγεται κυρίως ὁ εὐλαβὴς ἄνθρωπος. λέγεται σώφρων καὶ ὁ σώαν ἔχων τὴν φρόνησιν, ἐξ οὗ καὶ σωφροσύνη ἡ τῶν φρενῶν ἀκεραιότης.* Schol. — *δεξιούς*, quales esse debent, ut Ran. 71. *δέομαι ποιητοῦ δεξιοῦ. οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσίν, οἱ δ' ὄντες κακοί.* — De vocis *ἀπαρτὶ* et significatione et accentu grammatici dissentiunt. Lobeckius sagax Phrynichi commentator p. 21. quamvis non improbet significationem numeri *ἀπηρτισμένου*, cui nec desit, nec supersit quidquam, quod optime quadrat ad hunc locum, paullo post tamen cum Grammatico Bekkeriano, ut eius verbis utar, hic loci *ἐκ τοῦ ἐναντίου* indicari statuit, quae significatio ab hac enunciatione, cum *ἀλλὰ* in fronte gerat, certe aliena est. Probos potius *ad unum omnes* locupletare vult Chremylus, ad quod apte respondet Blepsidemus: *οὔτω πάνυ πολλὰ κέκλοφας;* scil. *ὥστε χρηστοὺς ἀπαρτὶ πλουτίζειν.* i. e. *optimum quemque.* Sufficit praeter

ἀπολεῖς —

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

σὺ μὲν οὖν σεαυτόν, ὥς γ' ἐμοὶ δοκεῖς.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

οὐ δῆτ'· ἐπεὶ τὸν Πλοῦτον ὦ μόχθηρε σὺ
ἔχω.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

σὺ Πλοῦτον; ὁποῖον;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

αὐτὸν τὸν θεόν.

386. *ἀπολεῖς* cum sequentib. Blepsidemo tribuitur in cod. Harl. — *σαυτὸν* codd. Harl. Mead. Cant. 3. contra metrum, nisi cetera sic mutantur: *ἀπό μ' ὀλεῖς. σὺ μὲν οὖν σαυτὸν ὥς γ' ἐμοὶ δοκεῖς.* De tmesi *ἀπό μ' ὀλεῖς* cf. Sophocl. Philoct. 820. — 387. *οὐ δῆτα ἐπὶ* Dorv. vitiose. — *ἐπειδὴ* pro *ἐπεὶ τὸν* Cant. 4. — 388. *ποῖον* Rav. Cant. 4. Ask. E. et edd. Invern. Pors. Dind. *ὁποῖον* codd. A. B. C. D. Monac. Arund. Mead. Cant. 1. 2. 3. et edd. Ald. Iunt. 1. 2. 3. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Canin. Frischl. Brub. Raph. Port. et scholiasta, qui addit: *ἐρωτηματικὸν ἀντὶ τοῦ ποῖον.* Ac recte hic *ὁποῖον.* cf. not. — Pro *αὐτὸν τὸν θεὸν* opinor fuisse *αὐτότατον θεόν.*

ceteros Aristophanis scholiasta, quem hic adiungo: *ἀπαρτὶ ἀπηρτισμένως· ἐπίῤῥημα δέ ἐστιν, ὡς ἀμογητί, παρὰ τὸ ἀπηρτισμένον καὶ πλῆρες. κέχρηται αὐτῷ Ἡρόδοτος λέγων, ἀπὸ τούτου εἰσὶ στάδια δύο ἀπαρτί*, quod plane simile est locutioni illi *ἡμέραι ἀπαρτὶ ἐνενήκοντα* h. e. *nonaginta dies integri*, non, ut ad Phrynichum l. l. vertitur, *nonaginta ipsi dies*. Quare recte interpretantur veteres hoc adverbium *ἀπαρτὶ* per *τελείως* et *ἀπηρτισμένως*, ut scholiasta noster. Ceterum quod quidam voluerunt *ἀπαρτὶ* scribi, quando *τὸ ἀπηρτισμένον* significet, *ἀπάρτι*, quando pro *ἐξεναντίου* aut, ut Brunckius cum glossemate Paris. voluit, *ἀπὸ τοῦ νῦν*, id fieri minime necessarium ducit Lobeckius l. l. Res similiter se habere videtur, ac cum *ἄντικρυς*. cf. not. ad 134.

385. *οἴμοι τῶν κακῶν.* Genitivus in exclamatione cum exclamandi vocula non minus usitatus est, quam merus genitivus. Eurip. Hecub. 425. *ὢ τῆς ἀθλίας τύχης.* ibid. 1085. *αἶ, αἶ. σᾶς ψυχᾶς.* ibid. 180. *ὤ μοι ἐμᾶς λώβας.* et ibid. 1241. *οἴμοι τέκνων τῶνδε.* cf. et Nub. 153. *ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τῆς λεπτότητος τῶν φρενῶν.* et Lysistr. 967. Nec raro in exclamatione genit. occurrit sine ulla exclamandi vocula. Theocr. 15, 75. *χρηστῶ κ' οἰκτίρμονος ἀνδρός.* Noster in Ecclesiaz. 819. (Inv.) *τῆς μωρίας.* Acharn. 87. 840. *πολυπραγμοσύνης.* Eurip. Bacch. 259. *τῆς εὐσεβείας!* *ὦ ξένε, οὐκ αἰδῇ θεούς;* Monenda haec erant, quod commentatores explicando et supplendo sudantes vidi. cf. Reisig. Coniect. p. 265 sq. et nos infr. 1123. — *ἀπολεῖς* cod. Harl. haud male attribuit Blepsidemo eiusque verbis adiungit. Rectius vero statuitur orationis abruptio, ut supra 345, ita ut Blepsidemus, acer quippe inquisitor furti, primam Chremyli vocem excipiat et in eum convertat. Quare punctum

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

καὶ ποῦστιν;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἔνδον.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

ποῦ;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

παρ' ἐμοί.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

παρὰ σοί;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

πάνυ.

post *ἀπολεῖς* delevi. Scholiasta ad hoc verbum notat: *οἰήσονται γάρ τινες, ὡς ἀληθῆ λέγεις*, quasi dicere voluerit: *in discrimen me adducis, si, quae dicis, alii perceperint*; nisi *ἀπολεῖς* indignationis formula est, qua molestum sibi Blepsidemum increpat, ut *enecare* occurrit ap. Terent. Eun. 3. 5. 6. At Blepsidemus hoc verbo peculiari sua significatione utitur. Coniectura mea *ἀπό μ' ὀλεῖς*, nisi se ipsam commendat, originem quandam necessariam duxit ex *σαυτόν*, quae est lectio trium codicum.

388—390. *ὁποῖον*. Dawesio auctore Porson Invern. et Dind. *ποῖον* receperunt, quod soli codd. Ask. E. Cant. 4. et Rav. praebebant; ceteri libb. distincte et clare *ὁποῖον*, quod scholiasta tanquam unicam sui temporis lectionem *Ἀττικὸν* appellat et commendat. Tot librorum, qui diversae originis sunt, fidem virorum aliquot auctoritati postponere non potui, praesertim quum *ὁποῖος*, ut similes voces *εἶος*, *ὅπως*, *ὅπου*, quamvis rarius, in quaestione obviam fiant: *ὁπποίης ἐπὶ νηὸς ἀφίκεο;* Hom. Od. α. 171. ξ. 188. Ex Homericis ad Atticum sermonem transiit Eurip. Phoeniss. 1718. et Bacch. 652. Noster Nubb. 214. *ὁπουστίν;* Acharn. 974. (Inv.) *ὁποῖος οὗτος Λάμαχος τὴν ἐγχέλυν;* quamvis hoc cum *οἷος τίς* et *οἷον τί* mediam quandam tenet sedem: *οἷον τί λέγεις; οἷον τινα λόγον ἔχεις εἰπεῖν;* Plat. Theaet. p. 206. 208. de legib. IV. 712. *οἵαν σοι λώβαν ὦρσε δαίμων;* Eurip. Hecub. 197. ubi tamen exclamationem praetulerim. Pariter *ὅπως* pro *quomodo* ibid. 1057. Ceterum mihi *ὁποῖος* interrogativum a *ποῖος* differre videtur. *ποῖος πλοῦτος* minus est, quam *ὁποῖος*. Nam *ὁποῖος* interrogativum adhibetur, *ubi non rei conditio, sed varia eius species agitur*. *ποία ναῦς* est: *qualis navis? fueritne bona, velox, an tarda?* *ὁποία ναῦς* est: *qualis navis? fueritne tua, an aliena?* *ποῖος πλοῦτος qualis thesaurus, num magnus, an exiguus?* *ὁποῖος πλοῦτος num thesaurus, an ipse deus Plutus?* — *αὐτὸν τὸν θεόν*. Respicienti versum 83. mihi in mentem venit Chremyli responsum fuisse *αὐτότατον θεόν*, quod certe facetius, quam quod Dawesius Misc. Crit. p. 294. ed. Burgess. sub articulo, pronomini *αὐτὸς* hic iuncto, latere opinatur. Nam Plutum Deum Blepsidemus hucusque non cogitavit; quare nihil est *αὐτὸν τὸν θεὸν illum ipsum deum*. — *ἔνδον*, pro *οἴκοι*, unde *οἱ ἔνδοθεν* pro *οἰκέται* 227. 964. Pariter *ἔξω* foris respectu aedium internarum. v. g. Herod. III. 79. *οἱ δὲ πέντε αὐτέων ἔχοντες τῶν Μάγων τὰς κεφαλὰς ἔθεον ἔξω*. — *παρ' ἐμοί*. ut nomina hominum

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

οὐκ ἐς κόρακας; Πλοῦτος παρὰ σοί;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

νὴ τοὺς θεούς.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

λέγεις ἀληθῆ;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

φημί.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

πρὸς τῆς Ἑστίας;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

νὴ τὸν Ποσειδῶ.

390. Post *κόρακας* ap. Pors. comma. — *ὁ Πλοῦτος* Bar. 2. — 391. Monac. *φήμ' ἐγώ.* Cant. 1. 2. *φημὶ ἐγώ.* fortasse ex 94. 144. 214. — Harl. *πρὸ τῆς Ἑστίας.* Non inepte. Blepsidemus enim vellet: *Tune hoc affirmare audes coram Vesta s. adeo vicinus Vestae?*

pro domiciliis ipsorum occurrunt, cf. not. ad 84., ita et pronominibus aedes indicantur, idque nostrae et Latinae linguae proprium est, adeoque cuiusvis esse videtur. Quare *παρ' ἐμοὶ domi apud me.* Terent. Eun. 4. 6. 9. Heaut. 1. 1. 120. 3. 1. 21. *καὶ πότερον, ἔφη, τοὺς παρὰ σοὶ ἐλευθέρους οἴει βελτίους εἶναι ἢ τοὺς παρὰ Κεράμωνι δούλους; Ἐγὼ μὲν οἶμαι τοὺς παρὰ ἐμοὶ ἐλευθέρους.* Xenoph. Memorab. II. 7. 4.

390. *οὐκ ἐς κόρακας;* frequens indignandi formula proverbialis. cf. 603. 782. Iugum praeceps puteale tenebrosum et scopulosum, quod prope Areopagum situm erat, ita dicebatur, vulgo *βάραθρον*, de quo cf. 427. Suid. et Hesych. sub h. v. et Harpocrat. s. v. *ὄρυγμα.* Schol. h. l. *τόπος ἦν ἐν Ἀθήναις κρημνώδης Κόρακες καλούμενος, διὰ τὸ κοράκων εἶναι καταγώγιον, εἰς ὃν τοὺς κακούργους ἔῤῥιπτον. ἐλήφθη δὲ εἰς παροιμίαν, ὃ εἰώθασιν οἱ δυσχεραίνοντες λέγειν.* Hinc formulae *βάλλ', ἔῤῥ', ἄπαγ', ἀποφθερεῖ, πλεῖτω ἐς κόρακας.* Nub. 133. 785. Pac. 499. Equit. 1312. — *πρὸς τῆς Ἑστίας*, hoc iusiurandum exposcit, quod domus, qua adhuc latebat Plutus, eiusque Vestae ara haud procul a loco colloquentium sita fuit. Ceterum Vesta cuivis sancta; quare et Xenophon Socratis pietatem manifestam fuisse dicit, quod *θύων φανερὸς ἦν πολλάκις μὲν οἴκοι, πολλάκις δὲ ἐπὶ τῶν κοινῶν τῆς πόλεως βωμῶν.* Xen. Memor. init. Cicero enim (Nat. Deor. II. 27.): vis eius, inquit, ad aras pertinet et focos. *ἡ Ἑστία θυγάτηρ ἦν Κρόνου, καταρχὰς τὴν οἰκίαν εὑροῦσα, ἣν ἐντὸς τῶν οἴκων ἔγραφον, ἵνα τούτους συνέχῃ, καὶ τῶν οἰκούντων εἴη φύλαξ.* Distinguunt vulgo hanc Vestam a matre Saturni, cuius templum in Prytaneo fuit; imo et ante Piraeum in agora hippodamea, quae dicitur, eius templum aliud stetisse, constat ex inscript. cf. Corp. Inscript. ed. Boeckh. I, 1. p. 139.

392—394. Aelius Dionysius ap. Eustath. ad Iliad. κ. 813. diserte tradit, formam *θάλατταν* ab Atticis veteribus non usurpari, quibus annumeratur Aristophanes. (cf. not.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

τὸν θαλάττιον λέγεις;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

εἰ δ' ἔστιν ἕτερός τις Ποσειδῶν, τὸν ἕτερον.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

εἶτ' οὐ διαπέμπεις καὶ πρὸς ἡμᾶς τοὺς φίλους;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

οὐκ ἔστι πω τὰ πράγματ' ἐν τούτῳ.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

τί φής;

οὐ τῷ μεταδοῦναι;

392. *θαλάσσιον* codd. A. B. C. Mead. et edd. vett. — 393. Cod. Eb. false, ut solet, *ἕταιρος* et *ἕταιρον* pro *ἕτερος* et *ἕτερον*. — In fine versus codd. Ask. Bar. 2. 3. Cant. 4. habent *λέγω*, quod redundat, et in codd. Mead. Cant. 2. 3. pro glossa iteratur. Scholiasta ad vers. 391 (395 ap. Dind.) dicit se post *Ἑστίας* expunxisse *λέγω*, *ὡς περιττὸν ὄν*, quod fortasse de hoc versu dictum voluit. Nam ibi nihil varietatis animadverti. — 396. Codd. Mead. Rav. et edd. vett. *οὐ τῷ* Cant. 1. *αὐτό* Pors. Bentl. Hotib. *οὔ τῷ*, pessime, ut vere notat Dobraeus. Amicus Hotibii nescio quis *οὔπω*.

ad 449.) Commemorat enim quaedam vocabula, in quibus duplex σ Attici servassent, ut *θάλαττα*, *πίττα*, *καρθιώττειν*, *ματταλία*, *καὶ τοιαῦτα ὅσα οὐδαμοῦ Ἀττικὰ νομίζονται*, *ἀλλὰ τῶν γειτόνων Βοιωτῶν*. At hunc usum Thucydidi soli et Platoni concedit. — *νὴ τὸν Ποσειδῶ*, ut *μὰ τὸν Ἀπόλλω* 988., formae Atticae. cf. et Equit. 853. At iusiurandum per certum aliquem Deum non sine consilio fit. Chremylus quidem coram Blepsidemo, qui obtestationem postulat per Vestam, sanctius adeo et gravius affirmat per Neptunum, sed quum per hunc deum iurantem audiret Blepsidemus, facete et lepide suspicatur, Chremylum Neptuni utpote maris domini auxilio egere, quod fortasse in eo esset, ut cum divitiis furto partis trans maria fugeret. Quare apte interrogat: *τὸν θαλάττιον;* ad quod Chremylus, se per omnes Neptunos affirmare, respondet. His monitis, non opus est, commentatorum nugas singulas recensere. Neptunus uterque, quem ex Catull. 31. huc traxerunt, nihil ad rem; est enim unus et idem sed variis cognominibus ab iis notatus, qui eum sibi tutorem et adiutorem putarunt. Persimilis locus ap. Lucian. Timon. init. *ὦ Ζεῦ φίλιε καὶ ξένιε, καὶ ἑταιρεῖε, καὶ ἐφέστιε, καὶ ἀστεροπητά, καὶ ὅρκιε, καὶ νεφεληγερέτα, καὶ ἐρίγδουπε, καὶ εἴ τί σε ἄλλο οἱ ἐμβρόντητοι ποιηταὶ καλοῦσι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀπορῶσι πρὸς τὰ μέτρα.* Utroque loco loquitur indignabundus. Invocatur vero Neptunus eo cognomine, quod ad vitam invocantis singulariter spectat; in re equestri et ab equorum amantibus *ἵππιος*, ut Nub. 83. Equit. 555. (Inv.) 548. (Kust.); a nautis *θαλάττιος*, qui Ran. 1371. *πόντιος*

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

μὰ Δία. δεῖ γὰρ πρῶτα —

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

τί;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

βλέψαι ποιῆσαι νὼ —

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

τίνα βλέψαι; φράσον.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

τὸν Πλοῦτον ὥσπερ πρότερον ἑνί γέ τῳ τρόπῳ.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

τυφλὸς γὰρ ὄντως ἐστί;

396. Cod. Elb. δεῖν πρῶτα sine γάρ. — 397. Pors. ut solet, ποῆσαι. — Post νὼ Ald. Can. et Frischl. punctum; nulla interpunctio apud Pors. νὼ Frischl. Brunck. Invern. Dind. νῷ cum edd. vett. Pors. — 398. Antiqua at metro infesta lectio fuit ὥσπερ τοπρότερον Bar. 2. 3. Cant 2. 4. Arund. Dorv. D. gl. Paris. et edd. vett. Iam Bentl. vidit τὸ ante πρότερον esse delendum aut ὡς τοπρότερον scribendum, quod Hemst. recepit. In codd. Harl. Monac. A. B. C. Mead. Cant. 1. 2. ὥσπερ πρότερον repertum est, quod omnes amplexi sunt. — Pro ἑνί γέ τῳ edd. vett. ἑνί γε τῷ, quod etiam cod. Dorv. sed suprascripto τινί. τῳ encliticum, quod solum hic locum habere potest, praebent codd. A. B. C. et Ask. in quo tamen iota subscript. desideratur.

δαίμων appellatur. Similiter in ceteris ἀσφάλιος, θαμελιοῦχος, γαιοῦχος etc. — εἶτ' οὐ διαπέμπεις (p. διέπεμψας) πρὸς ἡμᾶς p. ἐς οἴκους ἡμῶν. θαυμάζει γὰρ ὅτι οὐ μετεπέμψατο αὐτόν, οὐδὲ τὸν Πλοῦτον ἔστειλε πρὸς φίλους. e schol.

395—399. οὐκ ἔστι πω ἐν τούτῳ, ἐν τῷ διαπέμπειν. Schol. εἰ γὰρ ἐν τούτῳ εἴη Plat. Protag. p. 310. e. Noster in Equit. 853. (Inv.) οὐκ, ὠγαθοί, ταῦτ' ἔστι πω ταύτῃ. — οὐ τῷ μεταδοῦναι; h. e. τί φῄς; οὐκ ἔστι πω ἐν τῷ μεταδοῦναι ἡμῖν τοῦ Πλούτου; Quam simplicem constructionem quum postulet sententiarum nexus et colloquentium ratio, facile est, de lectionis varietate indicare. — δεῖ γὰρ πρῶτα, et quae sequuntur nihil difficultatis habent, si Chremyli lentam et Blepsidemi rapidam orationem observas. Illius enim sermo, a Blepsidemo sciendi cupidissimo interruptus bis, hic est: δεῖ γὰρ πρῶτα βλέψαι ποιῆσαι νὼ τὸν Πλοῦτον. Unde facile intelligis, scholiastam, qui ultra proximum verbum non prospicit, errare, si dicit: ὅτι τὸ νῷ ἀντὶ τοῦ αὐτόν. Nam νὼ est subiectum enunciationis, non obiectum, quod Chremylus adhuc reticebat. Aliter interrogare non potuit Blepsidemus: τίνα βλέψαι; — ὥσπερ πρότερον scil. ἔβλεψε. quod fortasse scribere voluit Gl. Paris. pingens ἔτρεπε δηλ. — ἑνί γέ τῳ τρόπῳ. μιᾷ τινι μηχανῇ Gl. Dorv. una s. ulla aliqua ratione, quae adhuc quaerenda est, ut Thesm. 430. (436. Inv.) μιᾷ γέ τῳ τέχνῃ, ubi

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

νὴ τὸν οὐρανόν.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

οὐκ ἐτὸς ἄρ', ὡς ἔμ' ἦλθεν οὐδεπώποτε.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἀλλ', ἢν θεοὶ θέλωσι, νῦν ἀφίξεται.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

οὔκουν ἰατρὸν εἰσαγαγεῖν ἐχρῆν τινα;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

τίς δῆτ' ἰατρός ἐστι νῦν ἐν τῇ πόλει;

402. *εἰσάγειν* Cant. 3. — *οὐκοῦν* cum interrog. in fine versus Frischl. Cum puncto Ald. Iunt. 1. 2. 3. Crat. Ven. 1. Wech. Can. Brub. Raph. *οὐκ οὖν* cum interrogat. Port. *οὐκοῦν* sine ulla interpunct. Ven. 2. *οὔκουν* interrogativum Brunck. Pors. Invern. Dind. — 403. *τί δῆτ'* Suid.

eadem lectionis varietas iam a Berglero diiudicata. — *νὴ τὸν οὐρανόν.* *διὰ τὸ λαμπῶδες τοῦ οὐρανοῦ τοῦτον ὄμνυσι πρὸς τὸ τυφλός.* Gl. Dorv. Nam obtestandi formulae non temere adhibentur. cf. 391. 392. 128. 366.

400—404. *οὐκ ἐτὸς ἄρα.* *οὐκ ἀλόγως* schol., non *οὐκ ἀληθῶς*, ut aliud vult. Necte *οὐκ ἄρα ἐτός, ὡς κ. λ.*, ut *οὐκ ἄρα* simili sensu dictum sit, atque *οὐκοῦν*. *ἐτός* enim proprie *μάτην*, unde *ἐτώσια* Homer. Od. χ. 257. 272. *τὰ δὲ πάντα ἐτώσια θῆκεν Ἀθήνη.* Sensus nostri loci: *Ergo non temere factum est, quod nondum me visitavit.* Lepide enim excusat Plutum. — *ἀλλ' ἢν θεοὶ θελ.* cf. 343. — *εἰσαγαγεῖν ἐχρῆν.* *πολλάκις οἱ Ἀττικοὶ λαμβάνουσι τὸν παρατατικὸν ἀντὶ ἐνεστῶτος, ὡς τὸ ἦν ἀντὶ τοῦ ἐστίν, καὶ τὸ ἐχρῆν ἀντὶ τοῦ χρή.* Schol. Rectius hic et in locis similibus *ἐχρῆν* etc. accipimus dictum esse, ut *necesse fuit* et similia pro *necesse fuisset.* Quare *οὐκοῦν*, vulgatum olim, non adeo contemnendum: *Ergo necesse fuit, ut medicum adhiberes aliquem.* Ubi *ἂν* supplendum aut restituendum *ἐχρῆν τιν' ἄν*, pro *ἐχρῆν τινα.* Nihil tamen sollicitandum, nam *οὔκουν* in interrogatione hic bene quadrat ad nexum totius sententiae. — *τίς δῆτ' ἰατρός ἐστι.* *διασύρει καὶ διαβάλλει τοὺς ἰατροὺς ὡς ἀμαθεῖς καὶ τοὺς διδόντας ὡς μικρολόγους.* Schol. Inde et proverbii illius triti origo: *εἰ μὴ ἰατροὶ ἦσαν, οὐκ ἂν ἦν γραμματικῶν τι μωρότερον.* Nam ars medendi tempore Aristophanis ab honestate sua jam descivit, qua fuit Homeri aetate (Od. ρ. 381. Il. λ. 514. *ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.*) et postea, quum mercede careret et ab hominibus infimis exerceretur. cf. Hygin. fab. 274. p. 388. ed. van Stav. Sensus: nam et merces nulla, et ars medendi nulla s. ubi enim merces nulla, nec ars quidquam valet. Cod. Cant. 3. versum 404. tribuit Blepsidemo. Male. Nam Blepsidemus nondum affirmat, sed medicum inveniri posse putat adhuc. Quare pergit *σκοπῶμεν*, quod non magis apte idem codex Chremylo concedit et in ceteris personas mutat.

οὔτε γὰρ ὁ μισθὸς οὐδέν ἐστ' οὔθ' ἡ τέχνη.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

σκοπῶμεν.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἀλλ' οὐκ ἔστιν.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

οὐδ' ἐμοὶ δοκεῖ.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

μὰ Δί' ἀλλ' ὅπερ πάλαι παρεσκευαζόμην
ἐγώ, κατακλινεῖν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ,

404. Cant. 3. tribuit Blepsidemo; σκοπῶμεν deinde Chremylo. — οὐδέν ἐστ' edd. Ald. Iunt. 1. 2. Can. Frischl. Pors. οὐδέν' Bentl. coniecit. — 405. Scribendum est, ut puto, οὐδέ σοι δοκεῖ; in interrogatione. — 406. παρεσκευαζόμην ἐγὼ πάλαι Bar. 1. 2. Cant. 4. παρασκευαζόμην Crat. Ven. 1. 2. Wech. — 407. κατακλινεῖν Prisc. codd. Dorv. Mead. Asc. Monac. edd. Ald. Iunt. 1. 2. 3. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Frischl. Brub. Raph. Port. Kust. Fisch. Cum Brunckio κατακλίνειν recep. Invern. Pors. Dind. nescio unde; quamquam est in Can. ed., cuius nulla fit mentio.

405. *οὐδ' ἐμοὶ δοκεῖ.* Haec verba mihi videntur depravata, quia assensus Blepsidemi et Chremyli oratio sequens *μὰ Δί' ἀλλ'* non quadrant. Loquentium verba et sententiarum nexum mecum accuratius contemplanti mentem subibit cogitatio, a poeta scriptum fuisse: *Βλεψ. οὐδέ σοι δοκεῖ; Χρ. μὰ Δί' ἀλλ'* etc. Quae scriptura ita certa mihi videbatur, ut eam reciperem, nisi norma lectionis librr. mscr. servandae mihi sancta fuit. Nec mutatio audax est, nam *Μ* et *Σ* facile miscentur. Quid *ΟΥΔΕΜΟΙ* similius, quam *ΟΥΔΕΣΟΙ* in literis? Scholiasta difficultatem sensisse videtur, *τὸ ἑξῆς*, inquit, *ἀλλ' οὐκ ἔστι μὰ Δία, ἀλλ' ἐκεῖνο κράτιστόν ἐστιν, ὅπερ πάλαι παρεσκευαζόμην, κατακλῖναι αὐτόν.* — *παρεσκευαζόμην.* Schol. Par. *ηὐτρεπιζόμην.* Gl. Dorv. *ᾠκονόμουν.* Neutrum satis aptum. Supplent enim vulgo *ποιῆσαι*; neque hoc necessarium, quum sequatur infinitivus. *παρεσκευαζόμην* pro *ἔμελλον* dictum est, a quo dependet *κατακλινεῖν* hoc nexu: *ἀλλ' ὅπερ πάλαι ἐγὼ παρεσκευαζόμην, ἤγουν κατακλινεῖν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ, τοῦτο κράτιστόν ἐστιν.* Non enim necesse est, ut *κατακλινεῖν* cum *κράτιστόν ἐστι* iungatur, ubi certe inf. praesentis opus esset. — *κατακλίνω*, aliquem, qui somnum carpat, in templum duco. ut infra 621. *ἐγκατακλινοῦντε τὸν θεὸν ἄγωμεν εἰς Ἀσκληπιοῦ.* et Vesp. 123. *νύκτωρ κατέκλινεν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ.* Quae ratio medendi dicebatur *ἐγκοίμησις* incubatio. cf. Herod. VIII. 134. Ael. V. H. 8. 7., Athen. Att. 1, 7. Meurs., Fr. A. Wolf Vermischte Schriften und Aufsätze pag. 382 sq. Putabant enim deum aegrotis per somnum apparere aut in somnio medelam ostendere. Similiter Virg. VII. 88. „Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit; Multa modis simulacra videt volitantia miris, Et varias audit voces, fruiturque deorum Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis." cf. Heynius ad h. l.

κράτιστόν ἐστι.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

πολὺ μὲν οὖν νὴ τοὺς θεούς.
μή νυν διάτριβ', ἀλλ' ἄνυε πράττων ἕν γέ τι.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

καὶ δὴ βαδίζω.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

σπεῦδέ νυν.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

τοῦτ' αὐτὸ δρῶ.

ΠΕΝΙΑ.

ὦ θερμὸν ἔργον κἀνόσιον καὶ παράνομον
τολμῶντε δρᾶν ἀνθρωπαρίω κακοδαίμονε,

409. Harl. personas miscet temere. — Cod. Dorv. μὴ νῦν. — Pors. ἄνυτε. — Reisk. coni. εὖ γέ τι. male. — 410. Cod. Rav. solus καὶ μήν, quod Inv. Bo. et Dind. receperunt. Non audiendus Rav. — Monac. Dorv. σπεῦδε νῦν. — Ask. ποιῶ pro δρῶ. — 412. ἀνθρωπαρίων Port.

Ab Aegyptiis mos hic exiisse videtur, ubi Isidis et Serapidis templa eodem consilio petebantur ab aegrotis.

408. πολὺ μὲν οὖν, κράτιστόν ἐστι schol. — ἀλλ' ἄνυε πράττων cf. not. ad 229. — καὶ μὴν βαδίζω lectionem Raven. recipere nolebam, quamvis in similibus locis occurrat, Eurip. Hec. 214. καὶ μὴν Ὀδυσσεὺς ἔρχεται σπουδῇ ποδός, quum lectio vulgata καὶ δὴ bonum sensum praebeat et huic loco, ut mihi videtur, aliorum opinione melius conveniat. Nam καὶ δὴ βαδίζω est ἀνύω πράττων καὶ δὴ βαδίζω, quod certe maiorem vim habet, neque adversantis est, ut putant. Saepe καὶ δὴ notiones duas hoc modo coniungit. Plat. Cratyl. p. 416. a. τὸ μὲν τοίνυν αἰσχρὸν καὶ δὴ κατάδηλόν μοι φαίνεται. Noster in Thesmoph. 774. (Inv.) φέρε τίν' ἂν ἄγγελον πέμψαιμι ἐπ' αὐτόν; οἶδ' ἐγὼ καὶ δὴ πόρον ἐκ τοῦ Παλαμήδους. Sensus igitur nostri loci: *propero, atque adeo iam iturus sum.* Recipit enim καὶ δὴ notionem eius, qui locutus est, et novi aliquid addit insuper. — σπεῦδέ νυν. τοῦτο τὸ νυν καθ' ὁμαλισμὸν ἀναγνωστέον, ἵν' εἴη ἀντὶ τοῦ δή. ἐγκλίνεται γὰρ ἀεὶ καὶ βραχύ ἐστι, φωνήεντος ἐπιφερομένου· ὡς τὸ „Σίγα νυν ἑστώς" παρὰ Σοφοκλεῖ. Schol. —

411. Paupertas (Πενία) in scenam prodit misero vestitu et specie tristi ac terribili conspicua (cf. catalog. personarum in fronte hui. edit.), cuius adspectu perterriti Blepsid. et Chrem. iam opus properantes fugam parant. — ὦ θερμὸν ἔργον. θερμὸς proprie calidus per metaphoram ad homines nimis fervidae naturae eorumque audacter facta transfertur. Quare scholia quaedam explicant per τολμηρὸν ἢ παράδοξον. Hinc lusus ille verborum Vesp. 952. (Inv.) θερμὸς ἀνὴρ οὐδὲν ἧττον τῆς φακῆς. — ἀνθρωπαρίω κακοδαίμονε *mente capti homunculi,* non δυστυχεῖς, ut scholiasta vult, quem vulgo sequuntur vertentes *miseri.* Utraque vero notio apud Comicum huic voci subest. cf. 868. not. De

ποῖ, ποῖ; τί φεύγετ'; οὐ μενεῖτον;

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

Ἡράκλεις.

ΠΕΝΙΑ.

ἐγὼ γὰρ ὑμᾶς ἐξολῶ κακοὺς κακῶς.
τόλμημα γὰρ τολμᾶτον οὐκ ἀνασχετόν,
ἀλλ' οἷον οὐδεὶς ἄλλος οὐδεπώποτε
οὔτε θεὸς οὔτ' ἄνθρωπος· ὥστ' ἀπολώλατον.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

σὺ δ' εἶ τίς; ὠχρὰ μὲν γὰρ εἶναί μοι δοκεῖς.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

ἴσως Ἐριννύς ἐστιν ἐκ τραγῳδίας·
βλέπει γέ τοι μανικόν τι καὶ τραγῳδικόν.

413. Pors. in fine solus interrogat. — *τί* om. Cant. 4. — *φεύγετον* Dorv. Mon. Cant. 3. Ask. et edd. Ald. Iunt. 1. Can. Frischl. Brunck. Inv. Hemst. — *Ἡράκλεις* tribuunt Chremylo Monac. Cant. 1. 2. edd. vett. et Pors. — 414. Dorv. *μὲν* pro *γάρ*. Cant. 1. om. *ὑμᾶς*. — 415. *τολμᾶτε* Bar. 2. — 416. *ἄλλος οὐδεὶς* Ask. Cant. 1. 2. — *ἄλλως* Ven. 1. 2. Raph. — 418. Bar. 2. 3. Ask. Cant. 4. om. *γάρ*. — Cant. 1. om. *μέν*. — 419. Dind. *'Ερινύς*, consulto? — Cant. 1. *ἐκ τῆς τραγ.* — 420. Cant. 4. personas sic: *ΧΡ. βλέπει* — *ΒΛ. ἀλλ'* — *ΧΡ. οὐκοῦν* — *ΠΕΝ. οἴεσθε* — *ΒΛ. πανδ.* — Elb. *καὶ μανικόν τι*. Cant. 1. *γε μανικὸν καί*. Iunt. 2. *μανικόν τε*.

deminutivorum (*ἀνθρωπάριον*) significatione et usu cf. Spohnii copiosam et doctam quaestionem in Commentatione de extrema Odyss. parte 106 sqq. — *Ἡράκλεις.* de re cf. 384. In aliquot libris haec Herculis averrunci invocatio minus apte tribuitur Chremylo. Nam Blepsidemus ubivis mali coniector rectius Herculis opem implorat, quam Chremylus tranquillus nec facinoris alicuius sibi conscius.

414. *ἐγὼ ὑμᾶς ἐξολῶ κακοὺς κακῶς*, ut 65. *ἀπό σ' ὀλῶ κακὸν κακῶς*. cf. 68. *φθερῶ ὑμᾶς ὄντας κακοὺς κάκιστον τρόπον*. e. schol. *ἐγὼ μέν*, quod cod. Dorv. exhibet, commendationis aliquid e verbis *σὺ δὲ* 418 nancisci videtur; at verba Peniae cohaerent cum antecedentibus: *οὐ μενεῖτον;* quarum continuatio pavida Blepsidemi voce non interrumpitur. Penia enim furiae instar incedit raptimque loquitur. — *τόλμημα τολμ. οὐκ ἀνασχ.* redolet Homerum *οὐ γὰρ ἔτ' ἀνσχετὰ ἔργα τετεύχαται*. Od. β. 63. (ubi Eust. *τὸ δὲ ἀνσχετά, συγκέκοπται ὡς καὶ τὸ ἀμφαδὸν καὶ τὸ ἄμπαλος ἤτοι ἀνάπαλος κ. λ.*) *τόλμημα τολμᾶν* occurrit quoque in Eccles 106. Expl. *δεινόν ἐστι τοῦτο, κοὐκ ἀνασχετόν*. Equit. 1316. (Inv.) *οὐ γὰρ ἀνασχετὸν τοῦτό γ' ἐλευθέρῳ. ταῦτα δῆτ' ἀνασχετά;* Soph. Phil. 989. — *ἀλλ' οἷον*. *ἀλλὰ τοιοῦτον, οἷον ἄλλος οὐδεὶς ἐτόλμησεν οὐδεπώποτε*. Schol. Locutio satis trita, *ἦλθον ὅσα φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ*. Hom. Od. ι. 51. Il. ε. 757. *Ζεῦ, οὐ νεμεσίζῃ Ἄρει, οἷον ἀπώλεσε λαόν*. Xen. Cyr. VII. 3. 13. Herod. VIII. 12.

418. *ὠχρά*. Schol. *κίτρινος*, ci-

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἀλλ' οὐκ ἔχει γὰρ δᾷδας.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

οὐκοῦν κλαύσεται.

ΠΕΝΙΑ.

οἴεσθε δ' εἶναι τίνα με;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

πανδοκεύτριαν,

421. Bar. 2. om. γάρ. — Port. in fine punct. et οὐκ οὖν. — 422. Dorv. πανδοχεύτριαν. Edd. Br. et Inv. πανδοκεύτριαν. Ald. Iunt. 1. 2. 3. Crat. Wech. Can. Frischl. Brub. Port. Pors. Dind. πάνδοκεύτριαν. Ven. 1. 2. Raph. παντοκεύτριαν.

trinus; alii: *pallidus*; ego: *cineraceus*, qualis esse solet color faciei famelici. Eum colorem indicat Hom. Batrach. 81. βάτραχος ὑψώσας ὠχρὸν δέμας ὕδατι λευκῷ. Similiter Socratici significantur ὠχριῶντες καὶ ἀνυπόδητοι Nub. 103. — ἴσως Ἐριννύς, ἐπισκώπτει τὴν διὰ τῶν Ἐριννύων Αἰσχύλου ὑπόθεσιν. παρεισάγονται δὲ μετὰ λαμπάδων δεινοπαθοῦσαι, ὡς Εὐριπίδης· „Γοργῶπες νερτέρων ἱέρειαι δειναὶ θεαί." En Furiarum descriptionem, qualem Pythia facit, illas in templo Apollinis circa Orestem, cubantes ubi conspicit: Πρόσθεν δὲ τἀνδρὸς θαυμαστὸς λόχος εὕδει γυναικῶν· οὔτοι γυναῖκας, ἀλλὰ Γοργόνας λέγω. οὐδ' αὖτε Γοργείοισιν εἰκάσω τύποις. μέλαιναι δ' ἐς πᾶν βδελύκτροποι, ἐκ δ' ὀμμάτων λείβουσι δυσφιλῆ βίαν. Et Plut. Dion. p. 982. c. citante Hemsterh. εἶδε γυναῖκα μεγάλην, στολῇ μὲν καὶ προσώπῳ μηδὲν ἐριννύος τραγικῆς παραλλάττουσαν, σαίρουσαν δὲ καλλύντρῳ τινὶ τὴν οἰκίαν. — βλέπει μανικόν τι cf. 324. — τραγῳδικόν, θρηνῶδες, καὶ οἷον ἐν ταῖς τραγῳδίαις οἱ ποιηταὶ εἰσάγουσιν. Ut ap. Aeschyl. l. l. ἐκ δ' ὀμμάτων κ. λ. Nam τραγῳδικὸν et τραγικόν, id quod inusitatius est, sive θαυμαστότερον sive δεινότερον. Plat. Men. p. 76. e. et de rep. III. p. 413. — βλέπει γέ τοι. γέ τοι ubivis est omnino et nexu causali cum enuntiatione antecedente cohaeret. Exempla extant ap. Hoogev. Doctr. part. Gr. p. 126. ed. alt. Schütz. ubi tamen usus partic. har. perplexe tractatur.

421. ἀλλ' οὐκ ἔχει γὰρ δᾷδας. ἀλλὰ γὰρ verbotenus at enim, quod, ut ἀλλὰ δή, occupandi sive obiiciendi vi poni solet. Cf. Heind. ad Plat. Protag. §. 71. De re cf. Boettigerum in libro, qui inscribitur die Furienmaske im Trauerspiele und auf den Bildw. der alt. Griech. p. 50. Quare Aeschyl. Eumen. in fin. Νυκτὸς παῖδες—δεῦρ' ἴτε πυριδάπτῳ λαμπάδι τερπόμεναι. Quod locutionem attinet, intell. μετὰ χερσίν, ut ap. Hom. Od. χ. 496. δ. 300. δάος μετὰ χερσὶν ἔχουσαι. et alias δαΐδων ὕπο λαμπομενάων (ψ. 290). — πανδοκεύτριαν. τὰ παρὰ τὸ δέχω πάντα διὰ τοῦ κ. Etym. s. δοκός. διὰ τοῦ κ χρὴ λέγειν πανδοκεῖον, πανδοκεὺς καὶ πανδοκεύτριαν. Phrynich. p. 307 (ap. Lobeck.), cui et Thom. Mag. assentitur. Eustath. p. 1590, 54. κ dicit ἰωνικῶς, χ contra κοινῶς in hac voce adhiberi. Recentiores χ adhibebant, cuius exemplum cod. Dorv. praebet. πανδοκεύτρια ἀντὶ τοῦ κάπηλις, ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι πάντας. Schol. καπηλεῖον ἢ λέσχη οἴκημα δημόσιον, καὶ γὰρ ὅσοι οὐκ ἔχουσιν οἶκον ἐκεῖσε μέ-

ἢ λεκιθόπωλιν. οὐ γὰρ ἂν τοσουτονὶ
ἐνέκραγες ἡμῖν οὐδὲν ἠδικημένη.

ΠΕΝΙΑ.

ἄληθες; οὐ γὰρ δεινότατα δεδράκατον,
ζητοῦντες ἐκ πάσης με χώρας ἐκβαλεῖν;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

οὔκουν ὑπόλοιπόν σοι τὸ βάραθρον γίγνεται;
ἀλλ' ἥτις εἶ λέγειν σ' ἐχρῆν αὐτίκα μάλα,

423. λεκυθόπωλιν Bar. 2. 3. Cant. 1. 2. 4. A. B. C. D. Mead. Monac. λεκυθόπολιν Dorv. — 424. ἀνέκραγες Bar. 2. Cant. 3. 4. Elb. et Ask. ἀνακέκραγες Bar. 3. Monac. ἐκέκραγες Dorv. ἐνέκραγες codd. Arund. Cant. 1. 2. et Mead. edd. Ald. Iunt. 1. 2. Wech. Ven. 1. 2. Can. Brub. Crat. Raph. Port. Invern. Pors. Dind. — Cant. 3. 4. μηδὲν pro οὐδέν. — 425. ἀληθὲς sine interrog. Monac. Kust. et, ut videtur, cod. Dorv. ubi glossa ἀληθῶς τοῦτο λέγεις. ἔστι δὲ τοῦτο εἰρωνικόν. — 427. οὐκοῦν cum punct. Monac. edd. vett. οὐκ οὖν Frischl. cum interrogat. οὔκουν Brunck. Inv. Pors. Dind. — τὸ βάραθρόν σοι Rav. et Dorv. — γίνεται Monac. — 428. εἴ τις Dorv. Bar. 2. 3. — ἐχρῆν σ' Harl. Cant. 4. edd. Iunt. 2. 3. Port. Kust. Bergl. σ' omiserunt codd. A. C. D. Monac. Arund. Dorv. Cant. 1. 2. 3. Ask. et edd. Ald. Iunt. 1. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Can. Frischl. Brub. Raph. Hemst. σ' ἐχρῆν codd. B. Mead. edd. Br. Inv. Pors. Dind.

νουσι. Schol. ad Hom. Od. ε. 329. ap. Buttm. δόμοι πάνδοκοι ξένων Aesch. Choeph. 649. (edit. Schütz.) Noster in Ran. 114. Lycophr. 655. Ἅιδης πανδοκεύς. πανδοκεύτρια species mulierum famosa, quae cauponae officio fungebatur et lenae, simul, ut Penia hic loci, turpiter rixari solita πολύλαλος, sive, ut cum Homero (Od. σ. 27.) loquar, γρηῒ καμινοῖ ἴση. Occurrit vox et Vesp. 35. — λεκιθόπωλις. Quales apud nos sunt mulieres piscatoriae lingua nimirum facili et maledica, tales fuerunt Athenis λεκιθοπώλεις; utrum ova, an pisa vendiderint, etymologia non patitur discerni, quia voci λέκιθος utraque notio est. Priorem tuetur Eustath. p. 1572, 53. Si etymologia vera est, quam scholiasta sequitur: λέκυθος δὲ κυρίως τὸ ξανθὸν τοῦ ᾠοῦ διὰ τὸ τῷ λέκει κεύθεσθαι, scriptura λεκυθόπωλις, quam duodecim codices exhibent, vera esse debet. Nam in Lysistr. 561. λέκυθος, quod vulgo improbatur, in aliq. codd. reperitur. ἔστι δέ, pergit scholiasta, λέκιθος καὶ εἶδος ὀσπρίου, ὃ καλεῖται πίσον, ὅτι ἐν Πίσᾳ τῆς Ἤλιδος κατακόρως φύεται, διὰ τὸ ἐοικέναι τὴν χροιὰν λεκίθῳ ᾠοῦ. ἀπὸ μέρους οὖν τὴν ὀσπριόπωλιν δηλοῖ. Et hoc extremum tenendum esse videtur. Ergo mulier olitaria s. herbaria, proprie quae legumina vendit. cf. Lysistr. 561. quem locum schol. citat. — ἐνέκραγες, ἐλοιδόρεις ὥσπερ αἱ κύνες (add. ὑλάκται) ποιοῦσι. Schol. Ergo quasi ἐνύλαξας. ἐνέκραγες altera lectione ἀνέκραγες longe praestantius, quia vis verbi in obiectum magis conspicua. Eiusdem generis sunt ἐγγελᾶν τινι, ἐμπαίζειν τινί, Eurip. Med. 1355. ἐγγελῶν ἐμοί. ἐγκερτομεῖν Iphig. Aul. 1006. —

425. ἄληθες; τὸ μὲν προπαρ-

ΠΕΝΙΑ.

ἢ σφὼ ποιήσω τήμερον δοῦναι δίκην,
ἀνθ' ὧν ἐμὲ ζητεῖτον ἐνθένδ' ἀφανίσαι.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

ἆρ' ἐστὶν ἡ κάπηλις ἡ'κ τῶν γειτόνων,
ἣ ταῖς κοτύλαις ἀεί με διαλυμαίνεται;

429. Bar. 2. σήμερον. — 430. Bar. 2. ζητεῖτε ἐνθάδε. Bar. 3. Monac. Elb. Ask. ἐνθάδ'. Cant. 4. ἐνθέδ' (sic). Dorv. ἐνταῦθα. — 431. Dorv. et Cant. 4. κάπηλις. Quod ex schol. Leid. ad v. 1117. verum est; cett. libb. habent oxytonon. cf. not. ad v. 1117. — Harl. ἐκ pro ἡ'κ. Cant. 1. κάπηλις ἐκ. — 432. Dorv. om. με.

ὀξύτονον ἄληθες ἀντὶ ἐπιῤῥήματος λαμβάνεται, ὡς κἀνταῦθα· τὸ δὲ ὀξύτονον τὸ ἀληθές, οἷον τἀληθὲς γὰρ οὐκ ἐθέλεις φράσαι, ὄνομά ἐστιν. Schol. Dicere vult Penia: ἄληθες; ἐγὼ οὐδὲν ἠδίκημαι; De οὐ γάρ cf. nos ad Ran. 26. — δεινότατα, καινότατα. δεινὸν=καινὸν novum h. e. inauditum. — βάραθρον, cf. 390. not. occurrit quoque infr. 1109, ubi per ᾅδην explicatur; Nub. 1438. ἢν ταυτὶ ποιῇς, οὐδέν σε κωλύσει σεαυτὸν ἐμβαλεῖν ἐς τὸ βάραθρον μετὰ Σωκράτους, καὶ τὸν λόγον τὸν ἥττω. Ran. 581. ἐγὼ δέ γ' ἐς τὸ βάραθρον ἐμβάλοιμί σε. Equit. 1373. ἐς τὸ βάραθρον ἐμβαλῶ. Haec loca vocavi, ut intelligeretur, quam inepta esset vulgaris explicatio nostri versus: *potes igitur habitare in barathro;* est potius: *nonne tibi relicuum est, ut te praecipites in barathrum?* τὸ βάραθρον ἦν χάσμα τι φρεατῶδες καὶ σκοτεινὸν ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἐν ᾧ τοὺς κακούργους ἔβαλλον. ἐν δὲ τῷ χάσματι τούτῳ ὑπῆρχον ὄγκινοι, οἱ μὲν ἄνω, οἱ δὲ κάτω. —

429. ἢ σφώ. Pergit Penia in Chremyli oratione: ἐκείνη ἐγώ εἰμι, ἢ ποιήσω ὑμᾶς μετὰ τιμωρίας μεγάλης τελευτᾶν τήμερον. De scriptura pronominis σφώ cf. Herm. d. emend. gr. gramm. I. p. 37. ejusque vis reciproca, quae non solum ad tertium sed etiam ad secundum pronomen tendit, ex Homero, unde usus prodiit, satis nota. — ἡ κάπηλις ἡ'κ τῶν γειτόνων, ut Nicostrat. ap. Athen. XV. p. 700. ὁ κάπηλος ὁ'κ τῶν γειτόνων. Recentiores Graeci ἐκ γειτόνων adverbialiter et universim dixerunt; Atticis antiq. hic usus non fuit. Accentus vocis καπηλίς dubius, duo scholia sibi adversantur, alterum Paris. praecipit κάπηλις προπαροξυτόνως ἡ τὸν οἶνον πιπράσκουσα γυνή, alterum in Iunt. καπηλίς δὲ ὀξυτόνως ὑποκοριστικῶς, ἡ ταύτης ὑπηρέτις τῆς καπήλεως. De accentu cf. not. 1117. Etymologiam praeterea hanc tradunt: καπηλίς ἀπὸ τοῦ κακόνειν τὸν πηλὸν ἤτοι τὸν οἶνον. ὅθεν καὶ ἄμπελος, οἱονεὶ ἔμπηλος οὖσα, ἡ (ἢ?) ἐν αὐτῇ ἔχουσα τὸν πηλόν. Etiamsi vera sit haec derivatio et hoc loco re vera caupona significetur, quae vina vitiet et emtores fallat, alias tamen, ut multae voces (οἰκοδομεῖν βωμόν, νέκταρ οἰνοχοεῖν, equum aedificant), notionem generalem induit, v. c. Pac. 446. (449 Inv.) κάπηλος ἀσπίδων, ubi schol. καπήλους γὰρ τοὺς μεταβολεῖς φησιν. — ἢ ταῖς κοτύλαις ἀεί με διαλυμ. ἀντὶ τοῦ παρακλέπτουσά με ταῖς κοτύλαις· ἥτις, φησί, μικρομετροῦσά με βλάπτει. οἷον ταῖς μεταφοραῖς τῶν μέτρων ἀπατῶσά με, ἢ μετὰ ὕδατος μιγνύουσα δίδωσιν. κοτύλη δέ ἐστιν εἶδος μέτρου, ὃ λέγομεν ἡμεῖς ἡμίξεστον (capiens sextarium dimidium). διαλυμαίνεται, ἀφανίζει. e schol. κοτύλη μέτρον ὑγρῶν καὶ

ΠΕΝΙΑ.

Πενία μὲν οὖν, ᾗ σφῷν ξυνοικῶ πόλλ' ἔτη.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

ἄναξ Ἄπολλον καὶ θεοί, ποῖ τις φύγοι;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

οὗτος, τί δρᾷς; ὦ δειλότατον σὺ θηρίον,

433. Codd. Vat. U. Monac. σφῶϊν. Dorv. σφῶν. — 434. Cod. Rav. et edd. Invern. Dind. ὦ θεοί. — ποῦ Cant. 2. 3. Harl. Gl. Dorv. ποῖ τίς σὺν Mead. et Iunt. 2. 3. — Omnes codd. et edd. vett. φύγοι, quod tamen Dawes. Misc. Crit. p. 208. sine ἂν falsum esse putat et in φύγῃ mutat. Hoc recep. Brunck. Invern. Pors. Bo. et Dind.

ξηρῶν Eustath. p. 549, 43 sq. Adhibere solent homines, qui Blepsidemi moribus sunt, verba fortissima in rebus parvi momenti, quas isti magni faciunt. Nam διαλυμαίνεσθαι est *consumere* et prorsus *deperdere*, ut Ran. 59. τοιοῦτος ἵμερός με διαλυμαίνεται, hic vero *fraudare*, nil amplius. — ᾗ σφῷν ξυνοικῶ, συνυπάρχω. Schol. μυρίον ἄχθος, ᾧ ξυνοικεῖ. Soph. Phil. 1168. τίς ἄταις ἀγρίαις ξύνοικος ἀλλαγᾷ βίου; Soph. Oed. R. 1205. ut infr. 504. μετὰ σοῦ τε τὰ πλεῖστα σύνεισιν. Plat. Theaet. p. 177. a. κακοὶ κακοῖς συνόντες.

434. ἄναξ Ἄπολλον καὶ θεοί, ut v. 81. ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον καὶ θεοὶ κ. λ. Diis averruncis proprium tribuitur ἄναξ, etsi omnibus commune est, qua σωτῆρες habentur. Quare scholiasta apte notat: ἰδίως τὸν Ἀπόλλωνα, ἤτοι ὡς ἀλεξίκακον καὶ χρησμοὺς παρέχοντα πρὸς ἀποτροπὴν τῶν δεινῶν, ἢ ὡς πατρῷον θεόν. — ποῖ τις φύγοι; Hanc unam omnium librr. mscrpt. lectionem, cui similis 370 exstat, explicandam potius habebam, quam explodendam. Mea sententia haec est: Optativus in interrogatione *possibilitatem* (sit venia verbo!) *subiectivam* indicat, coniunctivus *obiectivam*. ποῖ τις φύγοι; est: fugerem, sed nescio quomodo fugam capiam. ποῖ τις φύγῃ; est: fugerem, sed impedior ab alio, ne fugam capiam. In formula ποῖ τις φύγοι; causa est timor nimius, aut imbecillitas, aut animi defectio, quae fugam impediunt; in altera formula aliorum potentia causa est, aut minae, aut aliud quippiam, quod extrinsecus accedit. Idem valet 370 ποῖ τις οὖν τράποιτο; Sin ἂν accedit, *subiectiva* notio fit *obiectiva*. Adversatur huic constructioni Dawes. Misc. Crit. p. 208. cf. et Hermannum ad Viger. p. 729. Incertus est Bernhardy. Wissensch. Synt. p. 411. — οὗτος, τί δρᾷς; vim excitandi habet οὗτος et αὕτη, ut interiectiones. Eccles. 520. αὕτη, πόθεν ἥκεις Πραξαγόρα; Thesmoph. 689. ποῖ, ποῖ σὺ φεύγεις; οὗτος, οὗτος, οὐ μενεῖς; Equit. 820. παῦσαί γ' οὗτος. Nub. 220. ἴθ' οὗτος, ἀναβόησον αὐτόν. Eurip. Hecub. 1112 (1101). οὗτος, τί πάσχεις; ibid. 1266. cf. et infr. 926 et Plat. Sympos. in init. et p. 214. — θηρίον, aliud est quam ζῶον 439, hoc enim omne genus animantium amplectitur, illud ferarum. Fortasse indicatur lepus; non ac si θηρίον parvulam feram significaret, sed quod ferae per se minime sunt timidae, ita ut antithesis *bellua timidissima*, quum bellua audax dicenda esset, vim singularem habeat. Eadem locutio occurrit Av. 87. similis ibid. 366. (Inv.) Nam quod schol. animadvertit, nihil est: θηρίον αὐτὸν λέγει διὰ τὸ θηριωδῶς πρὸς Χρεμύλον πρώτῳ διατεθῆναι καὶ ἐλέγχειν αὐτόν. — ἥκιστα πάντων, probe schol. ὥσπερ φαμὲν μάλιστα πάντων, καί

ΠΕΝΙΑ.
γρύζειν δὲ καὶ τολμᾶτον ὦ καθάρματε,
ἐπ' αὐτοφώρῳ δεινὰ δρῶντ' εἰλημμένω;
ΧΡΕΜΥΛΟΣ.
σὺ δ' ὦ κάκιστ' ἀπολουμένη τί λοιδορεῖ
ἡμῖν προσελθοῦσ' οὐδ' ὁτιοῦν ἀδικουμένη;
ΠΕΝΙΑ.
οὐδὲν γάρ, ὦ πρὸς τῶν θεῶν, νομίζετε
ἀδικεῖν με τὸν Πλοῦτον ποιεῖν πειρωμένω

450. τολμᾶτε Harl. Bar. 2. Cant. 3. (?) — καθάρματα Dorv. Mead. Cant. 3. — 451. Bar. 2. δρῶντες. — εἰλημμένοι. — Ven. 1. 2. εἰλημμένως. Wech. et Frischl. εἰλημμένῳ. — 452. λοιδορῇ Cant. 1. 4. Ask. λοιδορῇ Monac. Elb. Dorv. Ask. Bar. 2. 3. λοιδορεῖς Cant. 3. Iunt. 1. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Can. Frischl. Brub. Port. λοιδορεῖ cum ceteris Cant. 2. et edd. Ald. Iunt. 2. 3. Raph. (?) Brunck. Kust. Invern. Pors. Dind. — 453. ἠδικημένη Mead. Cant. 2. (?) — 454. Codd. Dorv. Cant. 1. 2. 3. 4. et edd. Iunt. 2. 3. Port. Brunck. et Porson νομίζετον. — τῶν ante θεῶν om. Cant. 4. — Cant. 1. 3. πρὸς τὸν θεόν. — 455. πειρώμενοι Bar. 2.

θώρακα οὐκ ἐνέχυρον τίθησιν; similiter haud raro poeta praeter exspectationem verbum introducit, ut risum moveat: *δέον γὰρ εἰπεῖν, ὅτι οὐ τιτρώσκει, ὡς ἐπὶ τῶν ὄντων ἐν πολέμοις, εἶπεν ἐνέχυρον τίθησιν*. Schol. Cogitavit igitur τὸ *σχῆμα παρ' ὑπόνοιαν*, quod dicitur, d. q. cf. 27. supra. Huc spectat et de Socrate locus ille lepidissimus Eupolis: *Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν οἰνοχόην ἔκλεψεν*. — *τίθησι*. *οὐ τέθεικε, δεικνὺς τὸ ἀεὶ οὕτω ταῦτα γίνεσθαι ἐν τοῖς πένησιν. ἀεὶ γὰρ ἀποροῦντες ἐνέχυρα τιθέασιν*. Schol. Commemoratur etiam in scholiis, legibus vetitum fuisse, ne quis arma oppigneraret. *ἐνέχυρα θεῖναι* cf. Eccles. 755. et Phryn. p. 467.

439—451. *τροπαῖον ἂν στήσαιτο τῶν ταύτης τρόπων*. Quamquam τρόποι sunt mores, neque tamen oblivisci debemus, proprie per τρόπους indicari rationem se gerendi. Ergo sensus est: *certo scio, Plutum hanc deam esse superaturum, quoquo modo se vertat*, nisi scriptum fuit *τῶν ταύτης τροπῶν*, de hac in fugam conversa. Nihil igitur friget in lusu verborum *τροπαῖον τῶν τρόπων*. De voce τροπαῖον schol. haec: *οἱ παλαιοὶ Ἀττικοὶ* (quibus Aristophanes constanter annumeratur) *περισπῶσιν. οἱ δὲ νεώτεροι προπαροξύνουσιν. ἔστι δὲ τροπαῖον, ὃ ἐν ταῖς νίκαις οἱ παλαιοὶ ἐποίουν, τοῖχον ἢ λίθον μέγαν ἱστάντες, καὶ γράφοντες ἐν τούτῳ, ἃ κατὰ τῶν ἀντιπάλων ἔργα δεδράκασιν. ἐκαλεῖτο δὲ τροπαῖον διὰ τὸ ἐπὶ τῇ τροπῇ τῶν ἐχθρῶν γεγενῆσθαι*. De accentu vocis τροπαῖον idem praecipit alius Grammaticus. cf. Reisig. Coniect. p. 108. *τροπαῖον ἡ παλαιὰ Ἀτθίς, ἧς ἐστιν Εὔπολις, Κρατῖνος, Ἀριστοφάνης, Θουκυδίδης. τρόπαιον ἡ νέα Ἀτθίς, ἧς ἐστι Μένανδρος καὶ οἱ ἄλλοι*. Quibus adde Eustath. p. 531, 34. et p. 1809, 45. Est vero formula certa *τροπαῖον στῆναι* et *στήσασθαι*, cui notio praepositionis *ἀνὰ* minime necessaria, quamvis non abhorreat ab re. Equit. 525. (517.) *ὃς πλεῖστα*

βλέψαι πάλιν;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

τί οὖν ἀδικοῦμεν τοῦτό σε,
εἰ πᾶσιν ἀνθρώποις πορίζομεν ἀγαθόν;

ΠΕΝΙΑ.

τί δ' ἂν ποθ' ὑμεῖς ἀγαθὸν ἐξεύροιθ';

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ὅ τι;
σὲ πρῶτον ἐκβαλόντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος.

456. Invern. et Hemsterh. *τί οὖν;* ceteri, quos vidi, non interpungunt. — 457. Bentl. Br. Invern. et Dind. sine libris mss. *ἀγαθὸν πορίζομεν.* Rav. Borg. Harl. Cant. 3. A. B. F. *ἐκπορίζομεν ἀγαθόν.* C. Mead. Ask. *ἐκπορίζοιμεν ἀγαθόν.* — Arund. B. Mead. Iunt. 1. *ἀνθρώποισι.* Codd. B. *ἀνθρώποισιν ἐκπορίζομεν*, quod Bentl. voce *ἀγαθὸν* deleta probat. Textum nostrum habent edd. vett. omn. et cett. libb. mss. — 458. Raro Dorvill. lectio optima est; restitui eam secundum Hemsterhusium, qui ipsi Bentleio satis fecit. Cant. 1. 2. *τί δ' ἂν γ' ὑμ.* Crat. 3. 4. Rav. Borg. Monac. A. B. C. D. Mead. Ask. *τί δ' ἂν ὑμ.* Bentl. coni. *φέρε τί δ' ἂν ὑμεῖς* et *τί δῆτ' ἂν ὑμεῖς*, quod Br. Invern. et Dind. receperunt. Porson, quem secutus est Bo., paullo liberius sic:

εἰ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἐκπορίζομεν
ἀγαθόν;

ΠΕΝΙΑ.

τί δ' ἂν ὑμεῖς ἀγαθὸν ἐξεύροιθ';

νίκης ἔστησε τροπαῖα. Thesmoph. 696. (703.) *στήσεσθε καὶ τροπαῖον.* — *γρύζειν* cf. not. ad v. 17. — *καθάρματε.* *βδελύγματα* scholion. Aliud addit: *καθάρματα ἐλέγοντο οἱ ἐπὶ καθάρσει λοιμοῦ τινος ἢ τινος ἑτέρας νόσου θυόμενοι τοῖς θεοῖς. τουτὶ δὲ τὸ ἔθος καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ἐπεκράτησε. λέγεται δὲ καὶ καθαρισμός.* E more hoc inhumano homines quidam scelesti, qui publice alebantur, ad avertendam pestem et expiandam civitatem e loco edito in mare praecipitabantur his verbis: *περίψημα ἡμῶν γενοῦ.* vid. Eustath. p. 1935, 16. Occurrit quoque Acharn. 44. Aeschyl. Choeph. 93. (ed. Schütz.) De forma *καθάρματε* cf. schol. Venet. ad. Iliad. ap. Bekkerum p. 11. b. 20. *τῶν εἰς ᾱ πληθυντικῶν τὰ δυϊκὰ οὐδέτερα εἰς ε̄ τελευτᾷ· οἷον ὄμματα ὄμματε, γράμματα γράμματε —. ἐπ' αὐτοφώρῳ εἰλημμένω, φανερῶς ἐπ' αὐτῇ τῇ κλεψίᾳ κρατηθέντες.* Schol. Sed metaphorice dictum e forensi locutione; tanquam in ipso furto sive delicto quovis deprehensi. Similiter Eurip. Ion. 1214. *ἐπ' αὐτοφώρῳ εἷλοι.*

452. *ὦ κάκιστ' ἀπολουμένη, μέλλουσα κακίστως ἀφανισθῆναι.* Sch. ut inf. 709. *ὦ κάκιστ' ἀπολούμενε.* *digna quae pessime pereas!* — *τί λοιδορεῖ; τὸ λοιδοροῦμαι παθητικῶς* (in medio potius, ut Fischerus notat.) *δοτικῇ συντάσσεται, ἐνεργητικῶς δὲ αἰτιατικῇ. ὃ καὶ ἀγνοοῦντες λοιδορεῖς ἐνταῦθα γράφουσι, τὸ ἡμῖν πρὸς τὸ προσελθοῦσα συνάπτοντες.* Scholiasta haec temere; melius certe *ἡμῖν* verbo sequenti con-

ΠΕΝΙΑ.

ἐμ' ἐκβαλόντες; καὶ τί ἂν νομίζετον.
κακὸν ἐργάσασθαι μεῖζον ἀνθρώπους;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ὅ τι;
εἰ τοῦτο δρᾶν μέλλοντες ἐπιλαθοίμεθα.

460. Bar. 2. νομίζετε. — καὶ τί γ' ἂν Bentl. — 461. Monac. Rav. Bar. 2. 3. Invern. ἀνθρώποις. Arund. Dorv. Harl. Borg. ἀνθρώποισιν. — Dorv. ἐργάζεσθαι. Cant. 3. 4. ἐργάσασθαι. — In fine versus Dorv. et ed. Basil. 2. ὅ τι sine interpunctione.

venit, nec quidquam impedit, quominus sic accipiatur. Nam in προσελθεῖν inimicus ineat accessus, ἡμῖν προσελθοῦσα *quae in nos irruis.* — ὦ πρὸς τῶν θεῶν. eadem iurandi formula infra 1177. et Vesp. 482. (503 Invern.), alias et frequentius sine ὦ, ut infra 1148. Interiectio ὦ videtur aut per se pronuntiata esse aut cum verbo omisso cohaerere, quod certe apparet ex Eurip. Hecub. 1068. ὦ ἴτε, μόλετε, πρὸς θεῶν., immo cum πρὸς θεῶν aequo iure coniungi possit, atque in aliis exclamationibus. — νομίζετον. Fischeri aures νομίζετε praeferebant, cum molesta esset triplex eiusdem syllabae repetitio. At neque ον et ον pariter sonant, neque νομίζετε ἀδικεῖν in pronuntiando suavitatis aliquid habent. Est autem solennis illa ab Atticis amata numeri permutatio νομίζετε πειρωμένω ut 74. 327. 413.

457. In tot virorum et librorum dissensione non dubitavi ad codicum fidem refugere et inde eam lectionem repetere, quae ab omni parte sufficit. Non enim video, quid in textu, quem libri boni exhibent, offendat. Dolebam, quod scholia, alioquin rerum metricarum plena, tacere videbam, nisi idcirco tacebant, quia tunc temporis textus esset integer. Molesta fuit versus terminatio πορίζομεν ἀγαθόν, tanquam exitus trimetri ubique esset sincerus et solutiones sperneret. Par huic 136., similes solutiones et alias 97. 227. etc. Quum Tragicus (Sophocl. Oed. R. 960.) trimetrum faceret: κτανεῖν ἔμελλον πατέρα τὸν ἐμόν, ὁ δὲ θανών, qui quaeso talia in Comico offendant? In verbis τί δ' ἂν ποθ' ὑμεῖς ἀγαθὸν ἐξεύροιτε; omnia adeo sunt concinna, ut etiam Bentleio, quamvis coniiciendo medelam metri petiisset, satisfacerent. Quid enim frequentius formula τίς ποτε? — Sensus: Quid tandem boni vos machinari poteritis? Quid? Quod te primum Graecia expellimus.

461. κακὸν ἐργάσασθαι ἀνθρώπους. Dativus ἀνθρώποις, quem Invernizius e Rav. temere revocavit, in hunc versum transiisse videtur ex antecedente formula πορίζειν ἀνθρώποις ἀγαθόν, nam ἐργάζεσθαι constanter struitur cum accusativo. cf. supra 78. 351. 442. Quamquam et hic ἀνθρώποις, quod in pluribus codd. deprehenditur, defendi potest, si statuimus esse Dativum incommodi, quem dicunt, qui non dependeat ab ἐργάζεσθαι sed a κακὸν μεῖζον *malum, quod hominibus esset perniciosius.* — Ceterum particula ἂν non cohaeret cum νομίζετον sed cum inf. ἐργάσασθαι, cui eandem vim addit, atque alias optativo. d. q. cf. Dawes. Misc. Crit. p. 83. — εἰ τοῦτο δρᾶν μέλλ. ἐπιλαθ. h. e. εἰ μέλλοντες ἐκβαλεῖν σε ἐπιλαθοίμεθα τοῦτο ποιῆσαι. Similiter scholiasta: μέγα κακὸν πράττομεν τότε, εἰ τοῦτο δρᾶν μέλλοντες, τὸ ἐκβαλεῖν σε, ἐπιλαθοίμεθα. Comparat Bergl.

ΠΕΝΙΑ.

καὶ μὴν περὶ τούτου σφῷν ἐθέλω δοῦναι λόγον
τοπρῶτον αὐτοῦ. κἂν μὲν ἀποφήνω μόνην
ἀγαθῶν ἁπάντων οὖσαν αἰτίαν ἐμὲ
ὑμῖν δι' ἐμέ τε ζῶντας ὑμᾶς· εἰ δὲ μή,
ποιεῖτον ἤδη τοῦθ' ὅ τι ἂν ὑμῖν δοκῇ.

464. τὸ πρῶτον Crat. Ven. 1. 2. Wech. Can. Frischl. Brub. Raph. Port. Dind. τοπρῶτον Br. Invern. Pors. Bo. τὸν πρῶτον Dorv. idque non displicuit Hemsterh. — Pro αὐτοῦ Brunck., qua de causa nescio, dedit ex ingenio αὐτή. — ἀποφήνω vitiose in Ald. Iunt. omn. Crat. Wech. Brub. Port. Can. — 465. αἰτίαν οὖσαν Cant. 4. Monac. — 467. Edd. vett. ὅ τι γ' ἄν. Unde γ' eas intraverit, incertum est. Wakefield. ex Eustath. hic voluit: ὅπερ ἂν ὑμῖν δοκῇ.

Plaut. Aulul. IV. 4. 15. „*Facisne iniuriam mihi, an non?*“ „*Facio, quia non pendes, maximam.*“

463—464. περὶ τούτου σφῷν ἐθέλω δοῦναι λόγον αὐτοῦ. Fischerus cum ceteris locutiones has non intellexit. τοῦτο αὐτὸ est *hoc unum*, non *hoc ipsum*, quare optime quadrat τὸ πρῶτον: *primum de hoc uno*, scil. ἐκβαλεῖν με. Supra 335 et 33. ὡς τῷ βίῳ τοῦτ' αὐτὸ νομίσας ξυμφέρειν. et Plat. Gorg. 488. d. τοῦτό μοι αὐτὸ σαφῶς διόρισον μόνον interdum adiicitur, ut ibid. p. 500. b. αὐτὸ τοῦτο μόνον. Altera locutio διδόναι λόγον non valet *docere*, sed, ut Budaeus L. Gr. Comm. p. 94. explicat, *dare vices loquendi et percunctandi et vicissim respondere percunctanti.* Nam Penia sermocinandi et disputandi occasionem captat. ἐκκρούων τοὺς λόγους καὶ οὐκ ἐθέλων διδόναι λόγον Plat. Protag. p. 336. c. ubi Ficinus: *occasionem intercipere disputandi.* Xenoph. Hellen. I. 1. 28. εἰ δέ τις ἐπικαλοίη τι αὐτοῖς, λόγον ἔφασαν χρῆναι διδόναι. ibid. V. 2. 20. unde ἑαυτῷ λόγον διδόναι *rem reputare diligentius.* εἴξασί τινες αὖ λόγον ἑαυτοῖς δόντες ἡγήσασθαι. Plat. Soph. 230. a. Ὁ δ' ἐπεί τ' ἐξηγέρθη καὶ ἑωυτῷ λόγον ἔδωκε Herod. I. 34. Hinc et haec formula explicanda ἀλλ' ὡς γενέσθω τόνδε μὲν μέθες λόγον Eurip. Hecub. 870. Quare et hoc loco schol. δοῦναι λόγον rectius quam alii per διαλεχθῆναι. Si breviter vertere velis: *Primum de hoc uno* (quod me expulsuri male facitis) *vobiscum disputare placet* sive *disputandi occasionem capiam.* Quae cum ita sint, Brunckii coniecturam αὐτή, et adverbialem usum vocis αὐτοῦ, quem alii urgent, facile diiudicare poteris.

464 seqq. κἂν μὲν ἀποφήνω. In enuntiationibus his hypotheticis, quae ex duplici protasi constant, primae protaseos apodosis reticetur, altera integra est. Quae figura dicitur ἀποσιώπησις aut ἀνανταπόδοτον. Scholiasta bene sententiam illustrat: ἔδει γὰρ εἰπεῖν· κἂν μὲν ἀποφήνω μόνην ἐμὲ ἀγαθῶν οὖσαν αἰτίαν, ἐάσατε· εἰ δὲ μή, ποιεῖτον ὅ τι ἂν ὑμῖν δοκῇ. Quae elliptica locutio satis frequens est et ab optimo quoque scriptore usurpatur. Prima apodosis ex nexu sententiarum repetenda est et brevis esse debet, ut, si universa formula quaeratur, in plurimis locis καλῶς ἔχει locum habere possit. Thesmoph. 542. εἰ μὲν οὖν τίς ἐστιν· εἰ δὲ μή, ἡμεῖς ταύτης ἀποψιλώσομεν τὸν χοῖρον. Xenoph. Memorab. III. 9. 11. ἂν μὲν αὐτοὶ ἡγῶνται ἐπίστασθαι ἐπιμελεῖσθαι· εἰ δὲ μή, τοῖς ἐπισταμένοις οὐ μόνον παροῦσι

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

τουτὶ σὺ τολμᾷς ὦ μιαρωτάτη λέγειν;

ΠΕΝΙΑ.

καὶ σύ γε διδάσκου· πάνυ γὰρ οἶμαι ῥᾳδίως
ἅπανθ᾽ ἁμαρτάνοντά σ᾽ ἀποδείξειν ἐγώ,
εἰ τοὺς δικαίους φῂς ποιήσειν πλουσίους.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

ὦ τύμπανα καὶ κύφωνες οὐκ ἀρήξετε;

ΠΕΝΙΑ.

οὐ δεῖ σχετλιάζειν καὶ βοᾶν, πρὶν ἂν μάθῃς.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

καὶ τίς δύναιτ᾽ ἂν μὴ βοᾶν ἰοὺ ἰοὺ

468. Bar. 2. *τοῦτο*. Ravennas solus *τουτί*. — 470. *σ᾽* omis. Cant. 4. Schol. (?) — Dorv. *ἀποδείξω*. — 471. Ven. 2. *φῇς*. — 472. Chremylo h. v. tribuunt Monac. A. B. C. D. U. Cant. 3. Dorv. Mead. et edd. Hemst. Br. et Pors., cett. Blepsidemo. — Pro *καὶ* cod. Mead. et Gl. Cant. 2. 3. *ὦ*, unde Bentl. *ὦ τύμπαν᾽ ὦ κύφωνες*. — Dorv. *ἀρήξατε*. — 473. B. C. Mead. Bar. 2. *μάθοις*. — 474. Chremylo tribuunt Dorv. Mead. U. B. D. Harl. Bar. 3. Cant. 3. Ask. Monac. et edd. Hemst. Pors., cett. Blepsidemo. — *δύναιτ᾽ ἂν* Mead. — *βοᾶν τὸ ἰοὺ ἰοὺ* Ask.

πειθομένους, ἀλλὰ καὶ κ. τ. λ. Plat. Protag. 311. d. *ἂν μὲν ἐξικνῆται τὰ ἡμέτερα χρήματα καὶ τούτοις πείθωμεν αὐτόν· εἰ δὲ μή, καὶ τὰ τῶν φίλων προσαναλίσκοντες.* Hom. Il. α. 135. *ἀλλ᾽ εἰ μὲν δώσουσι γέρας μεγάθυμοι Ἀχαιοί· εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι ἢ τεὸν ἢ Αἴαντος ἰὼν γέρας.* Ubi Eustathius p. 56. ed. Lips. et Heynius conferendi sunt. Brevius et aptius rem illustrant schol. Venet. ad Il. α. 137. ap. Bekker. Scholiasta noster affert et Thucydidem *καταρχὰς τοῦ τρίτου τῆς συγγραφῆς· καὶ εἰ μὲν συμβῇ ἡ πεῖρα· εἰ δὲ μή, Μιτυληναίοις εἰπεῖν ναῦς τε παραδοῦναι καὶ τείχη καθελεῖν.* Sophocles Eustathio citante: *εἰ μέν τις οὖν ἕξει· σιν· εἰ δὲ μή, λέγε.* Plat. Sympos. c. 11. (p. 820. ed. Lugd.) cf. Heind. ad Plat. Prot. l. supra laud.

468—471. *τουτί, τὸ εἶναί σε αἰτίαν πάντων τῶν ἀγαθῶν, ἢ ὅτι ἡμεῖς διὰ σὲ ζῶμεν.* Schol. — *μιαρωτάτη.* cf. 78. 447. Sic Pac. 182. *ὦ μιαρέ, καὶ παμμίαρε, καὶ μιαρώτατε. ὦ μιαρῶν μιαρώτατε.* — *διδάσκου*, *pati, ut edoceatur.* Haec est verbi Med. vis, de qua plures egerunt, Ruhnken. ad Tim. Lex. p. 84. Valcken. ad Xenoph. Memor. p. 250. ed. Ernesti. Porson ad Eurip. Hec. 297. ubi: *Ἑκάβη, διδάσκου.* „*Lass dich belehren.*" Schol. *μάνθανε τοῦτο ἐξ ἐμοῦ.* — *ἅπανθ᾽ ἁμαρτάνοντά σε*, *te in summo errore versari.* Schol. minus commode: *ἔξω τῆς ἀληθείας λέγοντας*, potius *ἅπαντα σφαλλόμενον* dicendum fuit. Sed ex plurali *λέγοντας* coniicio, scholiastam *σὲ* ignorasse. Addit al. *ἁμαρτάνω δύο σημαίνει, τὸ ἁμαρτίαν ποιῶ, καὶ τὸ ἐκπίπτω.*

472. Hic versus tribuitur rectius Blepsidemo, qui, quamquam primo Peniae adspectu perterritus fugam patravit nescius, quibus armis ad-

τοιαῦτ' ἀκούων;

ΠΕΝΙΑ.

ὅστις ἐστὶν εὖ φρονῶν.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

τί δῆτά σοι τίμημ' ἐπιγράψω τῇ δίκῃ,
ἐάν γ' ἁλῷς;

ΠΕΝΙΑ.

ὅ τι σοι δοκεῖ.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

καλῶς λέγεις.

ΠΕΝΙΑ.

τὸ γὰρ αὐτό γ', ἐὰν ἡττᾶσθε, καὶ σφὼ δεῖ παθεῖν.

476. Cant. 4. tribuit Blepsidemo. — Pro δίκῃ in Bar. 2. et Gl. 3. κρίσει. — 477. γ' post ἐὰν om. Cant. 3. 4. 2. (?) et Suid. — Verba καλῶς λέγεις Blepsidemo tribuunt edd. vett. et Cant. 1. 2. 4. — 478. τὸ γὰρ αὔτ', ἐὰν Cant. 3. 4. Bar. 2. 3. Mead. Schol. Dind. αὔτ', ἐάν γ' Porson. αὐτό γ', ἐάν, ut nos, edd. vett. Brunck. Invern. Dorv. Monac. (?) Ask. A. B. C. D. E. Cant. 1. 2. — ἡττᾶσθαι Crat. Ven. 1. 2. Brub. Raph. Wech. — σφῷ Ald. Iunt. 1. 2. 3. Crat. Wech. Frischl. Brub. Port. σφεῖς Ven. 1. 2. Raph. σφὼ Canin.

versus eam uteretur, cum omnia iam essent oppignerata 445., nunc tandem, ubi disputandi certamen fore vidit, respiravit et idonea arma (τύμπανα et κύφωνας) invenit. Ergo Blepsidemi timor, quo primum fuit, Hemsterhusio causa esse non debebat, ut versum hunc Chremylo aptiorem haberet eique tribueret. — ὦ τύμπανα καὶ κύφωνες, schol. κολαστήρια ὄργανα ἀμφότερα τὰ τύμπανα καὶ οἱ κύφωνες. τοῦτο δὲ λέγει δεικνύς, ὅτι τῶν τοιούτων ἀξία αὐτή ἐστιν. Hoc quidem certum, sed quae supplicii genera fuerint, nec veteres nec recentiores interpretes perspicue docuerunt. τύμπανον varie explicatur, etymologia vero manifesta; a τύπτω fit τύπανον interposito μ euphoniae causa, quod in similibus vocibus (ut ἄμβροτος, φασίμβροτος etc.) fit, cf. Eustath. p. 1328, 58. Hinc quidam interpretantur τύμπανα simpliciter per fustes; alii per fidiculas, quibus servi Romanorum distenti in suspenso tenebantur, ut eo commodius flagellas paterentur; alii denique per *machinam convexam et incurvam*, ad quam, qui flagellarentur, devincti fuissent. Schol. ξύλα, οἷς τύπτονται ἐν τοῖς δικαστηρίοις οἱ τιμωρούμενοι. Aliud scholion: ξύλα, δι' ὧν τοὺς καταδίκους ἔτυπτον. Aliud adhuc: ξύλα, ἐφ' οἷς ἐτυμπάνιζον· ἐχρῶντο γὰρ ταύτῃ τῇ τιμωρίᾳ. Sed haec omnia spirant hominem rei semiperitum. — κύφωνες. De hac voce veteres scholiastae nos melius docent quam novi interpretes: εἴρηται δὲ κύφων παρὰ τὸ τοὺς δεσμίους ἀναγκάζεσθαι κύφειν, διπλῶς ἅμα κολαζομένους, τῇ τε τοῦ τραχήλου πιέσει καὶ τῷ μηδαμῶς ἀνανεύειν δύνασθαι. ἢ ἄλλως ξύλα ἐστὶν ἐπιθέμενα εἰς τοὺς τένοντας τῶν καταδίκων, ἵνα μὴ εὕρωσιν ἀνακύψαι. Aliud scholion κύφων δέ ἐστι ξύλον ὅμοιον ζυγῷ, ὃν τιθέασιν κατὰ

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

ἱκανοὺς νομίζεις δῆτα θανάτους εἴκοσιν;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ταύτῃ γε· νῷν δὲ δύ' ἀποχρήσουσιν μόνω.

ΠΕΝΙΑ.

οὐκ ἂν φθάνοιτε τοῦτο πράττοντ'; ἢ τί γ' ἂν
ἔχοι τις ἂν δίκαιον ἀντειπεῖν ἔτι;

481. Cum codd. Rav. Borg. Harl. Mead. Ask. Cant. 3. 4. et edd. Invern. Dind. dedi *φθάνοιτε*. Monac. cum cett. *φθάνοιτον*, quod correctioni originem debere videtur. Porson: *οὐκ ἂν φθάνοιτον τοῦτο πράττοντες, τί γάρ*. Harl. Mead. Ask. et schol. (ex opin. Hemsterh.): *πράττοντες*. *ποιοῦντες* in Bar. 2. Cant. 3. 4. Post *πράττοντ'* haud male interrogat Seager. *ἂν* in fine om. Mead. et Ask. Ex opin. Porson. in scholiastae exempl. fuit *γάρ*. — 482. Pro *ἔχοι τις* Hemst. coni. *ἔχοιτον*. — *ἀντεπεῖν'* Dorv. Bar. 2. Iunt. 1. 2. — Post *ἔτι* in edd. vett. et Monac. punctum.

τῶν τραχήλων τῶν δικαζομένων, κύπτειν αὐτοὺς παρασκευάζων, ἵνα διπλῶς αὐτοὺς κολάζῃ, καὶ μὴ ἐῶν αὐτοὺς ἀνανεύειν οὐδ' ὅλως. Aliud denique *κύφων δὲ δεσμός ἐστι ξύλινος, ὃν οἱ μὲν κλοιὸν ὀνομάζουσιν, οἱ δὲ καλιόν*. Ex his omnibus apparet boiae genus fuisse sive ligneum vinculum, quibus colla maleficorum constringebantur. Idcirco Crat. ap. Polluc. X. c. 40. *ἐν τῷ κύφωνι τὸν αὐχένα ἔχων*. Athen. VIII. p. 351. *ἰδὼν δὲ ἐν τῷ κύφωνι δεδεμένους δύο*.

473. *οὐ δεῖ σχετλιάζειν κ. β. πρ. ἂν μ.* Schol. *οὐ πρέπει δεινοπαθεῖν καὶ κραυγάζειν, πρὶν ἂν γνωρίσῃς*. — *καὶ βοᾶν*. lugubri clamore auxilium implorare. Eurip. Hec. 175. *ἰώ, μᾶτερ, μᾶτερ, τί βοᾷς; τί νέον καρύξασα οἴκων μ', ὥστ' ὄρνιν, θάμβει τῷδ' ἐξέπταξας*. — *βοᾶν ἰοὺ ἰού*. supra 275. *ἰοὺ ἰοὺ ἐπίῤῥημα θρηνητικόν*. Schol.

476. *τί σοι τίμημα ἐπιγρ. τ. δ.* locutiones forenses. *τίμημα*. *εἶδος τῆς τιμωρίας. ἔθος δὲ ἦν πάλαι τοῖς δικαζομένοις γράφειν πρὸ τῆς κρίσεως, ὡς τιμωρίαν ἡττηθεὶς δοίη, εἶτα δὲ ἐπιγράφειν, τουτέστιν, ἐπὶ τῇ προτέρᾳ γραφῇ καὶ τοῦτο γράφειν, ὡς καὶ τοιάνδε τιμωρίαν, ἢ βίου τυχὸν ἀφαίρεσιν, ἢ κεφαλῆς*. Unde conspicitur *τίμημα* poenam s. *mullam* indicare, quae interdum ante actionem causae finitam constituebatur ei, qui casurus esset; imprimis vero poenam capitalem. — *δίκη* causam ipsam significat, cuius instructio *εἴσοδος τῆς δίκης* et actio *ἀγὼν τῆς δίκης* fuerunt, d. q. cf. notabilem locum ap. Plat. Crit. c. 5. — *ἐὰν ἁλῷς*. Vesp. 933. (Inv.) *θάνατος μὲν οὖν, ἢν ἅπαξ ἁλῷ*. Nam verba militaria ad usum forensem transferebantur, ut *νικᾶν, ἁλῶναι* et *ἡττᾶσθαι* de victoribus et victis in proeliis et actionibus forensibus adhiberentur. Quare schol. *ἁλῷς* interpret. per *κρατηθῇς*. Disceptatio, quam Chremylus et Blepsidemus cum Penia inituri erant, comparatur cum actione causae, *ἐν ἧς εἰσόδῳ τὸ τίμημα ἐπιγράφεται*.

479. *θανάτους εἴκοσιν*. Hyperbole, quae Atheniensibus trita fuit, ut intelligi potest e formulis similibus, quas alii notarunt: Apol. Socrat. 17. *πολλάκις τεθνάναι*. Aesch. Socr. 3 12. *ἡ ἀπότευξις θανάτων μυρίων χειρῶν*. Adiicio

ΧΟΡΟΣ.

ἀλλ' ἤδη χρῆν τι λέγειν ὑμᾶς σοφόν, ᾧ νικήσετε τηνδὶ
ἐν τοῖσι λόγοις ἀντιλέγοντες· μαλακὸν δ' ἐνδώσετε μηδέν.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

φανερὸν μὲν ἔγωγ' οἶμαι γνῶναι τοῦτ' εἶναι πᾶσιν ὁμοίως,

483. *χρὴ* Bar. 2. *χρὴ* et *χρῆν* schol. (?) — *σοφὸν* om. F. — *νικήσα* Elb. — 484. *ἐν τοῖς λ.* Bar. 2. — *μαλθακὸν* Harl. *μὴ μαλακὸν* Dorv. — *ἐνδώσεται* Iunt. 2. 3.

Eurip. Hec. 429. *τέθνηκ' ἔγωγε, πρὶν θανεῖν, κακῶν ὕπο.* Multiplicem mortem obit, qui, ut cum Homero loquar, moriens *δηθὰ ζωὸς ἐὼν χαλέπ' ἄλγεα πάσχει.* — *ἀποχρήσουσι*, *ἀπόχρη ἐπὶ ἐνεστῶτος ἀντὶ τοῦ ἀρκετόν ἐστι, καὶ ἐπὶ μέλλοντος ἀποχρήσει, ἀντὶ τοῦ ἀρκετὸν γενήσεται.* e schol. cf. Eustath. p. 752, 7 sq. Plat. Alcib. Sec. c. 13. *φρόνιμόν γε αὐτὸν φήσομεν, καὶ ἀποχρῶντα ξύμβουλον καὶ αὐτὸν αὑτῷ καὶ τῇ πόλει.*

481. *οὐκ ἂν φθάνοιτε τοῦτο πράττοντε.* *Iamiam hoc patiemini;* ut Plat. Euthyd. p. 272. d. *οὐκ ἂν φθάνοις ἀκούων*, *iamiam audies.* Formulam hanc explicuit Hermannus V. C. ad Viger. p. 746. *πράττειν* scholiasta pro *πάσχειν* poni monet, ut intransitive positum: *se habere, in statu aliquo esse.* *κακῶς πράττειν*, *δυσπραξία* Aesch. Prometh. 965. *θυγάτηρ ἐμὴ θανοῦσ' ἔπραξεν ἔνδικα* h. e. *filia mea mortua passa est iusta s. meritam luit poenam;* sed vereor, ne dici possit *τοῦτο πράττειν* pro *τοιαῦτα πάσχειν*, nam Ran. 761. *πολλὰ πράττων*, quamvis idem scholiasta praecipiat, non potest esse *πολλὰ πάσχων*, nec aliunde similis locutio mihi innotuit. Quare interpretes a recto aberrasse videntur. In duobus versibus extremis 479 et 480 Chrem. et Blepsid. inter se soli confabulantur; Penia vero haec, ut saepe fit, ne actio interrumpatur nimis diu, negligens, ad disputationem, quam ante flagitabat, iterum adhortatur. Chorus quoque Peniae orationem sic accipit. Quum extrema notio *vincere aut vinci* fuisset, Peniam haec velle puto: *Iamiam periculum facietis me vincere. At quis est, qui iusti aliquid mihi possit opponere?* Sin autem hunc nexum statueris mecum, in verbis *οὐκ ἂν φθάνοιτε* interrogationem esse velim, et infra 870. *σὺ μὲν εἰς ἀγορὰν ἰὼν οὐκ ἂν φθάνοις;* Similiter de hoc loco iudicasse video I. Seagerum in the classic. Journal N. III. p. 506. cf. Aristoph. ed. Invern. VIII. p. 238. „The verses should perhaps be read,

οὐκ ἂν φθάνοιτον τοῦτο πράττοντ'; ἢ τί γὰρ
ἔχοι τις ἂν δίκαιον ἀντειπεῖν ἐμοί;

She is so confident of the superiority of her cause, that she is impatient for the commencement of the altercation. Her impatience is compressed in the words *οὐκ ἂν φθάνοιτον τοῦτο πράττοντ';*"

483 sq. Sequuntur versus anapaestici tetrametri catalectici, qui dicuntur Aristophanei. *τετράμετρον καταληκτικὸν εἰς συλλαβήν. καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ μέτρον Ἀριστοφάνειον διὰ τὸ κατακόρως αὐτὸν τούτῳ χρήσασθαι.* De quo versuum anapaest. genere diligenter et docte exposuerunt VV. CC. Porson ad Eurip. Hecub. p. 46 sq., Godofr. Hermannus Element. doctr. metr. p. 398 sq. et Carol. Reisigius Con-

ἔτι τοὺς χρηστοὺς τῶν ἀνθρώπων εὖ πράττειν ἐστὶ δίκαιον,
τοὺς δὲ πονηροὺς καὶ τοὺς ἀθέους τούτων τἀναντία δήπου.
τοῦτ' οὖν ἡμεῖς ἐπιθυμοῦντες, μόλις εὕρομεν, ὥστε γενέσθαι

486. ἔστι edd. vett. except. Can. et Pors. ex codd. Anglic. nulla varietas notatur. — 488. τοὖθ' pro μόλις in Elb. et Bar. 3.

lect. p. 149 sq. Constat tetrameter hic ex partibus duabus, quarum altera efficit dimetrum integrum, altera paroemiacum. Nam caesura legitima et fixa admittitur post dipodiam secundam. Pes penultimus ab Aristophane servatur purus et incorruptus; ante caesuram perraro occurrit dactylus, quem Hermanno et Reisigio adversantibus prorsus exclusum voluit Porson. In ceteris locis anapaestorum locum recipiunt dactyli et spondei. Ceterum et in hoc versuum genere monophthongum brevem ante mutam cum liquida positam produci non illicitum fuisse putat Reisigius, si modo productio in thesi fieret, non in arsi.

483—484. *ἀλλ' ἤδη χρῆν*, nisi in omnibus fere libris haec scriptura esset, praeferrem *χρή*, ut supra 57. *λέγειν χρὴ ταχὺ πάνυ* et 1193. Qui scholiastam *χρὴ* et *ἀντιλέγοντας* agnoscere dicunt, eo se decipi passi sunt, quod constructionem, quam schol. disponit, verba poetae esse putarunt. Diserte enim scholiasta dicit: *τὸ ἑξῆς, χρὴ λέγειν ὑμᾶς ἀντιλέγοντας*. Quod cum facit, verba inusitata et formulas cum usitatis commutat. De forma *χρῆν* cf. Thom. Mag. sub h. v. et Eustath. ad Odyss. κ. p. 1647. et Iliad. ι. p. 751. *τὸ χρῆναι ἀπαρέμφατον καὶ χρῆν μονοσυλλάβως λέγεται*. Absolute dictum et pro praeterito ponitur Eurip. Hecub. 1192. *χρῆν σ', εἴπερ ἦσθ' ὄντως Ἀχαιοῖσιν φίλος, τὸν χρυσὸν ἔχειν, δοῦναι φέροντα πενομένοις*. Nisi tum ex *ἐχρῆν* augmento omisso, ut Eustath. voluit, ortum est. — *σοφόν τι*, *callide excogitatum*. Unde *τὰ σοφὰ* de eloquentia; Eurip. Iphig. Aul. 1215. et *καλῶς ἔλεξας τῇδε καὶ σοφώτερον* ap. eund. Hec. 985. Coniungi solent *σοφὸς καὶ δεινός*, si homo prudens et sollerter loquens significatur. Ecclesiaz. 245. Ran. 968. *σοφός γ' ἀνὴρ καὶ δεινὸς ἐς τὰ πάντα*. — *μαλακὸν δ' ἐνδώσετε μηδέν*. *Ἡρόδοτος ἐν Θαλείᾳ* (III. 105.) *τὰς δὲ θηλέας τῶν καμήλων, ἀναμιμνησκομένας τῶν ἔλιπον τέκνων, ἐνδιδόναι μαλακὸν οὐδέν*. Schol. Ergo *ἐνδώσετε* pro *ὑποχολάσετε*, ut idem scholiasta addit. Id enim hoc verbum significat, ut in nostra provincia *beigeben* s. *klein beigeben*. Similiter chorus in Ran. 937. 947. ad altercationem exhortatur: *παύσασθε μάχης καὶ λοιδορίας. ἀλλ' ἐπίδειξαι σύ γε κ. τ. λ. νῦν δείξετον, ὁπότερος αὐτοῖν λέγων ἀμείνων φανήσεται*.

485. *ἔγωγε δοκέω γνῶναι, τοῦτο ἐγνωσμένον εἶναι πᾶσιν ἐπίσης*. Schol. — *ὅτι τοὺς χρηστούς*, cui similis sententia notanda Eurip. Hecub. 884. *πᾶσι γὰρ κοινὸν τόδε, ἰδίᾳ θ' ἑκάστῳ καὶ πόλει, τὸν μὲν κακὸν κακόν τι πάσχειν, τὸν δὲ χρηστὸν εὐτυχεῖν*. Nam *εὐτυχεῖν ἰσοδυναμεῖ τῷ εὖ πράττειν*, ut supra 846. — *τούτων τἀναντία*, *τῶν χρηστῶν ἐναντία ἢ δυσπραγεῖν*. e schol. Hoc extremum verum est, ut ex alio scholio apparet: *τὸ δὲ τούτων, εἰ μὲν ἀρσενικόν, τῶν χρηστῶν ἀνθρώπων· εἰ δὲ οὐδέτερον, ὧν εὖ πάσχουσιν οἱ χρηστοί*.

489. *τοῦτ' οὖν*, *τὸ πλουτεῖν*

βούλευμα καλὸν καὶ γενναῖον, καὶ χρήσιμον εἰς ἅπαν ἔργον.
ἢν γὰρ ὁ Πλοῦτος νυνὶ βλέψῃ καὶ μὴ τυφλὸς ὢν περινοστῇ,
ὡς τοὺς ἀγαθοὺς τῶν ἀνθρώπων βαδιεῖται, κοὐκ ἀπολείψει·

489. *βούλευμα* codd. F. Cant. 4. cett. vero omn. *βούλημα*. cf. not. — Elb. *πᾶν* contr. metr. — 491. *εἰς* pro *ὡς* Bar. 2. et Gl. Bar. 3.

μὲν τοὺς χρηστούς, δυστυχεῖν δὲ τοὺς κακούς. Schol. Cum Porsone interpunxi, ut verborum nexus, qui alios fefellit, melius appareat: *ἐπιθυμοῦντες ὥστε τοῦτο γενέσθαι, μόλις εὕρομεν βούλευμα καλὸν κ. τ. λ.* — *βούλημα*, *βούλευμα μὲν τὸ ἴδιον, βούλημα δὲ τοῦ δημοσίου ἡ γνώμη. καί τοι ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν Σοφοκλείων ἀντιγράφων* (Soph. Aiac. 44.): „*ἦ καὶ τὸ βούλημ' ὡς ἐπ' Ἀργείοις τόδ' ἦν.*" Schol. Quamquam Hermannus e melioribus libris *βούλευμα* se edidisse affirmat et Lobeck. p. 226. idem ut significantius retinet. Ad scholion accedit Suidae auctoritas, qui idem discrimen statuit; sed, ut fieri solet, Grammaticorum pleraque huiusmodi praecepta scriptorum usu, quamvis inde petita, non confirmantur. cf. Heind. ad Plat. Gorg. 481. C. *τοῖς γὰρ τῶν παιδικῶν βουλεύμασί τε καὶ λόγοις οὐχ οἷός τ' εἶ ἐναντιοῦσθαι.* Sophocl. Philoct. 558. *ἃ τοῖσιν Ἀργείοισιν ἀμφὶ σοῦ νέα βουλεύματ' ἐστί· κοὐ μόνον βουλεύματα, ἀλλ' ἔργα δρώμενα, οὐκ ἔτ' ἐξαργούμενα.* idem Oed. R. 45. Antig. 179. 1226. (Elmsl.) Noster Av. 163. *ἦ μέγ' ἐνορῶ βούλευμ' ἐν ὀρνίθων γένει.* Aeschyl. Prometh. 620. *βούλευμα μὲν τὸ Δῖον, Ἡφαίστου δὲ χείρ.* ibidem 763. *αὐτὸς πρὸς αὑτοῦ κενοφρόνων βουλευμάτων.* Eurip. Hecub. 829. *ὡς ἂν ἡ μὲν Ἑλλὰς εὐτυχῇ, ὑμεῖς δ' ἔχηθ' ὅμοια τοῖς βουλεύμασι.* Xenoph. Cyrop. VI. p. 154. C. *οἶμαι δέ, καὶ λόγων καὶ βουλευμάτων κοινωνὸν ἄν σε ποιοῖντο διὰ τὸ πιστεύειν.* Ex quibus locis colligere poteris, *βούλευμα* contra Grammaticorum voluntatem modo de privato modo de publico poni consilio; et verendum est, ne unquam ab aliquo scriptore bono *βούλημα* hac significatione dictum sit, qua hoc loco esse debet. Quare non dubitavi, msptorum paucorum auctoritatem secutus, *βούλευμα* reponere, persuasus a Grammaticis ipsis hunc versum, et si quis est alius, praeceptis ipsorum accommodatum esse. In antiquis libris msptis *βούλευμα* fuisse ex scholio laudato et Gl. Paris. apparet, ubi *βούλευμα* per *σκέμμα* explicatur. Accedit, quod *βούλευμα* hic non solum *consilium* sed *prudenter excogitatam rationem* indicat, ut Ran. 1024. *δεινῶν δέ σοι βουλευμάτων ἔοικε δεῖν πρὸς αὐτόν, εἴπερ τὸν ἄνδρ' ὑπερβαλεῖ.* Id vero ex analogia *βούλημα* esse vix potest. — *χρήσιμον εἰς ἅπαν ἔργον*, proverbialis locutio, quam schol. expl. *ἐπωφελὴς εἰς πᾶσαν πρᾶξιν.* Extrema vocis *ἅπαν* syllaba Atticis longa valet, at cum aures Homericus usus minus religiosas fecisset, interdum corripitur in versibus dactylicis et anapaesticis, immo in iambicis quoque, si quidem infra 958. *τὸ πάρᾱ | πᾶν ἢ | μαρτή | καμεν*, utpote ab omnibus libris comprobata, stare possunt. Versum Acharn. 998. (1011. Inv.), quem Brunckius e codd. dedit, Hermannus (509. Elem. metr.) et Reisig. (Coni. 192.) perturbatum esse putantes pro arbitrio disposuerunt, ut legi-

τοὺς δὲ πονηροὺς καὶ τοὺς ἀθέους φευξεῖται· κᾆτα ποιήσει
πάντας χρηστοὺς καὶ πλουτοῦντας δήπου τά τε θεῖα σέβοντας.
καίτοι τούτου τοῖς ἀνθρώποις τίς ἂν ἐξεύροι ποτ' ἄμεινον;

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

οὐδείς τις· ἐγὼ τούτου μάρτυς· μηδὲν ταύτην γ' ἀνερῶτα.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ὡς μὲν γὰρ νῦν ἡμῖν ὁ βίος τοῖς ἀνθρώποις διάκειται,

494. τοῦτο Dorv. — πότ' edd. vett. — ἐξεύρῃ Ask. — 495. οὔτις· ἐγώ σοι Elb. U. Harl. F. (?) Cant. 1. Ald. Iunt. 1. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Frischl. Can. Brub. Raph. Porson. Bo. οὐδείς· ἐγὼ Rav. Borg. Arund. Bar. 2. 3. Ask. Mead. Monac. Cant. 2. 3. 4. οὔ τις ἂν Port. οὐδεὶς ἂν Dorv. Victor. Iunt. 2. 3. Iam Hemsterh. proposuit dubitanter οὐδεὶς ἂν sine σοί. Reisig. Coni. p. XIX. verum esse putat: οὐδεὶς ἄν· ἐγὼ τούτου μάρτυς σοι· μὴ ταύτην γ' ἀνερώτα. At hoc caesuram delet, quam ipse inviolabilem alias dicit. Ex hac lectionum farragine, ut utrique scripturae potiori satisfacerem, quod raro fieri licet, dedi οὐδείς τις· ἐγὼ κ. τ. λ. — 496. βίοτος Cant. 3.

bus artis metricae, quas fecerant, responderet; ille ἐλᾶδας ἅπαν ἐν κύκλῳ, hic ἐλαΐδας ἅπαν κύκλῳ, codd. vero ἅπαν ἐλαΐδας ἐν κύκλῳ. Aeschyl. Pers. 43. ἐπίπαν ἠπειρογενές. Incerta ultima syllaba τοπαράπαν supra 17.

490. ἢν ὁ Πλοῦτος βλέψῃ καὶ μὴ τυφλὸς ὢν π., δηλοῖ ἐκ παραλλήλου ταὐτὸν σημαίνειν. Huiusmodi locutiones ex Homeri more loquendi ortae esse videntur. Od. χ. 473. ἤσπαιρον δὲ πόδεσσι μίνυνθά περ, οὔτι μάλα δήν. ibid. ι. 163. οὐ γάρ πω νηῶν ἐξέφθιτο οἶνος ἐρυθρός, ἀλλ' ἐνέην. Eurip. Heracl. 530. ἥδε γὰρ ψυχὴ πάρα ἑκοῦσα, κοὐκ ἄκουσα. — κᾆτα ποιήσει, nexus verborum hic: κᾆτα πάντας χρηστοὺς καὶ σέβοντας τὰ θεῖα ποιήσει πλουτοῦντας. Recte schol. notat: τοὺς δὲ τὰ θεῖα σέβοντας ὡς ἐναντίους τοῖς ἀθέοις ἔθετο. ἐνταῦθα δὲ ὅρα τὸ σέβοντας, νῦν μὲν λεχθὲν ἐνεργητικῶς, παρὰ δὲ τοῖς ὕστερον τὰ πλείω παθητικῶς. Intellectam voluit formam mediam; activa apud Atticos praevalet: Aesch. Prometh. 543. ἰδίᾳ γνώμῃ σέβει θνατοὺς ἄγαν. Eurip. Hecub. 937. Iphig. Aul. 825. αἰνῶ δ' ὅτι σέβεις τὸ σωφρονεῖν. cf. et Sophocl. Aiac. 667. Antig. 166. 744. Oed. Col. 1377. (Elmsl.)

495. οὐδείς iam hanc ob causam verius est, quod Blepsidemus praeoccupat responsionem, quae ab Penia exspectabatur ad interrogationem τίς ἂν ἐξεύροι ποτ' ἄμεινον; ut scholiasta aliena tractans obiter at bene notat: ἐν ᾗ (ἐρωτήσει) τὸ τίς ταὐτόν ἐστι τῷ οὐδείς, ὡς καὶ ἐν ἄλλοις μυριαχοῦ φαίνεται. Particula ἄν, paucorum librorum auctoritate confirmata, videtur non necessaria esse. Eurip. Hecub. 995. ΠΟΛ. τἄνδον δὲ κι-

τίς ἂν οὐχ ἡγοῖτ' εἶναι μανίαν, κακοδαιμονίαν τ' ἔτι μᾶλλον;
πολλοὶ μὲν γὰρ τῶν ἀνθρώπων ὄντες πλουτοῦσι πονηροί,
ἀδίκως αὐτὰ ξυλλεξάμενοι· πολλοὶ δ' ὄντες πάνυ χρηστοὶ
πράττουσι κακῶς καὶ πεινῶσιν μετὰ σοῦ τε τὰ πλεῖστα σύνεισιν.
οὐκοῦν εἶναί φημ', ἢ παύσει ταῦτ', ἢν βλέψῃ ποθ' ὁ Πλοῦτος·
ὁδὸν ἥντιν' ἰὼν τοῖς ἀνθρώποις ἀγάθ' ἂν μείζω πορίσειεν.

497. γ' ἔτι Monac. — 499. Hemsterh. coni. αὐτόν. — Pro ξυλλεξάμενοι Monac. Bar. 2. 3. et ed. Invern. male συλλεξάμενο. Coniicio Aristophanem scripsisse ξυλησάμενοι. — 501 et 502. a Porsone et Dind. Blepsidemo tribuuntur, quod laudat Dobr. At nihil refert, uter loquatur. — 501. Hemst. et Bentl. volunt οὔκουν. De scriptura huius vocis (utrum οὐκοῦν, an οὔκουν) iam schol. dubitat. — Scholia commemorant, in quibusdam φημὶ sine ἢ fuisse. — ἢ παύσει ταῦτ', ἢν βλέψῃ lectio fere omn. libb., nam exstat in edd. vett. omnibus, in codd. Arund. Monac. A. B. C. D. E. F. (?) Cant. 1. 2. 3. 4. Sensui huic impedito mederi putant lectionem cod. Ravenn.: εἰ παύσει ταῦτ', ἢν βλέψας κ. τ. λ, quod Porson mutat in: εἰ παύσει ταύτην βλέψας, Dind. in: ἢν παύσῃ ταύτην βλέψας. In scholiis nullum vestigium lectionis ταύτην, nam quae proferunt, ad ταῦτα sunt referenda, sub quo etiam Penia intelligi potuit. cf. not. — Edd. vett. exc. Can. et Frischl. πόθ'. — 502. ἥντιν' Arund. Monac. Rav. Cant. 1. 2. 4. ἥν τιν' edd. vett. Cant. 3. etc. ἥν τις Bentl. Dobr. Dind. Bo.

στά, χάρσίνων ἐρημία; ΕΚ. οὐδεὶς Ἀχαιῶν ἔνδον, ἀλλ' ἡμεῖς μόναι. Immo quum codd. utrumque οὐδείς et οὔτις offerant, utrumque, quatenus fieri licet, servaverim scribens: οὐδείς τις· ἐγὼ κ. λ. Saepe enim reperitur οὐδέ τι nihil quidquam, et interdum vi quadam singulari dictum οὐδείς τις, ut Lysias pro Polystr. p. 679. οὐδεὶς τοίνυν ἂν εἴποι τις ὅπως ἔχει. In altera versus parte recepissem Reisigii scripturam, quamvis imbecilla nitatur auctoritate, nisi caesuram versus deleret et leges ab ipso V. C. sancitas. Huc accedit, quod μηδὲν plus indicat, quam simplex negatio prohibitiva μή. — ἀνερωτα. τὸ ἀνερώτα ἢ περιττὴν ἔχει τὴν πρόθεσιν, ἢ δηλωτικόν ἐστι τοῦ πολλάκις ἐρωτᾶν. Schol. At notio verbi ἀνερωτᾶν frequentativa hic nulla est; nisi scholiasta per verba πολλάκις ἐρωτᾶν dicere voluit πάλιν aut ἔτι, id quod revera in hoc composito subest. Sensus: *Ne quid amplius hanc interroga!*

496. ὡς νῦν ὁ βίος διάκειται. ut supra 50. ἐν τῷ νῦν βίῳ. cf. 263. Nexus verborum hic: τίς ἂν οὐχ ἡγοῖτο τὸν νῦν βίον μανίαν εἶναι καὶ ἔτι μᾶλλον κακοδαιμονίαν. Unde apparet κακοδαιμο-

ΠΕΝΙΑ.

ἀλλ' ὦ πάντων ῥᾷστ' ἀνθρώπων ἀναπεισθέντ' οὐχ ὑγιαί-νειν

503. ῥᾶστ' sine iota subscr. Iunt. 1. 2. 3. Ven. 1. 2. Wech. Bruh. Raph.

νίαν plus indicare quam μανίαν. Pariter per gradationem cumulantur verba οὐχ ὑγιαίνειν 360. μελαγχολᾶν 862. et μελαγχολᾶν 369. — πολλοὶ πλουτοῦσι πονηροί. ut supra 30. ἕτεροι δ' ἐπλούτουν, ἱερόσυλοι, καὶ συκοφάνται, καὶ πονηροί. Lucian. Tim. πολλοὶ παρὰ τὴν ἀξίαν εὖ πράττουσιν. — ἀδίκως αὐτὰ ξυλλεξάμενοι. Pronomine αὐτὸ et αὐτὰ licentius Attici utuntur, ita ut αὐτὸ ad plura, αὐτὰ ad unum verbum aut notionem respicientes adhibeant, ut bene animadvertit Heind. ad Plat. Sophist. p. 315. 403. ad Protag. 534. ad Phaedon. p. 67. Quare Hemsterhusii coniectura αὐτόν, ad Plutum quae respicit, non opus est. — ξυλλεξάμενοι si quid video, corruptum est. Verbum hoc iam per se vi tenui praeditum rarius occurrit; quarè hic ξυλησάμενοι fuisse puto, quippe quod dramatici poetae saepe adhibeant significatione *furtim aut iniuste alicui aliquid eripiendi.* Mutatio literae Ξ in Σ fere nulla est. Aeschyl. Prometh. 82. ἐνταῦθα νῦν ὕβριζε, καὶ θεῶν γέρα συλῶν ἐφημέροισι προστίθει. ibid. 762. πρὸς τοῦ τύραννα σκῆπτρα συληθήσεται. Sophocl. Philoct. 1368. οἵ γέ σου καθύβρισαν, πατρὸς γέρας συλῶντες. ibid. 415. οὐ γὰρ ἄν ποτε ζῶντός γ' ἐκείνου ταῦτ' ἐσυλήθην ἐγώ. et Oed. Col. 922. — μετὰ σοῦ σύνεισιν, pro σοὶ σύνεισιν abundantia praepositionis, de qua Porson monet ad h. l. Plat. De Legg. I. p. 639. C. μετὰ κακῶν ἀρχόντων ξυνοῦσαν. Eurip. Electr. 943. μετὰ σκαιῶν ξυνών. Eubul. Athen. VIII. p. 340. D. μετὰ Καράβου σύνεισιν.

501. Versus desperati, qui iam scholiastae aetate in libb. corrupti legebantur; nam adiicit: κακόμετρος δὲ οὗτος· ἐν ἐνίοις δὲ καὶ ἄμετρος. ὁ δὲ νοῦς δῆλος· οὐκοῦν εἶναί φημι ὁδὸν ἑτέραν, ἣν βαδίσας τις ἀγαθόν τι τοῖς ἀνθρώποις ἐργάσεται. λέγει δέ, ὅτι δεῖ τὸν Πλοῦτον ἀναβλέψαι ποιῆσαι. ἐὰν δὲ προσθείη τις τὸ καί, ἵσταται ἡ φράσις· οὐκοῦν ἣν βλέψῃ ποτὲ ὁ Πλοῦτος, φημὶ εἶναι ὁδόν, ἥντινα ἰὼν παύσει ταῦτα καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἀγαθὰ μείζω πορίσειεν. Ἄλλως. τὸ οὐκοῦν ἀποφατικόν ἐστιν, ἐὰν βλέψῃ ὁ Πλοῦτος, καὶ παύσῃ τὴν Πενίαν, οὐκέτι κακοδαιμονία εἴη. τὸ δὲ ἑξῆς, οὐκοῦν εἶναί φημι ὁδόν, ἥντινα ἰὼν ὁ Πλοῦτος βλάψει ταύτην, καὶ τὰ ἀγαθὰ μείζω πορίσειε τοῖς ἀνθρώποις. Ἄλλως. οἱ γράφοντες φημὶ δίχα τοῦ ἄρθρου τοῦ ἣ στοχάζεσθαι τῶν μέτρων δοκοῦσιν οὐ μάλα ἀκριβῶς· τὸ γὰρ ἑξῆς οὕτως ἔχει, οὐκοῦν εἶναί φημι ὁδόν, ἥτις παύσει ταῦτα, ἣν βαδίσας τις ἀγαθὸν τοῖς ἀνθρώποις πορίσειεν. ἡ δέ ἐστιν, ἢν βλέψῃ ποθ' ὁ Πλοῦτος. οἱ πολλοὶ δὲ λαμβάνουσιν ἔξωθεν γάρ, πρὸς τὸ φημί· οὐκοῦν παύσει ταῦτά ποτε ὁ Πλοῦτος, ἢν βλέψῃ· φημὶ γὰρ εἶναι ὁδόν, ἥντινα ἰὼν πορίσειε τοῖς ἀνθρώποις μείζω ἀγαθά. Integra scholia adposui, ut perspicuum esset, iam diu aliquam partem huius versus corruptam fuisse, in qua sananda frustra sudarunt. Hodie usque versus aegrotat, quamvis curam virorum doctissimorum expertus sit; nam quod ex cod. Rav. parva mutatione verborum ταῦτ', ἣν in ταύτην, et βλέψας prodiit, et a nostratibus receptum est, id mihi multo minus placet, quam lectiones antiquae. In his verbis non fuit, quod offendere posset: non enim τὸ Πενίαν παύειν, sed totum illud, quod 498—500. questus est Chremylus, nimirum ne improbi di-

δύο πρεσβύτα, ξυνθιασώτα τοῦ ληρεῖν καὶ παραπαίειν,
εἰ τοῦτο γένοιθ' ὃ ποθεῖθ' ὑμεῖς, οὔ φημ' ἂν λυσιτελεῖν
σφῷν.

504. *δύω* Bar. 2. Mead. — *ξυνθιασῶται* Mead. — 505. Dorv. *γε* ante *λυσιτελεῖν*. — Invern. et Brunck. *σφφν* sine accentu.

vites et felices porro sint, neve probi pauperes et miseri, hoc fuit Pluto curandum. Quare *ταῦτα* nullo modo debet mutari. Quo diutius hunc locum et opiniones aliorum contemplatus sum, eo mihi ille visus est obscurior. Medelae in promptu sunt variae. Menda haud dubie in initio versus latent, nam constructio *οὐκοῦν εἶναί φημι* nec conjunctione *ἦν*, nec pronomine *ἣ* commode potuit interrumpi, quia nondum adest, quo mens audientis nitatur. Idcirco, ne una quidem litera mutata, scriptum fuisse puto: *οὔκουν εἶ; ναί φημ', ἣ παύσει* etc. Haec enim Blepsidemus Peniae dicit, Chremyli sermonem interrumpens, hoc sensu: *Nonne cum optimo quoque versaris?* (Nam nunc nobiscum es, qui sumus homines *πάνυ χρηστοί*.) *At profecto viam esse dico, quae, si Plutus oculorum aciem receperit, haec mala finiat, quamque initurus hominibus summa bona allaturus sit.* In his nihil desideratur, nisi copula *καί*, eamque iam scholiasta primo loco laudatus desideravit. Iam quum in similibus sententiis *καὶ* nunquam negligatur, certe aliunde petenda fuit medela, quamque, *ἣ* in *ᾗ* mutato, invenisse mihi videor: *οὐκοῦν εἶναί φημ'. ᾗ παύσει ταῦτ', ἢν βλέψῃ ποθ' ὁ Πλοῦτος· ὁδὸν ἥν τις ἰὼν* κ. τ. λ. ubi *καὶ* non desideratur; nam locutio *ἥν τις ἰὼν* „*quam si quis iniverit*" enuntiationi antecedenti se bene accommodat. Constructio et ratio loquendi valde vulgaris est: Xenoph. Memor. I. 1. 15. *ἀρκεῖ αὐτοῖς γνῶναι μόνον, ᾗ τῶν τοιούτων ἕκαστα γίγνεται.* Eurip. Hecub. 847. *ἔστιν γὰρ ᾗ* κ. τ. λ. Sensus nostri loci hic: „*Esse puto rationem, qua his incommodis finem imponat Plutus, si aciem oculorum receperit; quam si quis iniverit, summa bona hominibus parabit.*" Immo *ὁδὸς* per se capi potest, nullo respectu ad *ᾗ* habito; ita ut sub voce *ὁδὸς* remedium Pluti sanandi intelligatur: *Si quis hanc viam* (*ᾗ βλέπειν ποιήσει τὸν Πλοῦτον*) *iniverit, is homines summo beneficio afficiet.* Ut enim apud Romanos *via* interdum ponitur pro *modo* et *ratione*, qua quid est; ita Graecis *ὁδός* haud raro accipitur: Noster Equit. 1024. (Inv.) 1012. (Kust.) Equit. 734. (732.) Xenoph. Memorab. II. 1. 23. *ἐὰν οὖν ἐμὲ φίλην ποιησάμενος, ἐπὶ τὴν ἡδίστην τε καὶ ῥᾴστην ὁδὸν ἄξω σε.* ibid. *ποίαν ὁδὸν ἐπὶ τὸν βίον τράπῃ.* Eurip. Hecub. 734. (Br.) 725. (Lang.) Phoen. 914. Quia vero omnes libri consentiunt in *ἥντιν'*, et hoc retinendum esse putabam; nam, si ad Plutum haec refers, bene sic stare possunt: *quoquo modo venerit* (visu restituto), *homines beabit*. Textus nostri, qui, excepta mutatione pronominis *ἣ* in *ᾗ*, totus in libris mss. nititur, sensus simplex: *Puto fieri posse, ut aliqua ratione Plutus, si quidem visum receperit, haec mala finiat; quacunque ratione incesserit* (*visu recuperato*) *hominibus benefaciet.*

503. *ἀλλ' ὦ πρεσβύτα, ῥᾷστ' ἀνθρώπων ἀναπεισθέντε οὐχ ὑγιαίνειν. ἀναπεισθῆναι aliquo persuadente ad aliquid perduci*, et notione persuadendi amissa universim *ad aliquid perduci, aliquo pervenire; ἀναπεισθεὶς παραφρονεῖν* is qui in dementiam incidit, quod adverbio comparato gradus comparationis patitur. Quare hic sensus: *o vos, qui facillime omnium mente capti estis.* Schol. *εὐχερῶς καταπεισθέντες τὰς φρένας.* — *ξυνθιασώτα*, schol.

ΠΕΝΙΑ.

πόθεν οὖν ἕξεις θεράποντας;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ὠνησόμεθ' ἀργυρίου δήπου.

ΠΕΝΙΑ.

τίς δ' ἔσται πρῶτον ὁ πωλῶν,
ὅταν ἀργύριον κἀκεῖνος ἔχῃ;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

κερδαίνειν βουλόμενός τις
ἔμπορος ἥκων ἐκ Θετταλίας παρὰ πλείστων ἀνδραποδιστῶν.

515. πρῶτος Cant. 3. — πολῶν Bar. 2. — 516. ἔχει Dorv. — 517. Hemsterh. coni. παρ' ἀπλήστων, aut παρ' ἀπίστων, quod Porson recepit.

tur enim ultra soccum comicum. Ceterum hoc Cereris nomen, quod Homero ignotum Hermannus et hymnis exclusum voluit (cf. eius praef. ad Hymn.), scholiasta ad Homer. Iliad. IX. 685. sic derivat: δήετε, εὑρήσετε· παρὸ καί τινες τὴν Δήμητραν Δηὼ λέγουσι, διὰ τὸ τοὺς ἐντυγχάνοντας αὐτῇ ζητούσῃ τὴν θυγατέρα λέγειν δήεις, ὅ ἐστιν εὑρήσεις. Huic interpreti Hymnus in Cerer. 47 sq. obversabatur animo: ἐννῆμαρ μὲν ἔπειτα κατὰ χθόνα πότνια Δηὼ στρωφᾶτ', αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχουσα. — ἀργοῖς ὑμῖν. Theocr. Adoniaz. 26. ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά. Eurip. Iphig. Aul. 1000. στρατὸς γὰρ ἀργὸς ὢν τῶν οἴκοθεν, λέσχας πονηρὰς καὶ κακοστόμους φιλεῖ. Notionem vocis ἀργὸς (ἀεργὸς) illustrat Xenoph. Memor. I. 2. 57. Σωκράτης δ' ἐπειδὴ ὡμολογήσατο τὸ μὲν ἐργάτην εἶναι ὠφέλιμόν τε ἀνθρώπῳ καὶ ἀγαθὸν εἶναι, τὸ δὲ ἀργὸν βλαβερόν τε καὶ κακόν, καὶ τὸ μὲν ἐργάζεσθαι ἀγαθόν, τὸ δὲ ἀργεῖν κακόν, τοὺς μὲν ἀγαθόν τι ποιοῦντας ἐργάζεσθαί τε ἔφη καὶ ἐργάτας εἶναι, τοὺς δὲ κυβεύοντας ἤ τι ἄλλο πονηρὸν καὶ ἐπιζήμιον ποιοῦντας ἀργοὺς ἀπεκάλει. cf. ibid. II. 7. 7. oppos. ἐνεργοί ibid. II. 7. 9. ut Sophocl. Phil. 97. — τούτων πάντων ἀμελοῦσιν. Continent epexegesin antecedentium, poetae cuivis propriam.

513. λῆρον ληρεῖς, φλυαρεῖς, Ἀττικὴ παρήχησις, καὶ τὸ σχῆμα, ὡς τὸ μανίαν μαίνῃ, ὕβριν ὑβρίζεις, καὶ φυγὴν φεύγεις. ex schol. Similis parechesis supra v. 10. ampliores Sophocl. Aiac. 865. πόνος πόνῳ πόνον φέρει. Aeschyl. Pers. 1035. δόσιν κακὰν κακῶν κακοῖς. — κατέλεξας, ἀπηρίθμησας. Schol. — ἕξεις, κτήσει δούλους. Sch. — ὠνησόμεθ' ἀργυρίου, de servorum emtione et venditione cf. Pfeiffer. Antiqq. Gr. II. 17. et supra not. ad v. 4. — τίς δ' ἔσται ὁ πωλῶν, pro τίς πωλήσει, ut supra 132. τίς παρέχων ἐστὶ τοῦτο; et infra 867. ὁ δὲ ἐνίους ἐστὶν ἐξολωλεκώς.

517. ἐκ Θετταλίας παρὰ πλ. ἀνδραποδιστῶν. ἀνδραποδιστὴς οὐ μόνον τοὺς ἐλευθέρους δι' ἀπάτης ἀπάγων εἰς δουλείαν, ἀλλὰ καὶ ὁ τοὺς δούλους ἀπὸ τῶν δεσποτῶν ἀποσπῶν εἰς ἑαυτὸν ἐπὶ τῷ ἀπαγαγεῖν ἀλλαχοῦ καὶ διαπωλῆσαι. Schol. De significatione, qua indicantur plagiarii, nulla quidem dubitatio. Aliter se res habet cum etymologia vocis, in qua nisi Eusta-

ΠΕΝΙΑ.

ἀλλ' οὐδ' ἔσται πρῶτον ἁπάντων οὐδεὶς οὐδ' ἀνδραποδιστὴς
κατὰ τὸν λόγον ὃν σὺ λέγεις δήπου. τίς γὰρ πλουτῶν ἐθελήσει
κινδυνεύων περὶ τῆς ψυχῆς τῆς αὑτοῦ τοῦτο ποιῆσαι;
ὥστ' αὐτὸς ἀρῶν ἐπαναγκασθεὶς καὶ σκάπτειν τἄλλά τε μοχθεῖν
ὀδυνηρότερον τρίψεις βίοτον πολὺ τοῦ νῦν.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἐς κεφαλὴν σοί.

518. *οὐδ'* ante *ἀνδραπ.* om. Monac. Bar. 2. 3. Ask. Cant. 4. 2. (?) — 520. In Rav. Harl. Bar. 2. 3. Mead. (pr. m.) *κινδυνεύειν.* — *τῆς* alterum om. Bar. 2. Iunt. 3. — *αὐτοῦ* edd. vett. except. Canin. — *ποῆσαι* Pors. — 521. *σκόπτειν* Elb. — *τά τε ἄλλα* Bar. 2. *τ' ἄλλα* Monac. Iunt. 1. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Brub. *τἀλλά τε* Canin. *τἄλλά τε* Frischl. ex Herodian. praec. recte. — 522. *ὀδυνότερον* Bar. 2. 3. — *διατρίψεις* Harl. — *ἐς κεφαλήν σου* Mead. F. Elb. *ἐς κεφαλήν σοι* Monac.

thius, Suidas h. v. certe errat, ut iam notavit H. Steph. Thes. I. 442. Eustath. ad Hom. Il. *η*. p. 180. ed. Lips. 692. l. 24. ed. Rom. *οὐ γὰρ ἔστιν εἰπεῖν, ὡς εὐθειά ἐστιν αὐτοῦ* (scil. vocabuli *ἀνδραπόδεσσι*) *ὁ ἀνδράπους, ἵνα ἐξ αὐτοῦ γίνηται τὸ ἀνδραπόδεσσι. δηλοῖ δὲ ἡ λέξις τοὺς δούλους, ὡς ἀνδρῶν ὄντας πόδας, δηλονότι τῶν δεσποτῶν. ὅτι δὲ οἱ τῶν ἀνδραπόδων πορισταὶ τοῖς ἐμπόροις ἀνδραποδισταὶ λέγονται, οἷς ἡ Θετταλία εὐθήνει πάλαι ποτέ.* Ineptius vero Suidas derivat *ἀνδραποδιστὴς παρὰ τὸ τὰ ἀνδράποδα ἀποδίδοσθαι,* quasi hoc verbum in *ἀνδραπ.* lateret, quum tamen ab *ἀνδράποδον* descenderet *ἀνδραποδίζεσθαι* et inde *ἀνδραποδιστής.* Recte vero scholiasta et Suidas notant hoc loco *διαβάλλεσθαι τοὺς Θετταλοὺς ὡς ἀνδραποδιστὰς καὶ ἀπίστους.* Haec Suidae extrema vox Hemsterhusii coniecturam effecit male sonantem: *παρ' ἀπίστων ἀνδραπ.* Vocabantur hi servi apud Thessalos *πενέσται,* de quibus breviter et bene docet H. Steph. Thes. T. V. p. 1629., apud Athenienses vero *ἀργυρώνητοι.* Eurip. Alcest. 675. (Matth. 691.) *ὦ παῖ, τίν' αὐχεῖς, πότερα Λυδόν, ἢ Φρύγα, κακοῖς ἐλαύνειν ἀργυρώνητον σέθεν; οὐκ οἶσθα Θεσσαλόν με κἀπὸ Θεσσαλοῦ πατρὸς γεγῶτα, γνησίως ἐλεύθερον;* Citat versum nostrum schol. Eurip. Phoeniss. 1408., ubi cum alia Euripidis sententia comparatur: „*πολλοὶ γὰρ εἰσίν, ἀλλ' ἄπιστα Θεσσαλοῖς*" *καὶ ὁ Ῥήτωρ,* (T. I. p. 15. Reisk.) „*εἰσὶ τὰ τῶν Θετταλῶν ἄπιστα δήπου φύσει ταῦτα, καὶ ἀεὶ πᾶσιν ἀνθρώποις.* Quamvis vero et hic bis legatur *ἄπιστος* de Thessalis, nostro tamen in versu haec notio languet, quia non perfidiam sed multitudinem plagiariorum significare voluit poeta. Nam plagiarii erant et Cares et Phryges et alii, at Thessalia eorum quasi patria. — *ἔμπορος,* recte scholiasta: *ὁ κατὰ θάλατταν πραγματευόμενος.* Homeri aliorumque varium huius vocis usum

ΠΕΝΙΑ.

ἔτι δ' οὐχ ἕξεις οὔτ' ἐν κλίνῃ καταδαρθεῖν· οὐ γὰρ ἔσονται·
οὔτ' ἐν δάπισιν· τίς γὰρ ὑφαίνειν ἐθελήσει χρυσίου ὄντος;
οὔτε μύροισιν μυρίσαι στακτοῖς, ὁπόταν νύμφην ἀγάγησθον·
οὔθ' ἱματίων βαπτῶν δαπάναις κοσμῆσαι ποικιλομόρφων.

523. Pro οὔτ' Cant. 4. ἔτ'. — 524. οὔτ' ἐν τάπησιν A. B. C. D. E. Cant. 4. Monac. Elb. Ask. Iunt. 2. 3. Port. τάπισι Mead. οὔτε τάπησιν Arund. Dorv. Ald. Iunt. 1. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Can. Frischl. Brub. Raph. Bergl. Hemsterh. schol. οὐδ' ἐν δάπισιν Suida auctore Bentlei. Kuster. Brunck. Pors. Invern. Dind. — χρυσίου γ' ὄντος Iunt. 2. 3. Port. — 525. οὔτ' ἐν μύροισι Harl. Elb. Mead. οὔτε μύροισι sine ν Monac. Iunt. 2. 3. Ald. etc. except. Canin. Caninius vero apte Kuster. ν adiecit. — Vitium Iunt. 1. νύμφιν repetit Frischl. — ὅταν Cant. 2. ἀγάγοισθον Mead. ἀγάγησθε Cant. 3.

scholia minora Ambros. et Eustath. ad Odyss. β. 319. notant: ἔμπορον ὁ ποιητὴς τὸν ἀλλοτρίας νηὸς ἐπιβαίνοντα λέγει ὡς αὐτὸς ἑρμηνεύει, εἰπών· „εἰμὶ ἔμπορος, οὐ γὰρ νηὸς ἐπήβολος οὐδ' ἐρετάων γίνομαι." τοῦτον δὲ οἱ μεθ' Ὅμηρον ἐπιβάτην φασίν. ὡς ἐμπόρου παρ' αὐτοῖς λεγομένου τοῦ μεταβολέως καὶ ὡς εἰπεῖν πραγματευτοῦ, καὶ μάλιστα τοῦ διὰ θαλάσσης περαῶντος, παρὰ τὸν πόρον. Ad hos accedit Apoll. Soph. p. 261. ἔμπορος ὁ μὴ ἰδίας νεὼς πλέων, ἀλλὰ μισθοῦ. quem ad verbum fere iterat Hesych. ἔμπορος, πραγματευτής. καὶ ὁ ἐπ' ἀλλοτρίας νεὼς πλέων μισθοῦ, ὁ ἐπιβάτης. Homero igitur ubique est ἔμπορος, *qui aliena navi pro mercede vehitur*, nos *Passagier*; posthomericis vero *mercator*, qui negotiandi causa maria perlustrat. cf. Eustath. copiose pariter docentem p. 1447, 40. et p. 1961, 51.

520. κινδυνεύων περὶ τῆς ψυχῆς, obversabantur poetae animo Homericae locutiones: οἷα ληϊστῆρες, τοί τ' ἀλόωνται ψυχὰς παρθέμενοι κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες Hom. Od. γ. 73. ι. 254. et πάντας δὲ δόλους ὕφαινον ὥστε περὶ ψυχῆς. Od. ι. 422. σφὰς παρθέμενοι κεφαλὰς κατέδουσι βιαίως οἶκον Ὀδυσσῆος. Od. β. 237. — ἀροῦν atticum pro ἀροτριᾶν recentiore, de cuius usu vid. Lobeck. ad Phryn. p. 254. infra. — τἄλλα τε μοχθήσαντες cf. 282. et 513. Eurip. Hecub. 795. τί δῆτα θνητοὶ τἄλλα μὲν μαθήματα μοχθοῦμεν ὡς χρὴ πάντα καὶ μαστεύομεν. Sic et alias Eurip. μοχθεῖν πόνον. Sophocl. Trachin. 1048. (Elmsl.) — τρίβειν βίοτον, ut in Pac. 589. ὁπόσοι γεωργικὸν βίον τρίβομεν. Sophocl. Electr. 602. τλήμων Ὀρέστης δυστυχῆ τρίβει βίον. Quae ex H. Steph. Thes. notavit Bergl. — ἐς κεφαλὴν σοί. saepe ab imprecantibus dicitur. Acharn. 833. ἐς τὴν κεφαλὴν τρέποιτ' ἐμοί. Nub. 40. ἐς τὴν κεφαλὴν ἅπαντα τὴν σὴν τρέψεται unde colligi potest nostro loco subaudiendum esse τρέποιτο aut ἔλθοι. Sed imprecantes verbum omittunt, ut Pac. 1064. Romani hanc formulam imitati sunt: Tibull. I. 2. 12.

καίτοι τί πλέον πλουτεῖν ἐστιν πάντων τούτων ἀποροῦντας;
παρ' ἐμοῦ δ' ἔστιν ταῦτ' εὔπορα πάνθ' ὑμῖν, ὧν δεῖσθον. ἐγὼ γὰρ
τὸν χειροτέχνην ὥσπερ δέσποιν' ἐπαναγκάζουσα κάθημαι
διὰ τὴν χρείαν καὶ τὴν πενίαν ζητεῖν, ὁπόθεν βίον ἕξει.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

σὺ γὰρ ἂν πορίσαι τί δύναι' ἀγαθόν, πλὴν φῴδων ἐκ βαλανείου,

527. τοῦ πλουτεῖν Monac. Elb. Bar. 2. 3. Ask. Cant. 1. 2. — ἐστὶ edd. vett. (exc. Ald. et Iunt. 3.) cum cod. Monac. — ἀποροῦντα A. Arund. Porson. ἀποροῦσι B. Mead. et coni. Valcken. Diatrib. p. 150. — ἁπάντων ἀπορούντων Cant. 4. — 528. δ' ἐστι Monac. — ἔμπορα Elb. εὔπορα ταῦτ' ἔστιν Cant. 3. — δεῖσθε Bar. 2. — 529—530. καθῆσθαι et ζητεῖν θ' coni. Valcken. ad Herod. II. 86. — 531. ἂν om. Bar. 2. 3. — φώδων sine ι subscr. Dorv. Monac. Br. Invern.

Et mala si qua tibi dixit dementia nostra ignoscas; capiti sint precor illa meo. Virg. Aen. VIII. 483. *dii capiti ipsius generique reservent.* Ovid. *Poena reversa est in caput ista tuum.*

524. *οὔτ' ἐν δάπισιν.* Ita Suida (v. *δάπιδας*) auctore in librorum discrepantia merito reddendum esse viderunt Bentl. et Kust. Accedit ad Suidam Hesych. v. *δάπιδες. ποικίλα ὑφάσματα. τάπητες.* Utramque formam agnoscit Eustath. p. 1645, 24., qui copiose etymologiam et significationem disponit p. 1369, 44. Irritavit me primum scholiasta, qui monet: *εὕρηται δὲ καὶ τάπις (δάπις), τάπιδος· καὶ δάπης, δάπητος· ἀλλ' οἱ Ἀττικοὶ τάπητες γράφουσιν.* At huic praecepto Aristophanes et alias adversatur; Ecclesiaz. 835. (868. Dind.) *κλῖναί τε σισυρῶν καὶ δαπίδων νενασμέναι.* Nostro loco H. Steph. Th. III. 1244. *ἐν δάπισιν* iam legit. Scholiasta praeterea cum Eustath. l. l. monet: *εἰσὶ δὲ τάπητες οἱ μὲν ἐξ ἑνὸς μέρους μαλλὸν ἔχοντες, ἀμφιτάπητες δὲ οἱ ἐξ ἀμφοτέρων.* Cogitavit Homeri *ῥήγεα* aut *κώεα* ut Il. ι. 660. *στόρεσαν λέχος, κώεά τε, ῥῆγός τε, λίνοιό τε λεπτὸν ἄωτον.*

525. *οὔτε μύροισιν μυρίσαι σταχτοῖς,* ut Eccles. 1152. *ἥτις μεμύρωμαι τὴν κεφαλὴν μυρώμασιν ἀγαθοῖσιν ὦ Ζεῦ.* In epitheto *σταχτοῖς* nihil moror, nam *μύρα στακτὰ* et *ψακαστὰ* opponuntur *τοῖς παχέσι μύροις* Ath. XII. et XV. p. 691. Viguit vero apud veteres mos diebus festis et in nuptiis oleo odoro et succis floreis unguendi. v. Poll. in *μυραλοιφεῖν.* Suid. v. *βαπτά.* De unguentis Plin. H. N. XIII. 1. — *νύμφην ἀγάγησθον.* *ἄγεσθαι* de sponso, qui sponsam ducit uxorem, ut Eurip. Iphig. Aul. 435. *τίς νιν ἄξεταί ποτε;* Mos Homericus plenus Il. π. 189. *τὴν μὲν Ἐχεκλῆος κρατερὸν μένος Ἀκτορίδαο ἠγάγετο πρὸς δώματα.* Ap. Hom. Od. δ. 10. de patre quoque filio suo uxorem stipulante *υἱέϊ δὲ Σπάρτηθεν Ἀλέκτορος ἤγετο κούρην.*

526. De variis vestium muliebrium generibus cf. Polluc. l. VII. c. 13. 14. l. V. c. 16. et Alexand. ab Alex. l. 5. Genial. dier. c. 16. De meretricum vero vestimentis cf. Suid. v. *ἑταιρῶν.* Tradit enim legem fuisse Athenis, ut meretrices ferrent *ἀνθινὰ ἱμάτια,* vestes floridas. Ab

καὶ παιδαρίων ὑποπεινώντων, καὶ γραϊδίων κολοσυρτόν;
φθειρῶν τ' ἀριθμὸν καὶ κωνώπων καὶ ψυλλῶν οὐδὲ λέγω σοι

582. *κολοσύρτων* Elb. *κολοσυρτοῦ* Bentl. Kust. — *ὑποπεινόντων* Bar. 2. 3. Cant. 2. 4. *ὑποτεινόντων* Cant. 1. — In fine versus non interpungunt Ald. Iunt. 1. 2. 3. comma habent cett. edd. vett. — 533. *φθειρῶν δ'* Porson e Kust. emendat. — *φιλῶν* Elb.

his diversa fuisse *βαπτὰ* et *ποικίλα*, quae ab honestioribus quoque gerebantur diebus festis et in nuptiis, multi non perspexerunt, quamvis disci potuisset e Suid. v. *βαπτά* et e schol. h. l., qui vestes tinctas et colore vario pictas sponsis ornatum fuisse testantur. Mira certe lex fuisset, quae vestitum meretricum viris adeo et feminis nobilibus in diebus festis concessisset, ut serio tradunt nonnulli. Flores igitur picti meretricibus, at intextae sive insutae acu variis coloribus aliarum rerum imagines feminis opulentis et sponsis permittebantur. — *καίτοι τί πλέον ἐστίν*. Schol. *τίς χρεία ἐστὶ τοῦ πλουτεῖν, ὅτε ἀποφεῖτε ὧν χρήζετε;* Ergo: quid valent, quid prosunt divitiae? ut Eurip. Helen. 322. *τί σοι πλέον λυπουμένῃ γένοιτ' ἄν;* cf. Xenoph. Cyrop. V. 5. 10 extr. Orta est formula haec interrogativa e recta *πλέον τί μοί ἐστι πρὸς* Plat. Alcib. I. c. 6. *οὐδέν μοι ἔσται πλέον πρὸς τὸ πείθειν σε.* Ergo *proficere aliquantum ad.* Similiter Plat. Crit. in fine *πλέον ποιεῖν*. — *ἀποροῦντας* quod cum infinitivo cohaeret Graecae linguae peritum non offendet. Aliter res se haberet si dixisset *τί ὑμῖν πλέον ἐστὶ πλουτεῖν;* Tum *ἀποροῦσιν* ponendum fuit. Nunc vero dicit *τί πλέον ἐστὶ τὸ πλουτεῖν ὑμᾶς* etc.

528. *παρ' ἐμοῦ δ' ἔστιν ταῦτ' εὔπορα κ. τ. λ.* Huc respexisse videtur Lucian. Tim., ubi Timonem sic facit loquentem: *ἡ βελτίστη δὲ πενία πόνοις με τοῖς ἀνδρικωτάτοις καταγυμνάσασα τὰ ἀναγκαῖα κάμνοντι παρεῖχε κ. λ.* — *τὸν χειροτέχνην*. Schol. *τὸν διὰ τῶν χειρῶν ἐργαζόμενον*, adeo *τῷ σώματι ἐργαζόμενον*, ut Xenoph. Mem. II. 8. 2. Biset. schol. citat Theocrit. XXI. 1—5. qui locus bene ad hunc quadrat. Soph. Trach. 1018. *χειροτέχνης ἰατρίας* est opifex medicinae, quem nostrates dicunt *χειρουργόν*. Hinc *χειροτέχναι* opifices servi inter eas res numerantur, quae victum praebent, Xenoph. Memorab. III. 11. 4. *ἀγρός, οἰκία προσόδους ἔχουσα, χειροτέχναι*, nam servorum opificum multitudine Athenis fere omnes divitiae constabant. cf. Xen. Memor. II. 7.

531. *φῴδων ἐκ βαλανείου*, pauperes domi, si quidem domum habebant, camini igne carentes et male vestiti, cum frigus esset, balnea eorumque caminos, aut, ut Homerico aevo caminum fabri ferrarii Hom. Od. σ. 328., petere solebant, ut se calefacerent. Si nunc multi eodem consilio venerunt, aut tundendo vigiles aut temere labando per somnum effecerunt, ut partes corporis adustae turgescerent et pustulas (*φῷδας, φλυκταίνας*) agerent. Non opus est, ut cum scholiis subitam refrigefationem cogites, quae in egenorum hominum corpora indurata et aestus frigorisque patientia cadere vix solet. Scholion: *οἱ γὰρ πένητες ἀποροῦντες ἐνδυμάτων διὰ τὸ ψῦχος ἐν βαλανείοις ἐκάθευδον, ἀναστρέφοντες δὲ ἐκ βαλανείου οἴκαδε, ἢ λουόμενοι* (quod vix!), *ἢ ἐν τῇ ἐκεῖ καμίνῳ διὰ τὸ ψῦχος θαρόμενοι, ἀέρος αὐτοῖς παραχρῆμα προσβαλόντος, φλυκταίνας ἀνθοῦσι τῷ σώματι, διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἀρκοῦν ἐπικά-*

ὑπὸ τοῦ πλήθους, αἳ βομβοῦσαι περὶ τὴν κεφαλὴν ἀνιῶσιν,
ἐπεγείρουσαι καὶ φράζουσαι, πεινήσεις, ἀλλ' ἐπανίστω.

535. *ἐπεγείρουσαί τε καὶ* Harl. — *ποιήσεις* Dorv. — Ante *ἀλλ'* edd. vett. gravius interpungunt. Tria extrema verba ap. Pors. leguntur literis maiusculis expressa.

λυμμα. — *κολοσυρτός*, *κυρίως ὁ τῶν φρυγάνων ἦχος, ὃν ποιοῦσι συρόμενα.* Sic interpretatur scholiasta cum Hesych. Suid. Etym. M., qui volunt *κολοσυρτός* esse strepitum ac pulverem, qui excitetur, quando virgulta per terram trahantur. Apud Homerum (Il. *ν.* 472.) *κολοσυρτός* est clamor et strepitus virorum irruentium: *ἀλλ' ἔμεν', ὡς ὅτε τις σῦς οὔρεσιν ἀλκὶ πεποιθώς, ὅστε μένει κολοσυρτὸν ἐπερχόμενον* (malo *ἐπερχομένων*) *πολὺν ἀνδρῶν.* cf. ibid. *μ.* 147. *Cogitavit igitur puerulorum et vetularum mendicantium turbam strepidam.* Quae a grammaticis de etymo vocis traduntur, parum proficiunt. Ceteris longe melius et nove schol. ad Hom. Il. *μ.* 147. *ν.* 472. ap. Bekker. p. 342. 372. et Eustath. p. 896, 56. et p. 942, 41. *ὁ μετὰ κολωοῦ ἐπισυρμός, ἢ ὁ μέγας θόρυβος· κόλον γὰρ τὸ μέγα.* Illud certe haud spernendum; cui non notus clangor et garrulitas vetularum mendicantium? Sic Hom. (Il. *β.* 212.) de Thersite cognatam huic vocem adhibet *μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολῴα*, *crocitabat.* Ex hac etymologia poetae sensus hic fuit: *efficis, ut pueruli esurientes et vetulae cum garrula loquacitate irruant mendicantes.* Structuram vero verborum, in qua omnes fere haesitant, indicat interpunctio: *τί ἂν δύναιο ἀγαθὸν πορίσαι πλὴν φῴδων καὶ πλὴν κολοσυρτὸν παιδαρίων καὶ γραϊδίων;* si primo loco, ut licitum fuit, dixisset *πλὴν φῷδας* pro *φῴδων*, nemo dubitasset nec aberrasset. Raptim loquentes et litigantes apud Comicum haud raro exceptam iam constructionis rationem relinquunt.

533. Interrogatione finita transit in orationem rectam Chremylus. Quae orationis mutatio ubivis obvia interpretes hic vexare non debebat. — *αἳ βομβοῦσαι*, veteres et recentiores interpretes et hic haerent in *αἳ. ἰδίως τὰς ψύλλας ἀφώνους οὔσας βομβεῖν φησι· κωνώπων γὰρ τοῦτο μᾶλλον ἴδιον.* Schol. *βομβεῖν* hic referendum est ad omnia, quae praecedunt; est enim *stridere, tinnire*, quod, si ingens animalium parvorum multitudo, quae sibi adhaerent, reptat, hic loco suo positum est. Sic, quod Sappho ex antiqua illius lectione dicit: *βομβεῦσιν δ' ἀκοαί μοι*, (Longin. et Herm. Metr. p. 679.) Catullus reddit: *sonitu suopte tinniunt aures.* Non opus est, ut ad Polonos refugias; fac sit pediculorum culicum et pulicum tanta multitudo, quanta cimicum occupavit Strepsiadem Nub. 711 sq. (Inv.). Ut igitur *ἐπεγείρουσαι* et *φράζουσαι* ad *φθεῖρας, κώνωπας* et *ψύλλας* spectant, ita et hic *βομβοῦσαι*. Ceterum nihil vulgarius, quam verborum sequentium et substantivorum plurium discrepantia, quae hic, si hyperbolen, quam significavi, statueris, nulla est. Dici vix potest, quanta interpretum sit religiositas inutilis in rebus per se admodum tritis. Qui haerent in *βομβοῦσαι*, dicentes *τὰς ψύλλας ἀφώνους εἶναι*, iidem prorsus tacent de *φράζουσαι*, quamvis rectius notare hic potuerint *τὰς φθεῖρας* etc. *ἀφώνους εἶναι.* Est enim personificatio lepida. — *πεινήσεις, ἀλλ' ἐπανίστω*, *Heus, expergiscere! esuries.* Aut: *esuries; nihilominus surge.* ut *ἀλλ'* dictum sit pro *ἀλλὰ καὶ ὥς.*

πρὸς δέ γε τούτοις ἀνθ' ἱματίου μὲν ἔχειν ῥάκος· ἀντὶ δὲ κλίνης
στιβάδα σχοίνων κόρεων μεστήν, ἣ τοὺς εὕδοντας ἐγείρει·
καὶ φορμὸν ἔχειν ἀντὶ τάπητος σαπρόν· ἀντὶ δὲ προσκεφαλαίου,
λίθον εὐμεγέθη πρὸς τῇ κεφαλῇ· σιτεῖσθαι δ' ἀντὶ μὲν ἄρτων
μαλάχης πτόρθους, ἀντὶ δὲ μάζης φύλλ' ἰχνεύειν ῥαφανίδων·

prius redire noli, quam te vocaverimus. Numquam tamen vocabimus." — σὲ δ' ἐᾶν κλάειν κ. λ. Scholia constanter supplent τύπτουσαν et addunt, αἱ γὰρ γυναῖκες, ὅταν κλάωσι, τὰς ἑαυτῶν κεφαλὰς τύπτουσιν. Id quidem non est de nihilo, at etiam viri lugentes caput manibus feriunt, ut Herod. III. 14. ὁ δὲ Ψαμμήνιτος ὡς εἶδε, ἀνακλαύσας μέγα ἐπλήξατο τὴν κεφαλήν. Propius fuit τυφθεῖσαν respectu v. 21 sq. οὐ γάρ με τυπτήσεις στέφανον ἔχοντά γε. ad quod respondetur ἀλλ' ἀφελὼν τὸν στέφανον, ἵνα μᾶλλον ἀλγῇς. At vereor, ne quid aliud sit, quam formula summam perniciem alicui imprecandi. Est enim gradatio in singulis: φθείρου, ἔῤῥ' ἐς κόρακας, ἴθι ἐς τὸν κύφωνα, denique κλάειν μακρὰ τὴν κεφαλήν. Occurrit simplex formula κλάειν σοι λέγω supr. 62. coll. 174. 421. deinde κλάειν μακρὰ Themosph. 218. Ecclesiaz. 426. (448. Inv.), denique μακρὰ κλάειν τὴν κεφαλὴν quod etiam de re inanimata dicitur Vesp. 581. (604. Inv.) Originem huius locutionis innuunt haec Eurip. Hecub. 203. καὶ σὲ μέν, ὦ μᾶτερ δύστανε, κλάω πανοδύρτοις θρήνοις· τὸν ἐμὸν δὲ βίον, λώβαν λύμαν τ', οὐ μετακλαίομαι. et Nub. 58. ΣΤΡ. δεῦρ' ἔλθ', ἵνα κλάῃς. ΘΕΡ. διὰ τί δῆτα κλαύσομαι;

609. ἐθέλω εὐωχεῖσθαι. Interpres Xenoph. Memorab. III. 14. 7. ἔλεγε δὲ καὶ ὡς τὸ εὐωχεῖσθαι ἐν τῇ Ἀθηναίων γλώττῃ ἐσθίειν καλεῖτο· τὸ δὲ εὖ προσκεῖσθαι ἔφη ἐπὶ τῷ ταῦτα ἐσθίειν, ἅτινα μήτε τὴν ψυχήν, μήτε τὸ σῶμα λυποίη, μήτε δυσεύρετα εἴη. ὥστε καὶ τὸ εὐωχεῖσθαι τοῖς κοσμίως διαιτωμένοις ἀνετίθει. Suid. εὐωχεῖται ἐπὶ τοῦ ἐλέφαντος ἀντὶ τοῦ καλῶς ἡνιοχεῖται· εὐωχεῖται δὲ ἀντὶ τοῦ εὐφραίνεται ἐν τραπέζῃ. Eustath. ad Il. β. p. 212, 37. Ἀχαιοὶ τὴν τροφὴν ὀχὴν λέγουσιν ὀξυτόνως. Hesych. εὐωχία, εὐφροσύνη. Schol. h. l. εὐωχεῖσθαι, εὐφραίνεσθαι ὁμοῦ. Biset. Athenaeo duce interpretatur: τὸ εὐωχεῖσθαι καλῶς καὶ εὖ σιτεῖσθαι, καὶ διὰ τοῦτο εὖ ἔχειν. — λιπαρὸς χωρῶν ἐκ βαλανείου, Graeci uncti balneis exire solebant. Quare λιπαρὸς non de mollitie, sed de unctione intelligendum est. Orta est haec significatio ex Homericis locutionibus Od. ζ. 227. αὐτὰρ ἐπειδὴ πάντα λοέσσατο καὶ λίπ' ἄλειψεν. ubi schol. λίπ' interpretantur λιπαρῷ ἢ λιπαντικῷ ἐλαίῳ. Oleum enim Ulyssi ante dari Nausicaa iusserat, ibid. 215. δῶκαν δὲ χρυσέῃ ἐν ληκύθῳ ὑγρὸν ἔλαιον. et Ulysses ipse dicit ἅλμην ὤμοιϊν ἀπολούσομαι, ἀμφὶ δὲ ἐλαίῳ χρίσομαι· ἦ γὰρ δηρὸν ἀπὸ χροός ἐστιν

λιπαρὸς χωρῶν ἐκ βαλανείου
τῶν χειροτεχνῶν
καὶ τῆς Πενίας καταπαρδεῖν.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

αὕτη μὲν ἡμῖν ἡ'πίτριπτος οἴχεται.
ἐγὼ δὲ καὶ σύ γ' ὡς τάχιστα τὸν θεὸν
ἐγκατακλινοῦντ' ἄγωμεν εἰς Ἀσκληπιοῦ.

612. λυπαρὸς Iunt. 1. — 613. χειροτέχνων Brunck. Invern. — 614. κατ-αποπαρδεῖν F. — 615. μὲν οὖν ἡμῖν Cant. 4. ἡμῖν om. Elb. — ἡ 'πίτριπτος Invern. Pers. Bo. cum edd. vett. exc. Ald. — 617. ἐγ-κατακλινοῦντες codd. Monac. Ask. Mead. Cant. 1. 2. 3. 4. Elb. et edd. Ald. Iunt. 1. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Frischl. Canin. Brub. Raph.

ἀλοιφή. Recte igitur scholiasta ad nostrum locum de λιπαρός: ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ἐλαίῳ δι' ὅλου σώματος ἀλείφεσθαι, ἵνα οἱ πόροι ὑπὸ θέρμης ἀνεῳχθέντες κλεισθῶσιν ὑπὸ τοῦ ἐλαίου ἐπιπωματικοῦ ὄντος, καὶ μὴ δέξωνται ἀέρα ἔξωθεν. — καταπαρδεῖν, cf. 176. not. — χειροτεχν., cf. 529. — ἡ'πίτριπτος, cf. 275.

615. Hic versus cum septem sequentibus Chremylo uni tribuitur in cod. U.; ceteri vero v. 618. Blepsidemum faciunt interloquentem, nisi quod ibi quoque in Cant. 2. corrector Blepsidemum interposuit. — οἴχεται, ἀπῆλθεν, ἢ ἀφανὴς γέγονεν. Schol. recte. Nam usus Homericus huic praesenti dedit notionem praeteriti. Nota sunt οἰχόμενος (absens, s. qui abiit) et δὴν οἰχομένοιο πατρὸς Od. α. 281. coll. 252. Eurip. Med. 1031. αἲ αἲ τί δράσω; καρδία γὰρ οἴχεται. Heracl. 14. καὶ πόλις μὲν οἴχεται, ψυχὴ δ' ἐσώθη. — ἐγκατακλινοῦντε, cf. quae dicta sunt ad v. 407. — εἰς Ἀσκληπιοῦ, τὸν ἐν ἄστει λέγει Ἀσκληπιόν· δύο γάρ εἰσιν, ὁ μὲν ἐν ἄστει, ὁ δὲ ἐν Πειραιεῖ, ἢ ἐν Ἀχάρναις, (Αἰξώναις?), ὥς φασιν. Schol. Templum Aesculapii urbani, non Piraeensis, ut accipitur in Wolf. Analect. part. 3. p. 82, intellexit. Prope esset, actionum nexus postulabat. In Krusii libro indigesto, at Britannicae doctrinae pleno, quem Hellas inscripsit, neutrum vidi, nec in tabulis topographicis, quas adiecit. — μὴ πάλιν αὖ, ut supra πάνυ σφόδρα, quae coniunctio synonymorum vocatur ἐκ παραλλήλου. Comparari possunt hae cumulationes adverbiorum synonymorum cum comparativo et superlativo adiectivorum, qui in illa non cadunt. Unde fit ut adeo tria adverbia consocientur, quae idem significant Nub. 969. εἶτ' αὖ πάλιν αὖθις ἀνισταμένους συμψῆσαι. αὖ πάλιν apud Plutarchum frequentissimum, rarius πάλιν αὖ inveniri docent Act. Phil. Monac. Tom. III. p. 297. — τῶν προὔργου τι, *quod operae pretium est et praevertendum*, sive quod valet ad aliquam rem constituendam. Plat. Men. c. 18. προὔργου γοῦν τι πεποιήκαμεν, ὡς ἔοικε, πρὸς τὸ ἐξευρεῖν ὅπῃ ἔχει. cf. ibid. c. 22. ubi eadem constructio, ut προὔργου εἶναι εἰς vel πρὸς significat *utile esse sive conferre*.

ΒΛΕΨΙΔΗΜΟΣ.

καὶ μὴ διατρίβωμέν γε, μὴ πάλιν τις αὖ
ἐλθὼν διακωλύσῃ τι τῶν προὔργου ποιεῖν.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

παῖ Καρίων, τὰ στρώματ' ἐκφέρειν σ' ἐχρῆν,
αὐτόν τ' ἄγειν τὸν Πλοῦτον, ὡς νομίζεται,
καὶ τἄλλ' ὅσ' ἐστὶν ἔνδον ηὐτρεπισμένα.

Λείπει τὸ Χοροῦ.

618. Blepsidemi nomen omissum in cod. U. ab altera manu praefixum in Cant. 2. — *τὶς* cum accentu Monac. et edd. vett. — 619. *διακωλύσει* Cant. 3. Dorv. — *τὶ* Monac. et edd. vett. — *προὔργων* Dorv. — 620. *ὦ παῖ Καρίων* Cant. 1. 2. 4. Bar. 2. 3. Ask. Arund. Borg. (?) et edd. vett. omn. — *σ'* om. A. C. Arund. et edd. vett. — *σε χρὴ* Mead. *σὲ χρῆν* Ask. — *στόματ'* pro *στρώματ'* Elb. — 622. *τἄλλ'* edd. vett. *τ' ἄλλ'* Monac. — *εὐτρεπισμένα* Rav. (?) — Post hunc versum cod. Cant. 2. et edd. vett. adiiciunt *Χοροῦ*. Ap. Brunck. legitur *λείπει ἡ τοῦ Χοροῦ ᾠδή*. Scholiasta ad v. 615. (619. Dind.) docet hic chori canticum excidisse. cf. not.

620. *παῖ*, ut *puer* apud Romanos pro servo, quod satis vulgare est. cf. Xenoph. Mem. III. 14. 1. III. 13. 6. Plat. Theaet. p. 143. c. — *τὰ στρώματ' ἐκφέρειν*, quibus Plutus involutus et tectus, opinor, dormiret in templo. Hunc morem poeta indicat infra 688. *κατέκειτο δ' αὐτὴν ἐντυλίξασα.* 703. *μετὰ ταῦτ' ἐγὼ μὲν εὐθὺς ἐνεκαλυψάμην.* Cario servus pallio sciso quidem tectus cubabat, at dominus, certe Plutus *στρώμασιν* usus esse videtur. — *ἄγειν τὸν Πλοῦτον ὡς νομίζεται*, recte schol. Paris. *ὡς νόμιμόν ἐστιν ὁδηγεῖν τὸν τυφλόν.* Non ad templum, ut putant, sed e domo educi iubet Plutum, ut dein ipse eum secum in templum abduceret. — *ηὐτρεπισμένα*, *τὰ πρὸς τὴν θυσίαν τοῦ Ἀσκληπιοῦ* schol. Rav. Non solum res sacrae, sed quidquid apparatur, ut Eurip. Iphig. Aul. 427. *ὑμέναιον εὐτρέπιζε.* ibid. 1098. *ὡς χέρνιβες πάρεισιν ηὐτρεπισμένα.* coll. Eurip. Hecub. 561. *πάρεστιν εὐτρεπής.* — Scholiasta iam, non Girard., ut putant, monet post v. 622. chori canticum excidisse; idque veri est simillimum. *ἐνταῦθα*, inquit, *χορὸν ὤφειλε θεῖναι καὶ διατρῖψαι μικρόν, ἄχρις ἄν τις ἐξ Ἀσκληπιοῦ ἀναστρέψειε τὴν τοῦ Πλούτου ἀπαγγέλλων ἀνάβλεψιν.* Huic adversatur aliud scholion ad v. 623. (627. Dind.), quod defectum chori inepte excusare studet ex consuetudine comoediae novae, *ἐν ᾗ αἱ παραβάσεις ἐπαύσαντο.* Vix enim credibile est, poetam ita actiones veri dissimiles fecisse, ut Cario nunc se pararet ad viam in Aesculapii templum, et in sequentibus, ubi nox iam peracta est, rediret narraturus, quid superiore nocte acciderit. Ergo hic nexus rerum postulat, ut chorus interponatur, qui tempus fallat et spectatores. cf. Eichstaedt. d. Dram. com.-sat. p. 72.

ΚΑΡΙΩΝ. ΧΟΡΟΣ. ΓΥΝΗ ΧΡΕΜΥΛΟΥ. ΠΛΟΥΤΟΣ. ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ΚΑΡΙΩΝ.

Ὦ πλεῖστα Θησείοις μεμιστυλημένοι
γέροντες ἄνδρες ἐπ' ὀλιγίστοις ἀλφίτοις,

623. Θησείοισι Bar. 2. B. F. Ask. Brunck. Invern. Suid. (v. θησείης.) θησείησι Bar. 3. — μεμυστιλημένοι A. D. Monac. Elb. Ask. Cant. 4. schol. (Aldinus.) Brunck. Invern. Pors. Dind. μεμιστυλημένοι, ut nos, B. C. Cant. 1. 2. edd. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Canin. Brub. idem duplicato λ Dorv. F. Iunt. 2. 3. Frischl. Port. et scholiasta ed. Iunt. μεμοιστιλημένοι Elb. Iunt. 1. μεμοιστιλημένσοι Ald. — 624. ὀλίγοις F. ὀλιγίστοῖς Ald.

623. ὁ θεράπων ἔρχεται ἀπαγγέλλων τὸν Πλοῦτον ἀναβλέψαντα. Schol. — Θησείοις, ἐν Θησείᾳ ἑορτῇ, quae die cuiusvis mensis octavo Athenis celebrabatur. διανομαὶ δὲ καὶ εὐωχίαι τοῖς Θησείοις γίγνονται. ἰσοθέους δὲ αὐτῷ (τῷ Θησεῖ) τιμὰς ἔνειμαν καὶ ἑορτὴ ἐτελεῖτο, ἐπειδὴ αὐτὸς συνήγαγε τὴν Ἀττικήν, πρότερον σποράδην καὶ κατὰ κώμας οἰκουμένην. Schol. — μεμιστυλημένοι, h. e. tusi latera humerosque pulsi, adeoque ὑπερβολικῶς lacerati et quasi dissecti, ex usu Homerico, qui Graecis fuit tritissimus. Sic Hesych. μιστύλλειν, τέμνειν, κόπτειν, μερίζειν, εἰς μικρὰ διαιρεῖν. coll. Apoll. Soph. v. μίστυλλον. Schol. Ven. ad Il. α. 465. quasi διαμελεϊστὶ τέμνειν Od. ι. 291. Nam pecuniae et panis causa pauperes diebus festis et in iudiciis urgendo et premendo se ipsos tundebant. cf. supra 325. δεινὸν γάρ, εἰ τριωβόλου μὲν οὕνεκα ὠστιζόμεσθ' ἑκάστοτ' ἐν τἠκκλησίᾳ. Quantus vero Atheniensium semper otiosorum in diebus festis confluxus, vide sis Theocr. Adoniaz. 44. ὦ θεοί, ὅσσος ὄχλος. πῶς καὶ πόκα τοῦτο περᾶσαι χρὴ τὸ κακόν; μύρμακες ἀνάριθμοι καὶ ἄμετροι. ἄνερ φίλε, μή με πατήσῃς. ὀρθὸς ἀνέστα ὁ πυῤῥός· ἴδ' ὡς ἄγριος κ. λ. Quum tamen haec mea explicatio nova sit, eam, quae hucusque fuit, missam facere non debeo. Veteres enim interpretes et recentiores, qui μεμυστιλημένοι praeferunt aut huius verbi notionem nativam arripiunt, longe alium sensum huius loci esse statuunt hunc: *vos qui Thesceorum die saepissime e pane cavato hausistis iusculum.* αἱ μυστίλαι his sunt *panes cavati* et μυστιλᾶσθαι ex *pane cavo bibere.* De scriptura huius verbi, si Eustath. ad Od. p. 138. l. 44. ed. Lips. consulis, nulla potest esse dubitatio. Diserte enim αἱ δὲ

ὡς εὐτυχεῖθ', ὡς μακαρίως πεπράγατε,
ἄλλοι θ' ὅσοις μέτεστι τοῦ χρηστοῦ τρόπου.

ΧΟΡΟΣ.

τί δ' ἔστιν, ὦ βέλτιστε, τῶν σαυτοῦ φίλων;
φαίνει γὰρ ἥκειν ἄγγελος χρηστοῦ τινος.

ΚΑΡΙΩΝ.

ὁ δεσπότης πέπραγεν εὐτυχέστατα,
μᾶλλον δ' ὁ Πλοῦτος αὐτός· ἀντὶ γὰρ τυφλοῦ
ἐξωμμάτωται καὶ λελάμπρυται κόρας,
Ἀσκληπιοῦ παιῶνος εὐμενοῦς τυχών.

625. *εὐτυχεῖσθ'* Dorv. *εὐτυχοῖθ'* Elb. *ὡς εὐτυχῶς* Alciphro III. 46. p. 374. — 627. *ἐστὶν* Monac. edd. vett. Pors. — *σαυτοῦ τρόπων* Borg. Monac. Elb. Dorv. Arund. Ask. schol. pro var. lect. Bar. 2. 3. Cant. 1. 2. 4. — Pro *φίλων* Reisk. coni. *φίλον*. — Cum Porsone *ὦ βέλτιστε* a ceteris vocabulis commatis seiunxi, quia nonnulli, in quibus Girard. Invern., ad *βέλτιστε* genitivum trahunt. — 628. *φαίνῃ* Monac. Elb. Bar. 2. — *τινὸς* Ald. Iunt. 1. et cod. Monac. — 631. *λελάμπρυται κόρας* cum Harl. Bar. 2. Ask. Cant. 4. et Suida (v. *ἐξωμμ.*) rescripsi. *λελάμπρυται κόραι* Elb. vitiose. *λελάμπρυνται κόρας* cett. codd. et edd. omn. At non video, ad quod subiectum pluralis *λελάμπρυνται* respiciat.

γε μυστίλαι, inquit, *ὧν ἡ μὲν ἄρχουσα διὰ τοῦ ῡ, ἡ δὲ παραλήγουσα διὰ τοῦ ἰῶτα, ψωμοί εἰσι κοῖλοι.* (Sic enim est interpungendum.) Sed vereor, ne dici possit: *μεμυστιλημένοι ἐπ' ἀλφίτοις*. Quae similia invenisse se putant interpretes, prorsus sunt aliena. Nam noster in Equitt. 1176 (Invern.) *ἐγὼ δὲ* (scil. *φέρω*) *μυστίλας μεμυστιλημένας ὑπὸ τῆς θεοῦ τῇ χειρί.* Unde vides, poetam huic formae passivam significationem tribuisse. Exstat denique in Equit. 836. (Inv.): *ἀμφοῖν χειροῖν μυστιλᾶται τῶν δημοσίων.* Neque hoc aliquid ad nostrum locum affert, manifestum potius hoc facit: et *γέροντες μεμυστιλημένοι ἐπ' ἀλφίτοις* nihil esse, et interpretes frustra laborasse in locutione explicanda. Sensum huius loci hunc habe: *o vos senes, qui in Theseis vos saepe propter panes paucissimos tutudistis.* Nam *ἄλφιτον*, ut supra 219, *farina* aut *panis*, imo *omnis victus*, ut Nub. 106. — *ὅσοις μέτεστι τοῦ χρηστοῦ τρόπου*, *οἷς εἰσι χρηστοὶ τρόποι* s. *μετουσία ἐστί*, ut schol. vult.

627. *τί δ' ἔστι τῶν σαυτοῦ φίλων; τί ἀγαθὸν ἡμῖν τοῖς φίλοις σου ἀγγέλλεις.* e schol. ita infra 637. *ἆρά γ' ἀγγελεῖ χρηστόν τι;* Recte igitur schol. interpretatur: *τί δ' ἔστι περὶ τοὺς σαυτοῦ φίλους;* De omiss. praepos. post *τί δὲ* cf. Heind. ad Plat. Gorg. §. 139. et Phaed. §. 63. — *φαίνει γὰρ ἥκειν*, similiter at contrario sensu Eurip. Med. 1110. *δείκνυσι δ', ὥς τι καινὸν ἀγγελεῖ κακόν.* Ut *ἄγγελος χρηστοῦ τινος*, ita *κήρυξ*

ΧΟΡΟΣ.

λέγεις μοι χαράν, λέγεις μοι βοάν.

ΚΑΡΙΩΝ.

πάρεστι χαίρειν, ἤν τε βούλησθ' ἤν τε μή.

ΧΟΡΟΣ.

ἀναβοάσομαι τὸν εὔπαιδα καὶ
μέγα βροτοῖσι φέγγος, Ἀσκληπιόν.

633. *βοᾷν* Bar. 2. 3. Cant. 3. Ask. Iunt. 1. Suid. (v. *λέγεις μοι*) — 635. *ἀναβοήσομαι* Bar. 2. Cant. 2. (?) — *πάρεστιν* Dorv. — 636. *φάνος* Iunt. 2. 3. Port.

ἀχέων Eurip. Hec. 103. Equidem hic mallem *φαίνει γὰρ ἥκων*, quia *φαίνεσθαι* per se ponitur de advenientibus, ut Plat. Prot. §. 1. *πόθεν φαίνῃ*. pariter Xenoph. Mem. II. 8. 1.

631. Scholiasta auctore versus hic a poeta sumtus est ex Sophocl. Phineo. Idem bene animadvertit, *ἐξωμμάτωται ἀντὶ τοῦ ἐκκέκοπται τοὺς ὀφθαλμοὺς δύναται νοεῖσθαι, καὶ ἀντὶ τοῦ ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν ἀφῃρέθη τὸ κάλυμμα*. minus apte addit *ὁμοίως δὲ καὶ τὸ λελάμπρυνται καὶ ἀντὶ τοῦ καθαροὺς ἔσχε τοὺς ὀφθαλμούς, καὶ ἀντὶ τοῦ λεύκωμα ἐν αὐτοῖς ἔσχεν*. Eadem illa significatio Aesch. Prometh. 498. *καὶ φλογωπὰ* (h. e. *φωτεινὰ*) *σήματα ἐξωμμάτωσα, πρόσθεν ὄντ' ἐπάργεμα* (h. e. *σκοτεινά*). Contraria significatione occurrit in Eurip. Oedip., quod fragmentum servat schol. ad Eurip. Phoen. 61., *ἡμεῖς δὲ Πολύβου παῖδ' ἐρείσαντες πέδῳ, ἐξομματοῦμεν καὶ διόλλυμεν κόρας*. Videtur igitur poeta, ut schol. notat, *παίζων ἐπαμφοτερίζούσας λέξεις θεῖναι*. — *λελάμπρυνται κόρας*, *lucet oculis*, rescribendum esse putabam, quia *λελάμπρυνται κόρας*, quod recentiores cum plurimis codd. tenebant, dure dictum est, nec habet quocum cohaereat, nisi cogitatione substituas *ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ λελάμπρυνται κόρας*, quae ellipsis per se dura hic eo durior fit, cum in verbo antecedente *ὄμματα* contineantur. — *Ἀσκληπιοῦ παιῶνος*. *παιὼν καὶ παιήων ὁ ἰατρὸς καὶ θεραπευτὴς τῶν νοσημάτων. καὶ γίνεται ἐκ τοῦ παίω, τὸ θεραπεύω, παίων καὶ παιάων*. Schol. Aliter schol. brev. ad Od. δ. 232 *ἐκ τοῦ παίω Παιὼν καὶ πλεονασμῷ τοῦ η Παιήων*. Simpliciter autem *παιὼν* indicat *medicum* et metaphorice id, *quod sanat* aut *liberat ab aliquo malo*. Ita de somno Sophocl. Philoct. 835. *Ὕπν' ὀδύνας ἀδαής, ὕπνε δ' ἀλγέων, εὐαὴς ἡμῖν ἔλθοις. ἴθι, ἴθι μοι παιών*. ibid. 168. *λόγος ἐστὶν οὐδέ τιν' αὐτῷ παιῶνα κακῶν ἐπινωμᾶν*. ubi *ἐπινωμᾶν* idem est atque *προσνομᾶν* ibid. 720. *accedere*. Aeschyl. Agam. 99. *παιὼν γενοῦ τῆσδε μερίμνης*. Hinc *παιώνιος* sanandi artis peritus, ut *χεῖρες παιώνιαι* Soph. Philoct. 1348. pariterque Aeschyl. Suppl. 1059. (Schtz.).

633. Versus hic a scholiasta ad 623. (627. Dind.) et 633. (637. D.) vocatur antispasticus trimeter brachycatalectus, cui immixtus sit epitritus secundus (⏑−−⏑ | −⏑−− | ⏑⏓ |), eique pares esse dicuntur 635. 636., nisi quod horum primus pes *πεντασύλλαβος* sit (⏑⏑⏑−⏑ *ἀναβοασο*-). At hunc grammaticorum errorem iam notaverunt Seidlerus et Hermannus VV. CC. talesque antispasticos versus dochmiacis adnumeraverunt. De his quidem ta-

ΓΥΝΗ.

τίς ἡ βοή ποτ' ἐστίν; ἆρά γ' ἀγγελεῖ
χρηστόν τι; τοῦτο γὰρ ποθοῦσ' ἐγὼ πάλαι
ἔνδον κάθημαι περιμένουσα τουτονί.

ΚΑΡΙΩΝ.

ταχέως, ταχέως φέρ' οἶνον ὦ δέσποιν', ἵνα
καὐτὴ πίῃς· φιλεῖς δὲ δρῶσ' αὐτὸ σφόδρα·

637. *ἆρ' ἀγγελεῖ* Cant. 1. 2. Iunt. 1. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Frischl. Brub. Raph. *ἀγγέλλεται* Rav. solus, quod placuit soli Porsoni. — 638. *χρηστόν τι* cum versu antecedente coniungunt Monac. Elb. — 640. *δέσποινα* Monac. Dorv. — *ἵνα* in fine versus om. Dorv. Ald. Frischl., quamquam hic vertit: *ut et ipsa bibas.* — 641. *κᾳὐτῇ* antiquatum, cum iot. subscr. Invern. et quaedam al. edd. vett. *κ' αὐτῇ* Frischl. — *δρῷσ'* Ven. 1. 2. Brub. — *αὐτῷ* Elb.

cent, quamvis cuique facile sit cognoscere versum 633. constare ex duobus dochmiis puris, versus vero 635. et 636. primi dochmii sedem secundam solutam habere (⏑⏔⏔-⏑- | ⏑--⏑⏔). Non proprium est hoc genus numeri Comico, nonnunquam vero transfertur ex tragoedia, ubi animi agentium paullo vehementius sunt commoti in contrarium eventum. Quare hoc recte animadvertit scholiasta: *τῶν τραγικῶν τινα γελᾷ.* Quem tamen tragicum ante oculos habuerit, ei non lubuit significare. Eurip. Med. 131. 136. 205. 209. etc. Hec. 1067. et alias *βοὴν* adhibet de clamore auxilii aut voce lugubri, v. c. Electr. 752., ubi cum *φόνιος οἰμωγὴ* commutatur, ut apud nostrum supra 275. 478. Homerus non solum de clamore tumultuoso et bellico, ut *βοὴ δ' ἄσβεστος ὀρώρει,* aut *τεῦχε βοὴν διὰ ἄστεος,* sed etiam de laetitia tumultuosa, ut in ista nuptiarum descriptione Il. σ. 495. *κοῦροι δ' ὀρχηστῆρες ἐδίνεον, ἐν δ' ἄρα τοῖσιν αὐλοὶ φόρμιγγές τε βοὴν ἔχον.* Eurip. Electr. 883. *ἀλλ' ἴτω ξύναυλος βοὰ χαρᾷ.* Lucian. de coena laetitiae plena *καὶ βοῆς μεστὸν ἦν τὸ συμπόσιον.* Chorus igitur ex mea opinione hoc vult: *Nuntias nobis gaudium, nuntias nobis iubilum.*

634. Poetae animo fortasse obversabatur illud Eurip. Hecub. 561. *πάρεστι λαιμός. ὁ δὲ οὐ θέλων τε καὶ θέλων τέμνει.* Amat hanc orationis formam, Elect. 1231. *ἰδοὺ φίλαν τε κοὐ φίλαν φάρεά σε γ' ἀμφιβάλλομεν.* ibid. 1247. *σοφὸς ὢν οὐκ ἔχρησέ σοι σοφά.* Phoeniss. 356. *φρονῶν εὖ κοὐ φρονῶν.* — *ἀναβοάσομαι τὸν εὔπ. κ. λ.* Scholiasta notat, haec sumta esse ex Electra Euripidis, ubi tamen nihil, quod his simile sit, reperi. Sed memoriter citare videtur, nam paullo post addit: *ὁ δὲ νοῦς πέπαικται εἰς τραγῳδίαν· ὁ γὰρ χαρακτὴρ τραγικός, ὡς ἐν Ὀρέστῃ· ἀναβοάσομαι πατρὶ Ταντάλῳ,* in quibus *γέροντι* omisit, quamquam edd. recentt. ibi (Eurip. Or. 975.) nunc habent *ἀναβοάσω πατρὶ γέροντι Ταντάλῳ.* Quum tamen illa verba ap. Eurip. Electrae sint, coniicio scholiastam dicere voluisse *ἀναβοάσομαι Ἠλέκτρας ἐξ Ὀρέστου Εὐριπίδου.* — *εὔπαιδα, λέγει τὸν Ἀσκληπιὸν ὡς καλλίστους ἔχοντα παῖδας, Μαχάονα, Ποδαλείριον, Ἰασὼ καὶ Πανάκειαν.* Schol. aliud addit *Ὑγείαν.* Eadem iterantur ab edd. recent. At *εὔπαις, εὐπαιδία, εὔτεκνος, εὐτεκνία* opposita habent *ἄπαις, ἀπαιδία, ἄτεκνος, ἀτεκνία,* ut illis vocibus significentur, qui

ὡς ἀγαθὰ συλλήβδην ἅπαντά σοι φέρω.

ΓΥΝΗ.

καὶ ποὖστιν;

ΚΑΡΙΩΝ.

ἐν τοῖς λεγομένοις εἴσει τάχα.

ΓΥΝΗ.

πέραινε τοίνυν ὅ τι λέγεις ἀνύσας ποτέ.

ΚΑΡΙΩΝ.

ἄκουε τοίνυν, ὡς ἐγὼ τὰ πράγματα
ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλήν σοι πάντ' ἐρῶ.

643. Vulgo ποῦ 'στιν per aphaeresin. — εἴσῃ Elb. Monac. εἴσει ταῦτα Ask. — 644. πέραινέ μοί τι λ. Monac. Cant. 3. 4. — ἀνύσας Pen. 646. εἰς τὴν κεφ. edd. vett. — σου Monac. Borg.

multos liberos habent. — μέγα βροτοῖσι φέγγος, *magnum mortalibus iubar*, ut Homericum φῶς de homine. Ita Aeschyl. Prometh. 549. τὸ φωτῶν ἀλαὸν γένος. Sed nostro loco φέγγος de homine nobili et generi humano benefico. Nam scholiasta φέγγος interpretatur per σωτηρίαν.

637. κορωνὶς εἰσιόντων ὑποκριτῶν. Schol. Prodit enim in scenam Chremyli uxor ex aedibus clamore foris laetantium invitata. — ἆρά γ' ἀγγελεῖ, scil. is, in quo mulieris cogitationes occupatae erant, quippe Cario hera non nescia herum in Aesculapii templum secutus. Quare sine nomine addit περιμένουσα τουτονί. — ἔνδον, ut supra 389, et ἔνδοθεν 227. 964. de domo. — ταχέως, ταχέως φέρε, verborum iterationes summo dolori et gaudio propriae; nam extrema quaeque in quibusdam conveniunt. Ita Pac. 435 sq. 461 sq. 488 sq. (Inv.) et Eurip. Orest. 170. πότνια, πότνια νύξ, μόλε, μόλε κατάπτερος. coll. 159. — ἵνα καὐτὴ πίῃς, καὶ ἐγώ, ἀλλ' οὐ μόνος ἐγώ, ἅμα σύ, ἀγαπᾷς γὰρ πίνειν. e schol. Poeta saepius mulierum vinositatem notat; locus id genus lepidus est in Thesmoph. 739 sq. (Inv.) ἀσκὸς ἐγένεθ' ἡ κόρη οἴνου πλέως. ὦ θερμόταται γυναῖκες, ὦ πιστόταται, κἀκ παντὸς ὑμεῖς μηχανώμεναι πιεῖν, ὦ μέγα καπήλοις ἀγαθόν, ἡμῖν αὖ κακόν. — ὡς ἀγαθὰ συλλήβδην ἅπαντα, ut Aeschyl. Prometh. 505. βραχεῖ δὲ μύθῳ πάντα συλλήβδην μάθε. Quasi ἀπαξάπαντα, cf. supra 206.

643. ποὖστιν, τὰ ἀγαθὰ δηλ. Schol. — εἴσει τάχα, γνωρίσει ταχέως. Schol. — πέραινε ἀνύσας, de hac locutione cf. supra 229. not. — ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τ. κεφ. σ. ἐξ ἀρχῆς μέχρι τοῦ τέλους ἐρῶ τὰ πράγματα. Schol. Sed verba Carionis, ut ἐς κεφαλήν σοι, quod supra 522 occurrebat, et vox πράγματα (ut in πράγματά τινι παρέχειν cf. 19.), quia sic ambigue collocata mali ominis sunt, heram pungunt, id quod ex sequentibus apparet. Scholiasta quoque monet, ὅτι ἐπὶ κακῷ ἔλεγον οἱ Ἀθηναῖοι τὰ πράγματα, et expl. πράγμ. per ὀχλήσεις. Nihil amplius in his quaero, nam neque *res venerea* per vocem πράγματα, neque *effundendi notio* per ἐρῶ indicatur, ut Hemsterhusio visum est. Ceterum locutio ἐκ τῶν ποδῶν κ. λ. est proverbialis et hic insuper metaphorica. Ita Hom. Il. ψ. 168. ἐκάλυψε νέκυν ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς. Theocr. x. 12.

ΓΥΝΗ.
μὴ δῆτ' ἐμοί γ' ἐς τὴν κεφαλήν.
ΚΑΡΙΩΝ.
μὴ τἀγαθὰ
ἃ νῦν γεγένηται;
ΓΥΝΗ.
μὴ μὲν οὖν τὰ πράγματα.
ΚΑΡΙΩΝ.
ὡς γὰρ τάχιστ' ἀφικόμεθα πρὸς τὸν θεὸν
ἄγοντες ἄνδρα τότε μὲν ἀθλιώτατον,

647. *ἔμοιγ'* edd. vett. et Pors. *ἔμοι γε* (sic) Monac. — *τ' ἀγάθ' ἃ* Monac. *μή τ' ἀγαθὰ* Iunt. 3. — 649. *γὰρ* om. Dorv. Cant. 4.

καί μ' ἀπὸ τᾶς κεφαλᾶς ποτὶ τὼ πόδε συνεχὲς εἶδεν χείλεσι μυχθίσδοισα. — *μὴ μὲν οὖν*, h. e. *saltem non.* De harum particularum usu tacet Vigerus p. 540 sq. (ed. Herm.); verborum inops est et obscurus Devarius, quamvis nostrum locum in censuram vocaverit. Nam *μὲν οὖν imo*, quod satis explicatum habes ap. Vig. l. l., negatione adscita idem valet atque *saltem* ap. Romanos.

649. Cario imitatur nuntios Euripidis, qui ubique similiter exordiuntur. Med. 1126. *ἐπεὶ τέκνων σῶν ἦλθε δίπτυχος γονή.* Iphig. Aul. 1519. *ἐπεὶ γὰρ ἱκόμεσθα τῆς Διὸς κόρης Ἀρτέμιδος ἄλσος.* Androm. 1062. *ἐπεὶ τὸ κλεινὸν ἤλθομεν Φοίβου πέδον.* Iphig. Taur. 1292. *ἐπεὶ πρὸς ἀκτὰς ἤλθομεν θαλασσίας.* — *ὡς γὰρ τάχιστα*, in protasi ut *primum* s. *simulatque*, forma frequentissima. ut Eurip. Hecub. 551. *οἱ δ' ὡς τάχιστ' ἤκουσαν ὑστάτην ὄπα, μεθῆκαν.* Aeschyl. Prometh. 527. *ὅπως τάχιστα τὸν πατρῷον ἐς θρόνον καθέζετ', εὐθὺς κ. λ.* Herod. I. 11. *ὡς δὲ ἡμέρη τάχιστα ἐγεγόνεε* coll. I. 65. 80. 141. 213. Xen. Cyr. I. 3. 1. — *πρὸς τὸν θεόν*, ut supra 32. — *νῦν δ' εἴ τιν' ἄλλον*, *ἀντὶ τοῦ ὡς οὐδένα ἄλλον. δέον, εἴπερ τις ἄλλος, εἰπεῖν, εἴπερ τιν' ἄλλον εἶπε πρὸς τὴν ὄπισθεν αἰτιατικήν.* e schol. Nota satis est fomula *εἴ τις ἄλλος si quis alius* pro superlativo. cf. Devar. in v. *εἴπερ.* qui augendi vim accipit. Ita Eurip. Phoeniss. 1595. (Matth.) *ὦ μοῖρ', ἀπ' ἀρχῆς ὥς μ' ἔφυσας ἄθλιον καὶ τλήμον', εἴ τις ἄλλος ἀνθρώπων ἔφυ.* — *ἐπὶ θάλατταν*, *εἴθιστο γὰρ τοῖς ἀρχαίοις ἐκεῖ καθαίρειν τοὺς ἀφοσιωμένους. Ὅμηρος (Il. α. 314.)· „καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον." Schol.* Ad illum Homeri versum schol. Ven. haec notat: *φύσει γὰρ τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης καθαρτικόν. καὶ Εὐριπίδης (Iphig. Taur. 1193.)· „θάλασσα κλύζει πάντ' ἀνθρώπων κακά."* Ita et Cic. pro Rosc. Am. 26. *Ne cum essent delati in mare, ipsum polluerent, quo cetera, quae violata sunt, expiari putantur.* Biset. schol. laudat Sophocl. Aiac. (654.): *ἀλλ' εἶμι πρός τε λουτρὰ καὶ παρακτίους λειμῶνας κ. λ.* — *ἐλοῦμεν*, hac sola forma usi sunt Attici, ut concorditer docent Phrynichus p. 188. ed. Lobeck. et Eustath. ad Od. ζ. 216. (ed. Lips. p. 250. l. 29.), qui hunc locum vocat: *λοῦσθαι ἀπὸ τοῦ λόεσθαι γίνεται, ἀφ' οὗ καὶ λοετρόν. ὅθεν καὶ παρὰ τῷ κωμικῷ τὸ „ψυχρᾷ θαλάσσῃ λούμενος."* Ita Nub. 886. *οὐδ' εἰς*

νῦν δ' εἴ τιν' ἄλλον μακάριον κεὐδαίμονα,
πρῶτον μὲν αὐτὸν ἐπὶ θάλατταν ἤγομεν·
ἔπειτ' ἐλοῦμεν.

ΓΥΝΗ.

νὴ Δί' εὐδαίμων ἄρ' ἦν
ἀνὴρ γέρων ψυχρᾷ θαλάττῃ λούμενος.

ΚΑΡΙΩΝ.

ἔπειτα πρὸς τὸ τέμενος ἦμεν τοῦ θεοῦ.
ἐπεὶ δὲ βωμῷ πόπανα καὶ προθύματα
καθωσιώθη, πέλανος Ἡφαίστου φλογί,

651. *καὐδαίμονα* Porson. *κ' εὐδαίμονα* Iunt. 3. *καὶ εὐδαίμονα* Frischl., quod Monac. in margine habet, sed altera manu scriptum. — 652. *αὐτὸν* om. Monac. — *θάλατταν* libb. omn. cf. not. ad 392. — 653. *γ' ἄρ' ἦν* Pors. *γὰρ ἦν* Bar. 1. 2., quod Reisig. probat Coniect. p. VII. *δ' ἄρ' ἦν* Cant. 4. *ἄρ' ἦν* Monac. — 654. *λουόμενος* Monac. Borg. Elb. Mead. Ask. Cant. 3. 4. Harl. Bar. 2. — *θαλάσσῃ* vulgo. cf. 392. — 655. *ἦμεν* Monac. Dorv. Cant. 2. et ed. Port. — 656. *ἐκεῖ δ' ἐπὶ βωμῷ ποπ. κ. προθ. καθωσ. τε πέλαν.* coniec. Hemst. — Pro *προθύματα* scholiasta meminit et legi *θυλήματα*. In Dorv. scribitur *προχύματα*, contra metr. — 657. *κᾆθ' ὡσιώθη* coni. Hemst.

βαλανεῖον ἦλθε λουσόμενος· σὺ δὲ ὥσπερ τεθνεῶτός μου καταλούει τὸν βίον. cf. et Vesp. 118. Pac. 1139. Nub. 1044. Scholiasta in his formis syncopen statuit, minus apte: *Ἀττικὸν τὸ ἐλοῦμεν ἀντὶ τοῦ ἐλούομεν, καὶ κατὰ συγκοπὴν ἐλοῦμεν.* Rectius Eustath. primariam formam *λόεσθαι* accipit, unde per contractionem proficiscitur *λοῦσθαι*.

653. *νὴ Δί' εὐδαίμων ἄρ' ἦν*, ita rectius quam *γ' ἄρα*, ubi *γ'* redundat, et *γάρ*, quod non quadrat ad hunc locum. Sensus: *Nun wahrlich der alte Mann war glücklich als ihr ihn im kalten Meere badetet.* Ironiam his subesse, iam scholiasta monet. — *ἦμεν*, *ἐπορευόμεθα*. Schol. cf. Etym. s. v. *ἦειν*. — *ἐπεὶ δὲ βωμῷ πόπανα* κ. λ. *ἀσύνδετον*, quod iam a scholiasta notatur (*δέον εἰπεῖν καὶ πέλανος*), nam ante *πέλανος* desideratur *καὶ* non sine exemplo, cf. Heind. ad Plat. Gorg. p. 562. 603. Quare non opus est coniectura Hemsterhusii *κᾆθ' ὡσιώθη*, ubi et locus particulae insuetus. Magis adhuc interpretes offendebat, quod poeta in vocibus *πόπανα* et *προθύματα* speciem et genus misceret, quum tamen, ut alias, facile cogitare potuissent *πρωθύστερον*. Hoc enim necessarium est, quia *προθύματα* indicant *sacrificiorum primitias*, *τὰ πρὸ τῆς θυσίας γενόμενα θυμιάματα* schol., ut Eurip. Iphig. Aul. 1292. *πρόθυμά σ' ἔλαβεν Ἄρτεμις πρὸς Ἴλιον.* et noster Thesmoph. 86. *ἐξέρχεται θεράπων τις αὐτοῦ πῦρ καὶ μυῤῥίνην ἔχων, προθυσόμενος* κ. λ. — *πόπανον* enim est *εἶδος πλακοῦντος*, scholiasta auctore *γλύκυσμα*, quod tamen vagam habet significationem. Eustathius ad Il. δ. p. 350. l. 41. ed. Lips. *πόπανον* deducit a *πόπος* et *ἄναξ*, ut sit *τὸ θεῷ ἄνακτι καθοσιούμενον*. Nugae! Etymon quaerenti facile se offert *πέπτειν*, quod et alii viderunt. cf. Lobeck. de placent. Graec. sacr. Occurrit et infra 676, ubi

κατεκλίνομεν τὸν Πλοῦτον, ὥσπερ εἰκὸς ἦν·
ἡμῶν δ' ἕκαστος στιβάδα παρεκαττύετο.

ΓΥΝΗ.

ἦσαν δέ τινες κἄλλοι δεόμενοι τοῦ θεοῦ;

ΚΑΡΙΩΝ.

εἷς μέν γε Νεοκλείδης, ὅς ἐστι μὲν τυφλός,
κλέπτων δὲ τοὺς βλέποντας ὑπερηκόντισεν·
ἕτεροί τε πολλοὶ παντοδαπὰ νοσήματα
ἔχοντες· ὡς δὲ τοὺς λύχνους ἀποσβέσας
ἡμῖν παρήγγειλεν καθεύδειν τοῦ θεοῦ

658. *κατεκλίναμεν* Monac. Cant. 3. 4. Dorv. — 659. *στειβάδα* Cant. 1. 2. — 660. *κ' ἄλλοι* Monac. et ed. Port. *ἦσαν δέ που κἄλλοι* sine interrogatione Elmsl. ad Acharn. 127. — 661. *Νεοκλῆς* Cant. 1. — *ὃς ἐστι* Cant. 2. 3. Monac. — 662. *κλέπτον* Elb. — 663. *ἕτεροι δὲ* Cant. 1. — *νοσήματ'* Elb. — 665. Ex edd. vett. unus Caninius habet *παρήγγειλεν*, cett. *ν* parag. omittunt. Ergo non Kusterus metrum sanavit, ut vulgo opinantur. Ante Porsonem Hotibius coniecit *παρήγγειλ' ἐγκαθεύδειν*, quod ille audacter in textum recepit. Errat Hotibius, qui putat, syllabam verbi *παρήγγειλεν* extremam ictu vacuam esse debere, quippe quae ubique fere in arsi posita conspiciatur. cf. supra 169. *ἐλάνθανεν*, 375. *κέρμασιν*, 525. *μύροισιν*, 588. *ἐξολέσειεν*, ubi eadem metri ratio.

apperet sub *πόπανον* cibi genus intelligi, quod diis pro sacrificio oblatum a sacerdotibus consumebatur. Ita Thesmoph. 290. *ὦ Θρᾷττα, τὴν κίστην κάθελε, κᾆτ' ἔξελε τὸ πόπανον, ὅπως λαβοῦσα θύσω ταῖν θεαῖν.* — *πέλανος*, *ἰστέον δέ, ὅτι τὸν πέλανον ἐν τῷ πυρὶ ἔῤῥιπτον.* Schol. Ad Aeschyl. Pers. 521. (Schtz.) scholion: *πέλανός ἐστιν ὁ ἐζυμωμένος καὶ πεπηγὼς πλακοῦς.* Placenta igitur pinguis et oleo humida, quae facile concremaretur. Eurip. Ion. 707. *καὶ θεοῖσι μὴ τύχοι καλλίφλογα πέλανον ἐπὶ πυρὶ καθαγνίσας.* — *Ἡφαίστου φλογί*, haec tragoediam olent, non cetera, ut alii opinantur. Est enim ignis significatio insolentior ex Eurip. Iphig. Aul. 1578. petita, *ἐπεὶ δ' ἅπαν κατηνθρακώθη θῦμ' ἐν Ἡφαίστου φλογί.*

658. *κατεκλίνομεν*, cf. 407. not. — *παρεκαττύετο*, *ἐκ συλλογῆς εὐτρεπίζετο, ἀπὸ τῶν καττυμάτων. καττύματα δὲ λέγονται οἱ μικροὶ ἱμάντες οἱ ἐπὶ τοῦ κόπρου ἐῤῥιμμένοι. λέγει οὖν ἐκ πολλῶν καὶ μικρῶν τὴν στιβάδα ηὐτρεπίζομεν.* Schol. Significare vult poeta, servum et ceteros, postquam Pluto lectus solennis paratus fuisset, sibi torum raptim et obiter parasse ex palliolis, pannis et aliis rebus fortuitis. — *Νεοκλείδης*, *εἰς πολλὰ κεκωμῴδηται, εἰς ῥήτορα, καὶ τὰ δημόσια κλέπτοντα, καὶ ξένον, καὶ τὰς ὄψεις λελωβημένον. εἴρηται δὲ καὶ ἐν Πελαργοῖς περὶ αὐτοῦ, ὅτι ῥήτωρ καὶ συκοφάντης.* Schol. Idem Neoclides perstringitur *γλάμων* (lippus) Ecclesiaz. 255. et orator populo invisus ibid. 419 sq. — *ὑπερηκόντισεν*, *ὑπερέβαλεν, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν τὰ ἀκόντια ῥιπτούντων.* Schol.

ὁ πρόπολος, εἰπών, ἤν τις αἴσθηται ψόφου,
σιγᾶν, ἅπαντες κοσμίως κατεκείμεθα.
κἀγὼ καθεύδειν οὐκ ἐδυνάμην, ἀλλά με
ἀθάρης χύτρα τις ἐξέπληττε κειμένη

666. πρόσπολος Monac. Harl. Bar. 2. 3. Elb. A. B. C. D. F. Borg. Dorv. Ask. Cant. 1. 2. 3. 4. πρόπολος Rav. Arund. Eustath. bis ad Od. α. p. 1400, 57. (ed. Lips. p. 34, 8.) et 1560, 16. (ed. Lips. 250, 12.) et edd. vett. omn. et recentt. - εἴ τις edd. vett. ἤ τις B. — 668. ἠδυνάμην Harl. Bar. 2. Dorv. Mead. Ask. Cant. 3. 4. et in margine Monac. atramento pallidiore, quam que textus exhibet ἐδυνάμην. — ἀλλ' ἐμὲ Invern. — 669. ἀθάρας Harl. Bar. 1. A. C. Arund. Dorv. Ask. Eustath. universe sic citans (ed. Lips.) ad Odyss. λ. 127. p. 403, 12. ἀθήρη δὲ ἡ ἑψημένη σεμίδαλις, ἣν καὶ ἀθάραν φησὶν ὁ κωμικός.

Aptius adeo Hesych. ὑπερέδραμεν quasi praecurrit alios calliditate sua furtiva. Similiter Av. 363. ὦ σοφώτατ', εὖ γ' ἀνεῦρες αὐτό, ὑπερακοντίζεις σύ γ' ἤδη Νικίαν ταῖς μηχαναῖς. Equit. 664. κἆγωγ', ὅτε δὴ 'γνων τοῖς βολίτοις ἡττημένος, διηκοσίῃσι βουσὶν ὑπερηκόντισα. Eadem metaphora in ὑπερτοξεύω, ut Aeschyl. Suppl. 464. (Schtz.) μίασμα οὐχ ὑπερτοξεύσιμον. h. e. *quo maius fingi non potest.*

665. καθεύδειν, κοιμᾶσθαι schol. Compositum ἐγκαθ. ab hoc loco prorsus alienum est et usu et significatione. — ὁ πρόπολος, ἱερεὺς schol. οὐδὲ γὰρ ὁ πρόπολος δουλικὸν ἀεὶ ὄνομά ἐστιν. Eustath. p. 394, 31. 1090, 57. et 14, 57. sive ad Od. ζ. 209. (ed. Lips p. 250. supra) ubi simili origine esse dicitur cum ἀμφίπολος. Distinctius aliud scholion πρόπολος interpretatur per νεωκόρος h. e. aedituus, qui templum purgat; nam pro diversa ratione cultus divini atque eius partibus nomina ministrorum variabant ὑπηρέται, ζακόροι, πυροφόροι, νεωκόροι s. καθαρταί, qualis fuit Ion in templo Apollinis, qui ap. Eurip. in Ion. et χρυσοφύλαξ et ταμίας et θεοῦ δοῦλος dicitur 54. 312. 330. etc. — κοσμίως κατεκείμεθα. εὐτάκτως καὶ ἡσύχως schol. ut 683. κατέκειτο ἡσυχῇ. At κατακεῖσθαι de iis, qui cubitum eunt; κεῖσθαι contra de mortuis.

668. καθεύδειν οὐκ ἐδυνάμην, nota figuram, quam dicunt παρ' ὑπόνοιαν vel παρὰ προσδοκίαν. Quum enim exspectaretur, servum dicturum esse, se timore aliquo perculsum dormire non potuisse s. ἀλλά με φόβος τις ἐξέπληττε, dixit ἀλλά με ἀθάρης χύτρα τις ἐξέπληττε. In his et verbum ἐκπλήττειν, quod de timore usurpari solet, de consilio positum est. Notum est illud Eupolidis Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν οἰνοχόην ἔκλεψεν. De quo vid. Süvern V. I. Ueber Aristophanes Wolken p. 13. — ἀθάρης χύτρα, Ἀττικοὶ διὰ τοῦ η ἀθάρης, Αἰολεῖς ἀθήρας, ἡ δὲ κοινὴ διὰ τοῦ α ἀθάρας. Schol. cui consentit Suid. ἀθάρα κλίνεται παρὰ μὲν Ἀττικοῖς διὰ τοῦ η ἀθάρης· οἱ δὲ κοινοὶ διὰ τοῦ α ἀθάρας. coll. Eustath. p. 1675, 60. Hesych. p. 124 et 128. distinguit ἀθάρα, ὀλέπυρος πτισσάνη πυροῦ καὶ πολτῶδές τι, et ἀθάρη, πυρίνη πτισσάνη et ἀθηρά, βρῶμα διὰ πυρῶν καὶ γάλακτος ἡψημένον παρ' Αἰγυπτίοις, quibus omnia temere miscet. Quid vero ἀθάρα sit, scholia docent: λέγει τὴν σεμίδαλιν. Aliud ἀθάρα per κουρκούτη explicat, quae vox in lexicis desi-

ὀλίγον ἄπωθεν τῆς κεφαλῆς τοῦ γρᾳδίου,
ἐφ' ἣν ἐπεθύμουν δαιμονίως ἐφερπύσαι.
ἔπειτ' ἀναβλέψας ὁρῶ τὸν ἱερέα
τοὺς φθοῖς ἀφαρπάζοντα καὶ τὰς ἰσχάδας

670. ἄποθεν Cant. 1. Bar. 2. 3. — τοῦ Monac. Bar. 2. — γραϊδίου edd. vett. γραιδίου cum iot. adscr. et sine punct. diaeres. Monac. — 671. ἀφερπύσαι Suid. — 672. ἔπειθ' ὑπαναβλέψας metri causa coniicio. — τὸν ἱερέα τοῦ θεοῦ Harl. F. Arund. Bar. 1. Monac. Cant. 4. et a correct. Cant. 2. Dorv., quod additum esse puto ut metrum suffulciretur, non pro glossa, ut opinantur. — 673. ἁρπάζοντα Harl. Bar. 1. ἐφαρπάζοντα Cant. 1. — τοὺς ἰσχάδας Elb.

deratur. Intelligit vero *pultem e farina triticea factam*, quae quare aniculis in deliciis fuerit scholiasta lepide docet sic: *αἱ γὰρ γραῖαι τοὺς ὀδόντας ἀποβαλοῦσαι οὐκ ἄλλό τι ἢ ἀθάραν ἐσθίουσιν. καὶ διὰ τοῦτο καὶ τῷ Ἀσκληπιῷ τὴν ἀθάραν δῶρον ἀνετίθουν.* — *γρᾳδίου*, de scriptura cf. Lobeck. ad Phryn. p. 88.

671. *ἐφ' ἣν ἐπεθ. δαιμ. ἐφερπ.*, *περισσὴ ἡ μία ἐπί.* Schol. — *δαιμονίως*, *δεξιῶς, ἐπιτηδείως* schol. A plurimis capitur pro *vehementer* et cum *ἐπεθύμουν* construitur. Loca, in quibus haec notio manifesta sit, desidero. *δαιμόνιος* apud nostrum Nubb. 818. indicat *stultum*; possit igitur et hic pro *temere* sumi et ad *ἐφερπύσαι* trahi; quamvis illud praestantius. — *ἐφερπύσαι*, *ὡς εἷς τῶν ἱερῶν ὄφεων δηλονότι. ἐφερπύσαι δὲ βαδίσαι, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἑρπετῶν. ἐκ τούτου δὲ τὴν ἥσυχον κλοπὴν τὴν ἐπὶ τὴν χύτραν δηλοῖ.* Schol. Hic quidem propriam suam habet significationem *repandi s. serpendi*, etsi apud Atticos de erecto incessu usurpatur Aeschyl. Prometh. 1025. Sophocl. Philoct. 209. Eurip. Med. 335. Hecub. 997. — *ἔπειτ' ἀναβλέψας κ. λ.* hic versus in pede secundo est depravatus, siquidem verum est, quod metrici nostri constanter tradunt, vocalem brevem ante mutam cum liquida produci non posse. Desidero in hac enuntiatione particulam *δέ*, quae in narrationis continuatione prae ceteris amatur. Quare rescripserim *ἔπειτα δ' ἀναβλέψας*, quod etiam metrum restitueret. Pariter ad *μετὰ τοῦτο* adiicitur *δέ* 674. 693. et alias. Quum tamen *ἔπειτα* particulam *δὲ* non adsciscat 677. 691. 706. 725. 768. etc., praeferam *ὑπαναβλέψας*, quod simul *hominem clam et furtive oculos circumferentem* significat. Hoc enim in verbis pariter compositis latet, ut *ὑπαναδύεσθαι, ὑπανοιγνύναι.*

673. *τοὺς φθοῖς*, *Ἀττικοὶ μὲν μονοσυλλάβως οἱ φθοῖς· ὁ δὲ Καλλίμαχος φθοίας ἀντὶ τοῦ πλακοῦντας. πέμματα.* Schol. Pariter Eustath. p. 404. praecipit, nullum vocabulum in *οις* terminari, nisi *οἶς* et *φθοῖς*: *οὐδὲ γάρ ἐστιν ἄλλο τοιοῦτον, εἰ μὴ παρὰ Ἀττικοῖς αὐτὸ (τὸ οἶς) τε καὶ τὸ φθοῖς.* Cui consentt. Etym. M. p. 620, 33. et Moer. p. 274. 386. cf. Phryn. ed. Lobeck. p. 88. De significatione Eustath. p. 1753, 3. *πλακοῦς ἐκ τυροῦ καὶ μέλιτος σκευαζόμενος.* — *ἰσχάδας*, *τὰ σῦκα* schol. et Etym. M. h. v. cf. supr. 191. adde ex Eustath. p. 1963, 53. *ἰσχάδες τὰ ξηρὰ σῦκα*, ubi deducitur ab *ἰσχνάσθαι*. cf. ibid. p. 554, 10. et 1863, 60. — *ἀπὸ τῆς τραπέζης τῆς ἱερᾶς*, *εἰσὶ γὰρ τράπεζαι ἐν τοῖς ἱεροῖς, ἐν αἷς τιθέασι τὰ ἐπιφερόμενα.* Sch. — *ἐν κύκλῳ*, *ψηλαφῶν δηλονότι*

ἀπὸ τῆς τραπέζης τῆς ἱερᾶς. μετατοῦτο δὲ
περιῆλθε τοὺς βωμοὺς ἅπαντας ἐν κύκλῳ,
εἴ που πόπανον εἴη τι καταλελειμμένον·
ἔπειτα ταῦθ' ἥγιζεν εἰς σάκταν τινά.
κἀγὼ νομίσας πολλὴν ὁσίαν τοῦ πράγματος
ἐπὶ τὴν χύτραν τὴν τῆς ἀθάρης ἀνίσταμαι.

ΓΥΝΗ.

ταλάντατ' ἀνδρῶν, οὐκ ἐδεδοίκεις τὸν θεόν;

ΚΑΡΙΩΝ.

νὴ τοὺς θεοὺς ἔγωγε μὴ φθάσειέ με

674. *μετὰ τοῦτο δὲ* vulgo. *μετὰ δὲ τοῦτο* Cant. 4. Ut enim simpliciter *μετὰ δὲ* recte dicitur, ita dicendum est *μετατοῦτο δέ*, quod Ald. et Iunt. 1. 2. infra 723. iunctim exhibent. Coniunctim scribendum esse, vel ex positura particulae et metri natura apparet, nisi sensus figuram *ὑφὲν* suaderet. — 675. *περιῇε* Elmsl. in Classic. Iourn. N. XVIII. p. 51. cf. Aristoph. ed. Invern. T. VIII. p. 581. — 676. *τὶ* edd. vett. et Monac. — 677. *ἤγγιζεν* Monac. Cant. 4. *ταῦτ' ἥγιζεν* Cant. 2. — *ἄκταν* Cant. 1. *σάκκον* schol. pro var. lect. — 679. Articulum *τὴν* secunda sede omiserunt Elb. Ask. Bar. 2. 3. Cant. 3. 4. — *ἀθάρας* hic et infra 690., non supra 669. Cant. 3. 4. — 680. *ταλάντ'* Elb.

καὶ ἐρευνῶν schol. — *ἥγιζεν εἰς σάκταν τινά.* De his bene sic scholiasta: *δέον εἰπεῖν εἰς τὸν βωμὸν ἥγιζέ φησιν εἰς τὸν σάκκον. ἥγιζε δὲ ἀντὶ τοῦ ἔβαλλεν εἰς δέρματος σακκίον, ὅπερ θύλακον λέγομεν. τινὲς δὲ ἀντὶ τοῦ ἁγίως ἀπετίθεσο. παίζει δὲ τοῦτο ὡς ἐπὶ ἱερέων.* Est autem, ut supra 668., *σχῆμα παρ' ὑπόνοιαν*, quod dicunt; nam *ἁγίζειν*, ut *καθαγίζειν* Av. 566. Lysistr. 238., proprie est *consecrare*.

678. *νομίσας πολλὴν ὁσίαν τ. πράγμ.* *δόξας*, *φησίν*, *ὅσιον εἶναι τὸ λαμβάνειν ἀπὸ τῶν ἐν τῷ ἱερῷ, ἐπεὶ καὶ ὁ ἱερεὺς ἐλάμβανεν.* Schol. Occurrit autem *ὅσιον* saepius de eo, quod iustum est; ut Eurip. Hecub. 699. *οὐχ ὅσια, οὐκ ἀνεκτά.* ibid. 769. *εἰ μὲν ὅσιά σοι παθεῖν δοκῶ, στέργοιμ' ἄν.* Aeschyl. Prom. 529. — *ἐπὶ τὴν χύτραν τ. ἀθ. ἀνίστ.*, *ἐπ' ὀνείαθ' ἕτοιμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον.* Hom. — *ταλάντατ' ἀνδρῶν*, indignantium exclamatio, ut infra 1042., ubi anicula, quae se ipsam ab amatore turpiter derelictam dicit *τάλαιναν*, amatorem increpat *ταλάντατε nequissime*, pariter 1051. et 1056.

681. *ἔγωγε μὴ φθάσειε, ἐφοβήθην οὖν, μὴ καὶ αὐτὸς (ὁ θεὸς) ἐλθὼν κλέψαι τὴν χύτραν φθάσειέ με.* Schol. Servus hoc vult: a sacro quidem horrore liber eram, alius horror me perculit, quippe ne deus pultem raperet. cf. persimilem iocum Ran. 41. *Δ. οὐκ ἐνεθυμήθης, ὡς σφόδρα μ' ἔδεισε. Ξ. νὴ Δία, μὴ μαίνοιό γε.* — *ἔχων τὰ στέμματα. διὰ τὸ γράφειν τὸν Ἀσκληπιὸν ἀεὶ στεφανηφοροῦντα, ὡς ὑγιείας αἴτιον.* Schol. Habet haec appositio suam vim. Nam deus coronatus fur. Timebam ne raperet pultem, quamvis sacra corona

ἐπὶ τὴν χύτραν ἐλθὼν ἔχων τὰ στέμματα.
ὁ γὰρ ἱερεὺς αὐτοῦ με προὐδιδάξατο.
τὸ γρᾴδιον δ' ὡς ᾔσθετο δή μου τὸν ψόφον,
τὴν χεῖρ' ὑφήρει· κᾆτα συρίξας ἐγὼ
ὀδὰξ ἐλαβόμην, ὡς παρείας ὢν ὄφις.
ἡ δ' εὐθέως τὴν χεῖρα πάλιν ἀνέσπασε,
κατέκειτο δ' αὑτὴν ἐντυλίξασ' ἡσυχῇ,
ὑπὸ τοῦ δέους βδέουσα δριμύτερον γαλῆς.
κἀγὼ τότ' ἤδη τῆς ἀθάρης πολλὴν ἔφλων·
ἔπειτ' ἐπειδὴ μεστὸς ἦν, ἀνεπαυόμην.

682. Pro *στέμματα* Bentl. coniec. *πέμματα*. — 684. *ᾔσθετό μου* Monac. B. C. D. Cant. 3. 4. Ask. Bar. 2. 3. et ed. Kust. *ᾔσθετο δήμου* iunctim edd. vett. except. Can. — In *γρᾴδιον* pariter atque supra 670. variant. — 685. *τῇ χεῖρ'* Borg. et e Reisk. coniect. Brunck. Invern. cf. not. — *ὑφείρει* Mead. *ἀφήρει* C. *ὑπῄρε* vel *ἐπῄρε* coniec. Hemst. *ὑπεγῄρε* coniec. Dobr. — 686. *λαβοίμην* Mead. Ask. Bar. 2. 3. — *ὢν* om. Bar. 2. — 687. *ἀνέσπασεν* edd. vett. except. Can. — 688. *αὐτὴν* edd. vett. correxit Kust. — 690. *ἀθάρας* hic et Monac. — *πάλιν* pro *πολλὴν* Elb. — *ἔφλω* Dorv.

esset redimitus. Quare Bentleii coniectura *ἔχων πέμματα*, quod insuper pro *ἁρπάσων πέμματα* vix dici potuit, non satisfacit. Ceterum non *πέμματα*, sed *χύτραν* ne deus auferret, Cario metuit. Melius certe Gloss. Paris. *πώματα* subministraret. Unde hic sensus: *Timebam ne deus operculum ollae detraheret et, quid intus esset, sentiret.* — *αὐτοῦ με προὐδιδάξατο*, eo ipso loco, in templo enim, me sacerdos docuit s. in me cogitationem excitavit, deum ipsum, qui furtum faciat, exiturum esse.

685. *τὴν χεῖρ' ὑφήρει*, quam lectionem frustra impugnant Brunck. Hemsterh. et nuper Both. Non cogitabant anum istam stragulis involutam cubasse (688. *κατέκειτο αὑτὴν ἐντυλίξασα*). Quum enim, ut anicularum est, anxie dormiret ollae, pulte praeclara refertae, nimis timens, et sonum audiret, quem Cario adrependo edidit, clam subito stragulis extraxit manum (*τὴν χεῖρ' ὑφήρει*), ut ab olla vim arceret. In his omnia plana et perspicua. Accedit, quod altera lectio *τῇ χεῖρ' ὑφήρει*, ad quam obiectum suppleas necesse est, quia iota dativi singul. num. elidi non posse plurimi contendunt, per se durior aliquanto videtur. cf. Hermanni metr. p. 55., Lobeck. ad Soph. Aiac. p. 344. (qui Brunckium recte vituperat), Act. Philol. Monac. Tom. III. Fasc. IV. p. 541., Elmsl. in Addend. ad Heraclid. v. 697. et Dobr. ad h. l. Recte vero scholiasta, quem edd. recentt. non intellexerunt, interpretatur *ὑφήρει* per *ἐκτείνει*, quod enim consequens est verbi *ὑφαιρεῖν* scil. manum e stragulis. Pariter se res habet cum loco Menandri a scholiasta citato *ἐξάραντες ἐπικροτήσατε* h. e. manus a vestium voluminibus liberatas tollite et plaudite. — *κᾆτα συρίξας*, ἀκόλουθον δὲ τῷ ἑφερπύσαι (671.) τὸ συρίξαι. ἕκαστον γὰρ τῶν ζώων ἰδίαν φωνὴν ἔχει, ὡς αἶξ τὸ μηκάζειν, βοῦς τὸ μυκᾶσθαι, κορώνη τὸ κρώζειν, οἷς τὸ βληχᾶσθαι,

ΓΥΝΗ.

ὁ δὲ θεὸς ὑμῖν οὐ προσῄειν;

ΚΑΡΙΩΝ.

οὐδέπω.
μετατοῦτο δ' ἤδη καὶ γελοῖον δῆτά τι
ἐποίησα. προσιόντος γὰρ αὐτοῦ μέγα πάνυ

692. *προσῄει* Monac. Elb. Cant. 1. 2. A. Borg. Dorv. Harl. Bar. 2. 3. *προσῄει γ'* Rav. solus, quod Invern. soli placuit. *προσῄειν* cett. libb., nisi quod Ven. 1. 2. et Raph. iota subscr. omittunt. — 693. δ' ante *ἤδη* om. Cant. 3. 4. Harl. Bar. 2. 3. — *μετὰ τοῦτ' ἤδη* Ask. Borg. *μετὰ τοῦτο δ'* disiunctim cett. libb.

καὶ τἄλλα ὁμοίως· οὕτω καὶ ὄφις τὸ συρίζειν. Schol. Ita Aeschyl. Prom. 355. *συρίζων φόνον.* — *ὀδὰξ ἐλαβόμην*, ut Hom. Il. ω. 738. *ὀδὰξ ἕλον ἄσπετον οὖδας.* ibid. β. 418. *ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν.* ubi Eustath. p. 218, 40. 1424, 39. eoque auctore schol. ad Odyss. α. 381. *ὀδὰξ* interpretantur *μετὰ τῶν ὀδόντων· ἀπὸ τοῦ δήκω, δήξω, δὴξ καὶ δάξ, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ο, ὀδάξ.* At non cogitant cetera adverbia eodem modo facta *γνύξ*, quod Hesych. reddit *ἐπὶ τὰ γόνατα*, *λάξ* *calcibus*, *πύξ* *pugnis*, ut noster in Ran. 555. *κᾆτ' ἐκ τῆς γνάθου πὺξ πατάξας μοὐξέκοψε τοὺς χοροὺς τοὺς προσθίους.* Demosth. adv. Euerg. T. II. p. 1150. ed. Reisk. *εἰσιόντος δέ μου παίει πὺξ τὸ στόμα.* Hom. Od. ρ. 233. *ὣς φάτο, καὶ παριὼν λὰξ ἔνθορεν ἀφραδίῃσιν ἰσχίῳ.* — *ὡς παρείας ὢν ὄφις, εἶδος δὲ ὄφεως ὁ παρείας, παρὰ τὸ ἐπῆρθαι τὰς παρείας· φασὶ δὲ αὐτὸν μὴ δάκνειν, ἢ καὶ δάκνοντα μὴ λυπεῖν. μέμνηται δὲ αὐτοῦ καὶ Δημοσθένης* (de Cor. c. 79.) „*τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας θλίβων*" *φάσκων. ἔστι δὲ τοιοῦτον εἶδος καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ τρέφεται ἐν τοῖς ἱεροῖς τοῦ Διονύσου.* Schol. In Aesculapii templo idem genus serpentum fuisse, ex iis, quae infra 730. narrantur, concludi potest, quamvis ibi dicantur *δράκοντες.*

689. *βδέουσα δριμύτερον γαλῆς. δριμὺς* de omnibus, quae sensum acriter tangunt, adhibetur; sic naris pruritus, quo iracundus pungitur Theocr. I. 18. *καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.* Similiter de homine, qui animo misericordia ita commotus est, ut luctus retinere vix possit Hom. Od. ω. 318. *δριμὺ μένος οἱ ἀνὰ ῥῖνας προὔτυψεν.* Hinc ad visum transfertur ap. nostrum Ran. 562. *ἔβλεψεν εἰς ἐμὲ δριμύ.* Aelian. H. A. L. XVII. c. XII. p. 931. *ἐάν τις θεάσηται τὴν θῆραν, εἶτα αὐτῇ ἀντίος ὁρῶν προσβλέψῃ δριμύ.* quod idem esse videtur atque illud Equit. (637.) 631. *νᾶπυ ἔβλεψε καὶ τὰ μέτωπ' ἀνέσπασεν.* pro *acerbe intueri.* Nostro loco de odore acerbo et acri. Locutio vero *δριμύτερον βδεῖν γαλῆς* quid sit ac valeat, vide Acharn. 254. *ὡς μακάριος, ὅστις σ' ὀπύσει, κἀκποιήσεται γαλᾶς σοῦ μηδὲν ἧττον βδεῖν, ἐπειδὰν ὄρθρος ᾖ.* Quod Gl. Vict. addit: *πάνυ γὰρ δύσοσμός ἐστιν ἡ τῆς γαλῆς πορδή.* lepide quidem dictum est, si experientia edoctus dixit scholiasta; sed potuit comparari odor totius bestiae. *γαλῆ* non *felis*, sed *mustela* aut *martes* hic est. De fumo quoque oculos quippe mordente Vesp. 147. (Inv.) *ὅσπερ γ' ἐστὶ δριμύτατος καπνῶν.* — *τῆς ἀθάρης πολλήν, μερίδα δηλονότι.* Schol. Rectius ellipsi reiecta Atticismum statuit

ἀπέπαρδον· ἡ γαστὴρ γὰρ ἐπεφύσητό μου.

ΓΥΝΗ.

ἤπού σε διὰ τοῦτ' εὐθὺς ἐβδελύττετο.

ΚΑΡΙΩΝ.

οὔκ, ἀλλ' Ἰασὼ μέν τις ἀκολουθοῦσ' ἅμα
ὑπηρυθρίασε χἠ Πανάκει' ἀπεστράφη

695. ἐπεφύσσητο Monac. Mead. Bar. 1. Cant. 4. ἀπεφύσσατο Cant. 3. ἀπεφύσατο Dorv. — μου om. Dorv. — 696. Interrogant Canin. Frischl. Raph. — 697. μέν γε τις ἀκολουθοῦσ' Rav. Invern. cf. Hermann. Metr. p. 128. μέν τις ἀκολουθοῦσ' sine γε Monac. edd. vett. et Pors. μέν γ' ἐπακολουθοῦσ' Dind. cum Reisig. Coniect. p. 51. — 698. ὑπερυθρίασε Cant. 4. Dorv. Elb. Ask. ὑπηρυθρία σε Ald. χ' ἡ Monac. Dorv. edd. vett. et Hemst.

Schaeferus ad Bos. p. 274. pro ἀθάρην πολλήν. Pariter Acharn. 349. τῆς μαρίλης συχνήν. Pac. 166. τῆς γῆς πολλήν. — ἔφλων, φλᾶν δὲ νῦν τὸ μετὰ ψόφου ἐσθίειν· καὶ γὰρ φλᾶν τὸ θλᾶν, ὡς (θὴρ καὶ φήρ)· οἷον „φηρσὶν ὀρεσκώοισιν." Schol. φλᾶν ubique est τρίβειν terere, et hic quoque dentibus contercre s. mandere. Sic Pac. 1303. (Inv.) ὑμῶν τὸ λοιπὸν ἔργον ἤδη 'νταῦθα τῶν μενόντων φλᾶν ταῦτα πάντα καὶ σποδεῖν. Alias terere s. contundere, ut infr. 714. et 780. et metaphorice Nub. 1356. (Inv.)

692. προσήειν, de forma hac cf. Fischer. ad Weller. Gramm. II. p. 507. et Buttm. Gramm. in coniug. verb. εἶμι. Ceterum hoc ν in tertia singul. plusquamp. ubique ab Atticis ponitur, si vocalis sequitur, et est ν paragogicum quod contractione omissa neminem offenderet. Nam πεποίθειν fuit πεποίθεε(ν) cf. Nub. 1347. (1337. Inv.) Vesp. 635. Pac. 1182. Scholiasta formas has vocat Ionicas: Ἰωνικῶς προσήειν, ὡς καὶ παρ' Ὁμήρῳ· „ἤσκειν εἴρια καλά." ἀντὶ τοῦ ἤσκεε· τρίτον γάρ ἐστι προσώπου. et Gl. Vict. τὸ προσήειν ἐνταῦθα τρίτου προσώπου διὰ τὴν χασμῳδίαν προσλαβὸν τὸ ν, ὡς κἂν τοῖς ἄλλοις ἔθος ἔχουσι ποιεῖν οἱ Ἀττικοί. Adversabatur huic praecepto Heraclides, Eustathio docente p. 1892, 34 sq. quem cf. — ἐπεφύσητο γαστήρ, ὑπὸ τῆς ἀθάρης δηλονότι. ποιεῖ γὰρ αὐτὴ πνεύματα τῇ γαστρί. Schol. Causa est Eust., quod moneo, ἐπεφ. esse plusquamp., non imperf. compositi verbi. — ἐβδελύττετο, ἐμίσει σε. χαριέντως τὸ ἐβδελύττετο πρὸς τὸ ἀπέπαρδον, παρὰ τὸ βδέειν. Schol. βδελύττεται, μισεῖ, ὑφορᾶται Hesych. Hinc βδελυγμία τὸ ἐπὶ τῷ κόρῳ δυσχεραίνειν Polluc. VI, 44. sive ναυσία Hesych. I. p. 711. cf. Xenoph. Mem. III. 11. 13.

697. Ἰασὼ μέν τις h. e. sed virgo quaedam, quae Iaso esse videbatur. Nisi pronomen τίς, ut aliquando fit, abundanter illatum est. cf. Plat. Gorg. p. 499. E. et Phileb. p. 13. E. Facile se commendat Reisigii coniectura Coniect. p. 51. Aristophanem scripsisse Ἰάσω μὲν ἐπακολουθοῦσ' ἅμα, una litera σ abiecta. Nam Iaso aeque fuit nota Graecis, quam Panacea. De filiis ac filiabus Aesculapii cf. 635. not. — ὑπηρυθρίασε, prae pudore virgineo clam erubuit. — τὴν ῥῖν' ἐπιλαβοῦσα. Frischl. vertit naribus compressis, H. Stephano auctore, ut videtur, qui Thesaur. T. II. 567. F. „Denique,

τὴν ῥῖν' ἐπιλαβοῦσ'· οὐ λιβανωτὸν γὰρ βδέω.

ΓΥΝΗ.

αὐτὸς δ' ἐκεῖνος;

ΚΑΡΙΩΝ.

οὐ μὰ Δί' οὐδ' ἐφρόντισεν.

ΓΥΝΗ.

λέγεις ἄγροικον ἄρα σύ γ' εἶναι τὸν θεόν.

ΚΑΡΙΩΝ.

μὰ Δί' οὐκ ἔγωγ', ἀλλὰ σκατοφάγον.

ΓΥΝΗ.

αἶ τάλαν.

ΚΑΡΙΩΝ.

μετὰ ταῦτ' ἐγὼ μὲν εὐθὺς ἐνεκαλυψάμην

699. *ἐπιλαβοῦσα* plene Monac. — 700. *αὐτός γ'* Cant. 1. — Post *ἐκεῖνος* non interrogant Porson et edd. vett. except. Can. et Frischl. — *οὔ μα Δι'* Mon. — *ἐφρόντισε* Invern. *οὐδέ γ' ἐφρόντ.* Dorv. — 701. Interrogant edd. vett. exc. Canin. — *ἀρα* Dorv. *ἆρ' ἄγροικον σύ γ'* Ask. — 702. *αἶ* Monac. — 703. *μετὰ ταῦτά γ' εὐθὺς* Arund. Cant. 1. 2. et edd. vett. *δ'* pro *γ'* B. Cant. 3. Mead. Neutram particulam habent A. C. D. Borg. Rav. Dorv. Ask. Cant. 4. Brunck. — *συνεκαλυψάμην* edd. vett. et codd. plerique, in quibus et Monac. Textus noster, qui versu 710 adiuvatur, ex cod. Rav. sumtus ap. Pors. Invern. et Diad. deprehenditur.

inquit, *ἐπιλαμβάνω* et pro *obstruo, obturo.* Aristoph. *τὴν ῥῖν' ἐπιλ.* Sic *τοὺς μυκτῆρας ἐπιλαμβάνειν.*" Mihi haec non satisfaciunt, credo potius, nihil aliud poetam dicere voluisse verbis *τὴν ῥῖν' ἐπιλαβοῦσα*, quam hoc: *simulatque excepit naribus odorem;* qua significatione frequenter occurrit illud verbum. — *οὐ λιβανωτὸν γὰρ βδέω*, *ἤτοι μεμυρισμένον πέρδω, ἢ οὐκ εὐῶδες, ὥσπερ ὁ λίβανος.* Schol. De discrimine, quod intercedat inter *λίβανος* et *λιβανωτός*, scholia cum Phrynicho p. 187. ed. Lobeck.: *ἄλλο λίβανος, καὶ ἄλλο λιβανωτός· λίβανος μὲν γὰρ αὐτὸ τὸ δένδρον, λιβανωτὸς δὲ ὁ καρπὸς τοῦ λιβάνου.*

700. *αὐτὸς δ' ἐκεῖνος*, *τῆς ῥινὸς οὐκ ἐπελάβετο.* Sic enim scholiasta mira verborum structura. Hoc vero perspicuum est, heram interrogare servum, quam vim odor iste in Deum habuerit. Ad quod Cario respondet, Deum adeo torpidum et naris obesae fuisse, ut ne sentiret quidem foetorem. — *λέγεις ἄγροικον*, *ἄγροικος, ἀναίσθητος ἢ ἀπαίδευτος* schol. *ἀγροῖκος ὁ ἐν ἀγρῷ διάγων, χωρικός, ἢ ἐργάτης, καὶ δραστήριος ἢ ζευγηλάτης.* Hesych. T. I. p. 69. Quamvis eadem canant Pollux, Eustathius et Thom. Mag., cum H. Stephano tamen (Thes. Gr. L. I. 46.) vereor ne accentus pro dialecto varietur, non pro significatione. In promtu est illud ex Nub. 47. *ἔπειτ' ἔγημα Μεγακλέους, τοῦ Μεγακλέους, ἀδελφιδῆν, ἄγροικος ὤν, ἐξ ἄστεος*, ubi se agricolam s. ru-

δείσας, ἐκεῖνος δ' ἐν κύκλῳ τὰ νοσήματα
σκοπῶν περιῄει πάντα κοσμίως πάνυ.
ἔπειτα παῖς αὐτῷ λίθινον θυείδιον
παρέθηκε καὶ δοίδυκα καὶ κιβώτιον.

ΓΥΝΗ.

λίθινον;

ΚΑΡΙΩΝ.

μὰ Δί' οὐ δῆτ', οὐχὶ τό γε κιβώτιον.

ΓΥΝΗ.

σὺ δὲ πῶς ἑώρας ὦ κάκιστ' ἀπολούμενε,
ὃς ἐγκεκαλύφθαι φῄς;

ΚΑΡΙΩΝ.

διὰ τοῦ τριβωνίου.

704. *δὲ κύκλῳ* Rav. Harl. Bar. 1. Invern. — 705. *περιῄειν* hic vitiose Dorv. Ask. et edd. Ald. Iunt. 2. 3. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Can. Frischl. Raph. Port. — 706. *θυΐδιον* Rav. Bar. 2. 3. Cant. 3. Dorv. Borg. *θήδιον* Cant. 4. — 708. Totus hic versus omissus est in Rav. — *μὰ Δί' οὐχί γε τὸ κιβώτιον* Monac. Cant. 4. *μὰ Δί' οὐ τ' οὐχὶ τόγε* Cant. 3. — *γε* om. Dorv. — 709. *ἑώρακας* B. C. Cant. 4. Harl. Bar. 1. 2. 3.

sticum uxori in urbe natae opponit. *φήσας αὐτὸν ἀγροῖκον εἶναι, τὴν δὲ γυναῖκα πολιτικήν.* Schol. ad Nubb. l. l. — *σκατοφάγον*, quam explicationem Girardo cum ceteris ipse Kust. tribuit, eam iam gloss. Paris. et Victor. habent: *τὸ σκατοφάγον λέγει, ἢ διότι οἱ ἰατροὶ ἐκ τοῦ σκοπεῖν τὰ τῶν ἀσθενούντων οὖρα καὶ σκύβαλα τοὺς μισθοὺς λαμβάνουσιν, ἢ ὅτι ὁ τῆς ἰατρικῆς ἡγεμὼν Ἱπποκράτης ἀνθρωπίνων κόπρων ἐγεύετο, ὥς φασι, βουλόμενος μανθάνειν περὶ τῶν νοσούντων, εἰ ἄρα ζήσονται ἢ τεθνήξονται.* Nisi in universum medicorum taetrum officium tangit, quos parvi habuisse veteres, vel proverbium docet: *εἰ μὴ ἰατροὶ ἦσαν, οὐκ ἂν ἦν τῶν γραμματικῶν τι μωρότερον.*

703. *ἐνεκαλυψάμην*, *ἐκρύβην ἔσω τῶν ἱματίων.* Schol. — *περιῄει πάντα κοσμίως πάνυ*, de incessu solenni et severiore quodam, qualis sacerdotem decet. Hoc enim est, quod alias *κοσμίως βαδίζειν* dicitur. — *δοίδυκα*, *κοχλιάριον.* Schol. *ἀλετρίβανος.* Hesych. I. 1016. *ὁ γὰρ δοίδυξ μικρός ἐστι καὶ στρογγύλος.* Schol. ad Equitt. 980. (993. Invern.) cf. Suid. h. v. Pollux VI. 90. Aelian. V. H. XII. 31. — *κιβώτιον*, *σενδούκι* (*σενδούκην* Gl. Paris.), *ὃ λέγουσιν οἱ ἰατροὶ πανδέκτην.* Schol. Dorv. *Arculam* intelligit s. *capsulam.* Sic Plutarch. capsulam, qua Homeri Iliadem inclusam secum habuisse Alexander M. fertur, appellat *κιβώτιον*, quod alias dicitur *νάρθηξ.* — *οὐχὶ τό γε κιβώτιον*, *λίθινον ἦν ἀλλ' ἡ θυεία. παίζων πρὸς τὸ πρῶτον ἀπήντησεν. εἰπὼν γὰρ ὅτι κιβώτιον λίθινον ἦν, ὥσπερ ἑαυτοῦ λήθην ἐπανορθούμενός φησι, μὰ Δί' οὐκ ἦν λίθινον τὸ κιβώτιον.*

710. *διὰ τοῦ τριβωνίου*,

ὀπὰς γὰρ εἶχεν οὐκ ὀλίγας μὰ τὸν Δία.
πρῶτον δὲ πάντων τῷ Νεοκλείδῃ φάρμακον
καταπλαστὸν ἐνεχείρησε τρίβειν, ἐμβαλὼν
σκορόδων κεφαλὰς τρεῖς Τηνίων. ἔπειτ' ἔφλα
ἐν τῇ θυείᾳ ξυμπαραμιγνύων ὀπὸν

711. οὐκ ὀλίγας εἶχε hoc ordine perverso Rav. Borg. Cant. 3. Invers. metri et alioquin incuriosus. — 712. τῷγε Dorv. — 713. κατάπλαστον Pors. et scholiasta pro var. lect. quam tamen improbare videtur dicens: τινὲς δὲ προπαροξύνουσι κατάπλαστα λέγοντες. — ἐνεχείρισε Cant. 4. Ask. et altera man. Cant. 2. Bar. 1., quam formam iam scholiasta removit hinc: οἱ γράφοντες ἐνεχείρισε τρίβειν διὰ τοῦ ῖ ἀμαθεῖς. ἐνεχείρησ' ἐντρίβειν Arund. ἐπεχείρησε Dorv. (?) — 715. θυίᾳ Cant. 3. 4. — Cum Brunck. Pors. Be. rescripsi ξυμπαραμιγνύων, cett. libb. συμπ.

cf. not. ad 325. et scholiastam, qui h. l. recte: νῦν τοῦ παλαιοῦ, inquit, καὶ τετριμμένου ἱματίου. τὸ γὰρ τρίβακον ἱμάτιον οὕτω καλοῦσιν Ἀττικοί. ἦν δὲ τὸ τοιοῦτον τριβώνιον μέχρι τῶν ποδῶν διῆκον καὶ χειρίδας ἔχον πλατείας καὶ κεκολπωμένον. — ὀπὰς γὰρ εἶχεν, ὀπὰς δὲ τὰς τρώγλας· ἔνθεν καὶ ὦπες οἱ ὀφθαλμοί schol. Similiter Plautus alicubi *domum* dicit *illustrem*, quippe quae foraminum plena pluviam et imbres intromittat nec prospectum coeli et regionis impediat. Pallium igitur, quo involutus iacebat, simile Homerico isti, quod πυκνὰ ῥωγαλέον sive ῥάκος ῥωγαλέον dicitur. — Νεοκλείδῃ, quis? cf. not. ad 661. et praefat. c. II. — φάρμακον καταπλαστόν, τῶν φαρμάκων τὰ μέν ἐστι καταπλαστὰ (h. e. quod illini potest, ut fiat emplastrum), τὰ δὲ χριστὰ (ad unguendum apta), τὰ δὲ ποτὰ (ad bibendum). ἔστιν οὖν παστὸν τὸ πασσόμενον, πλαστὸν τὸ πλαττόμενον, ὃ καὶ καταπλαστὸν λέγεται, καὶ πιστὸν τὸ πινόμενον. Schol. Hinc paulo post 717. κατέπλασεν αὐτοῦ τὰ βλέφαρα. — ἐνεχείρησε, οὐκ ἐθεράπευεν ὁ Ἀσκληπιός, ἀλλ' ἔχει οὕτως· ἐνεχείρησε πρῶτον πάντων τρίβειν τῷ Νεοκλείδῃ τὸ φάρμακον καταπλαστόν. καὶ ἔστιν ἡ δοτικὴ αὕτη πρὸς τὸ τρίβειν περιποιητικῶς. ἡ γὰρ τρῖψις ἐκείνῳ ἦν, δι' ἐκεῖνον ἐγίνετο. ex schol. Sensus enim est: *Incepit Aesculapius unguentum parare in usum Neoclidis*, non: *incepit eius oculos illinere unguento*. Est enim dativus commodi (δοτικὴ περιποιητικὴ) et τρίβειν adparationem indicat. Ceterum ἐγχειρεῖν et ἐπιχειρεῖν cum infinit. significatione *incipiendi* satis frequenter occurrunt: Sophocl. Elect. 1026. Acharn. 372. (Inv.) ἐγχείρει λέγειν. Xen. Memor. I. 2. 39. ἐπεχείρουν διαλέγεσθαι. — σκορόδων Τηνίων, Τῆνος μία τῶν Κυκλάδων νῆσος, ἔστι δὲ σκοροδοφόρος καὶ δριμύτατα σκόροδα φέρει. e schol. Miscet enim unguentum acerbum, quod rebus, quae oculorum dolores augeant, componitur acerrimis, in quibus primum *allium* in insula Tenos, nunc *Tine* quae dicitur, ortum. Simile unguentum eidem Neoclidi commendat Blepyrus ap. nostr. in Ecclesiaz. 405. (Dind.) σκόροδ' ὁμοῦ τρίψαντ' ὀπῷ τιθυμάλλου ἐμβαλόντα τοῦ Λακωνικοῦ σαυτοῦ παραλείφειν τὰ βλέφαρα τῆς ἑσπέρας.

715. ξυμπαραμιγνύων ὀπὸν καὶ σχῖνον, de ὀπός co-

καὶ σχῖνον· εἶτ' ὄξει διέμενος Σφηττίῳ,
κατέπλασεν αὐτοῦ τὰ βλέφαρ' ἐκστρέψας, ἵνα
ὀδυνῷτο μᾶλλον. ὁ δὲ κεκραγὼς καὶ βοῶν
ἔφευγ' ἀνάξας· ὁ δὲ θεὸς γελάσας ἔφη·
ἐνταῦθα νῦν κάθησο καταπεπλασμένος,

716. *σχοῖνον* Monac. Cant. 3. et schol., ut videtur. — *σφητίῳ* Cant. 1. *σφιττίῳ* Ven. 1. — Citatur h. versus ab Eustath. ad Il. *ψ*. p. 1312, 8. — 717. *κατέπλασσεν* Cant. 1. Bar. 2. (?) 3 *κατέπασεν* Cant. 4. *ἀναστρέψας* Monac. Elb. — 718. *ὠδυνῷτο* Bar. 2. 3. — *τε καὶ βοῶν* Cant. 3. *βοήσας* Ask. — 719. *ἀναίξας* Monac. Ald. Iunt. 1. 2. Crat. Wech. Frischl. Brub. Raph. Pors., immerito comprobante Dobraeo, ut disci potest ex schol. ad v. 729. laudato. *ἀναΐξας* Canin. et Cantab. 1. 2. 3. 4. idemque videtur in Dorv. et codd. Paris. fuisse, ut e glossa coniicio; nam varietas lectionis negligenter enotata est. *ἀνάξας* Brunck. Inv. Dind. recte. *ἀνήξας* Bergl. coniec. *ἀνέξας* Iunt. 3. Ven. 1. — 720. *κάθησον* Cant. 4.

piosus est H. Stephan. Tom. II. p. 1373. Thes. Gr. L. docetque *ὀπός* imprimis dici lacteum succum et qualemcumque liquorem vel sponte emanantem, vel scarificatione, terebratione, vel alio quovis vulnere effluentem, ut *opium* *ὀπὸς μήκωνος* et *laser* *ὀπὸς Κυρηναϊκὸς* aut *Μηδικός*, qui etiam *κατ' ἐξοχὴν* ab Hippocrate *ὀπός* nominetur, quum alias vocabulum sit generale. Testatur Galen. lib. VIII. d. simpl. medicam. facult. *εἰσὶ δὲ πάμπολλοι μὲν ὀποί. ῥίζης γὰρ ἥστινος ἢ καυλοῦ τμηθέντος ῥέον ἐκ τῆς τομῆς παχὺ καὶ γλίσχρον ὀπός ἐστιν. εἰδικώτερον δὲ οἷον καθ' ὑπεροχήν τινα τὸν Κυρηναῖον οὕτως ὀνομάζουσι, καὶ τὸν Μηδικὸν καὶ τὸν Συριακόν.* Pariter Lexic. Hippocr. *ὀπὸς ὁ τοῦ σιλφίου κατ' ἐξοχήν.* De silphio Theophr. Hist. plant. VI. 3. *ἡ δὲ καλουμένη μαγύδαρις ἕτερόν ἐστι τοῦ σιλφίου μανότερόν τε καὶ ἧττον δριμύ, καὶ τὸν ὀπὸν οὐκ ἔχει.* Distinguitur igitur magudaris a silphio s. laseri sed utriusque succus vim habuit occoecandi, ut Theophr. l. l. addit: *οὗ ὀπὸς ἀποτυφλοῖ τὰ ἄλλα ζῶα πάντα καὶ τοὺς ἀνθρώπους.* Quaerebatur vero succus laserpitii, quem h. l. poeta indicat, hoc modo: laserpitio super terram ad radices fuit tuber, quo inciso succus, quem et lac dicunt, profluere solebat. Clarissimum vero laserpitium, Graecis *σίλφιον* dictum, Plinio H. N. XIX. 3. testante reperiebatur in Cyrenaica provincia. Occurrit vox ap. nostr. Av. 534. 1589. (Inv.); et infra de re pretiosa quare dictum sit docebitur not. ad v. 922. — *καὶ σχῖνον*, *σχῖνον νῦν φησι τὴν σκίλλαν, δηκτικὰ γὰρ βούλεται πάντα εἶναι.* Schol. Indicat enim alias et lentiscum, hic tamen, ubi acerbos profert poeta humores, scillam eiusque succum acrem intelligit, quem Attici sic dicebant. De scilla cf. Theophr. Hist. plant. VII. 12. Dioscorid. 2. 202. Plin. XIX. 5. Inde et acetum scillinum, de quo vid. Columell. d. R. Rust. XII. 34. et Schneid. Ind. Script. R. Rust. s. v. Ceterum, id quod facile intelligi potest, et hic succus oculis noxius erat, cf. Diosc. l. l. — *ὄξει Σφηττίῳ*, *ἤγουν δριμυτάτῳ ἀπὸ δήμου. πικροὶ γὰρ οἱ Σφήττιοι καὶ συκοφάνται, ἢ ὅτι δριμὺ ὄξος παρὰ Σφηττίοις ἐγίνετο. Σφηττὸς δὲ τόπος ἐν Ἀθήναις, ὅθεν Σφήττιος οἶνος καὶ Σφήτ-*

ἵν' ἐπομνύμενον παύσω σε τῆς ἐκκλησίας.

ΓΥΝΗ.

ὡς φιλόπολίς τις ἔσθ' ὁ δαίμων καὶ σοφός.

ΚΑΡΙΩΝ.

μετατοῦτο τῷ Πλούτωνι παρεκαθέζετο,

721. *ἐπωμνυμένον* Iunt. 2. 3. Port. *ἐπομνήμενον* Ask. *ὑπομνυμένον* in schol. pro varietate lect. commemorari Hemsterh. putavit, idque verum et melius quam vulgatum habent Brunck. et Dobr. In scholiis nulla lectionis varietas notatur, ut equidem video. — *τὰς* C. F. Bar. et, ut idem Hemst. monet, schol. — 723. *μετατοῦτο* rescripsi cum Ald. Iunt. 1. 2. cett. libb. *μετὰ τοῦτο*. cf. supra 674.

τιον ὄξος. e schol. Biset. schol. docet Chrysippo auctore ap. Athen. (β') acetum Cnidium Sphettio nobilius fuisse. Quare cavillationem morum Sphettiorum accipe. — *διέμενος*, de hac voce Eustath. ad Iliad. υ. p. 1312. haec: *τὸ ῥῆμα δίω, ἀφ' οὗπερ οὐ μόνον τὸ διαίνω, ἀλλὰ καὶ δίημι· οὗ μετοχὴ παθητικὴ διέμενος, ὡς τιθέμενος. Ἀριστοφάνης διέμενος ὄξει Σφηττίῳ, ἤγουν ὑγράνας δι' ὄξους δριμέος*. Est igitur *perfundo, madefacio, διυγραίνω*.

717. *τὰ βλέφαρ' ἐκστρέψας*, *ἐξεστραμμένα ποιήσας*. Schol. — *ἔφευγ' ἀνάξας*, *ἀνορμήσας* Hesych. h. v. Ex Homeri usu satis notum de vehementi et subito motu, quo quis e sede aut lecto surgit. — *ἐνταῦθα νῦν κάθησο*, sarcasmus. Sic Ulysses Irum mendicum interfectum et in portae introitu collocatum alloquitur Od. σ. 105. *ἐνταυθοῖ νῦν ἧσο σύας τε κύνας τ' ἀπερύκων*. et Melanthium Eumaeus alte suspensum e columna Od. χ. 195. *νῦν μὲν νύκτα φυλάξεις εὐνῇ ἔνι μαλακῇ καταλέγμενος*. et ap. Aeschyl. Prometh. Vulcanus Prometheum scopulo affixum *ἐνταυθοῖ νῦν ὕβριζε*. et ap. nostr. Thesmoph. 1030. Scytha Mnesilochum *ἐνταῦθα νῦν οἰμώξει*. Unde apparet verba huic formulae propria esse. Comparari potest et notum illud: *istic nunc metuende iaces*.

721. *ἵν' ἐπομνύμενον παύσω σε τ. ἐκκλ.* locus paullo difficilior. Nonnulli *ὑπωμοσίαν* cogitant, quae tamen non inhonesta fuisse videtur. Sic Demosth. contr. Olympiod. f. 1068. D. *ἐπειδὰν δὲ ἐκάλει ὁ ἄρχων εἰς τὸ δικαστήριον ἅπαντας ἀμφισβητοῦντας κατὰ τὸν νόμον, ὑπωμοσάμεθα ἡμεῖς τουτονὶ Ὀλυμπιόδωρον δημοσίᾳ ἀπεῖναι στρατευόμενον· ὑπομοσθέντος δὲ τούτου ἀνθυπωμόσαντο οἱ ἀντίδικοι, τῆς δίκης ἕνεκα ἀπεῖναι τουτονί, καὶ οὐ δημοσίᾳ*. Veteres recte tradunt, *ὑπωμοσία ἐστὶ τὸ ὑπερτίθεσθαι δίκην προφάσει χρώμενον ἀποδημίας, ἢ νόσου, ἤ τινος τῶν παραπλησίων. μεθ' ὅρκου ἐλέγετο, καὶ τὸ ποιεῖν τοῦτο ὑπόμνυσθαι*. Rectius cogitari potuit *exceptio*, quae *παραγραφὴ* vel *παραμαρτυρία* a Graecis dicebatur. De qua Pollux VIII. 6. *παραγραφὴ δ' ἦν ἡ αὐτὴ καὶ παραμαρτυρία, ὅταν τις μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι λέγῃ τὴν δίκην, ἢ ὡς κεκριμένος, ἢ ὡς ἀφειμένος, ἢ ὡς τῶν χρόνων ἐξηκόντων, ἐν οἷς ἔδει κρίνεσθαι· οἷον οὐκ εἰσαγγελίας, ἀλλὰ παρὰ νόμων· οὐ δημοσίᾳ, ἀλλὰ ἰδίᾳ· οὐκ ἐν ἀρείῳ πάγῳ, ἀλλ' ἐπὶ Παλλαδίῳ*. Haec igitur fuit turpis et sycophantiosa. Huic interpretationi verisimilitudinem faciunt, quae Eustath. ad Il. κ. 333. p. 809, 34. (ed. Lips. p. 343, 7.) praecipit: *δῆλον δὲ καὶ ἐκ τῶν τῆς Ὀδυσσείας ὅτι ἐπομνύναι μὲν τὸ καταφατικῶς*

καὶ πρῶτα μὲν δὴ τῆς κεφαλῆς ἐφήψατο·
ἔπειτα καθαρὸν ἡμιτύβιον λαβὼν
τὰ βλέφαρα περιέψησεν· ἡ Πανάκεια δὲ
κατεπέτασ' αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν φοινικίδι
καὶ πᾶν τὸ πρόσωπον· εἶθ' ὁ θεὸς ἐπόππυσεν.

725. *ἡμιτύμβιον* Monac. Rav. Elb. Borg. Dorv. Ask. Arund. A. B. D. Cant. 3. 4. Pollux VII. 71. Ald. Invern. *ἡμιτύβιον* C. Cant. 1. 2. edd. vett. et recentt. inde a Brunck. (except. Ald. Invern.) Photius h. v. Hesych. h. v. — 727. *κατεπέτασεν* Bar. 2. — 728. *ἐπόππυσεν* Elb. F. Dorv. Mead. *ἐπώπυσεν* Ask.

ὀμνύναι, ἀπομνύναι δὲ τὸ ἀποφατικῶς ὁρκωμοτεῖν. Eadem tradit de *ἀπόμνυσθαι* et *ἐπόμνυσθαι* ad Od. β. 377. p. 1450, 38. (ed. Lips. 104, 15.) Quum igitur Atheniensibus, qui fere vitam degerent in iudiciis et rebus publicis tractandis, locutiones forenses essent tritae et usitatae, facile fieri potuit, ut cum verbo *ἐπόμνυσθαι* notionem sycophantiae, periurii et fraudis publicae coniungerent. Simile quid in scholio hoc, *τινὲς δὲ ἐπομνύμενόν φασι τὸ ὀμόσαι μὴ δικάσασθαι, καὶ παραβάντα τοὺς ὅρκους δικάσασθαι ὕστερον. ταῦτα δέ φησιν, ὡς τοῦ Νεοκλείδου διὰ κακουργίαν ταῦτα ποιοῦντος καὶ συκοφαντοῦντος ὑπὲρ τοῦ κερδαίνειν.* Similiter *ἀπόμνυσθαι* ab *ἐπόμνυσθαι* distinguitur ap. nostr. Nub. 1217. 1222. 1225. (Inv.) Sin autem in *ἐπόμνυσθαι* idem subest, quod in *ὑπόμνυσθαι*, nimirum evitandi iudicii causa morbum aut aliquid simile praetexere, et inde bona explicatio proficiscitur haec: *Sede nunc hic oblitus unguento iudicium derelinquens, nam satis excusationis habes in aucta lippitudine.*

722. *φιλόπολις, καθὸ τὸν λυμεῶνα τῆς πόλεως ἠμύνατο.* Schol. Laudat enim Deum, quippe a quo occoecatus sit Neoclides, rei publicae amantem et plebi amicum. Similiter haec vox infra 896. occurrit de sycophanta, qui ipse se vocat *φιλόπολιν*. Lysistr. 544. (Inv.) *αἷς ἔνι θράσος, ἔνι δὲ σοφόν, ἔνι φιλόπολις ἀρετὴ φρόνιμος.* — *τῷ Πλούτωνι*, duplex exstat explicatio, quamvis eo conveniant, Plutum intelligi. Alii enim per literarum assonantiam comice indicari putant Plutum; cui opinioni favet mos Aristophanis, quo et alias similes literarum lusus amat, ut Nubb. 712. (Inv.) *δακνοῦσί μ' οἱ Κορίνθιοι* pro *κόρεις*. In utroque vero loco altior quidem sensus lepide indicatur; illic simul Corinthiorum impetus Atheniensibus non minus molestus, quam homini defatigato et dormiendi cupido cimicum morsus; hic Plutus oculorum acie privatus tanquam Pluto apud inferos solis lumine orbatos. Quare huic explicationi me addico. Alii vero Plutonem et Plutum unum eundemque esse dicunt, quibus Plato in Cratyl. assentitur, quum etymologiam vocis *Πλούτων* statuit *τὴν τοῦ πλούτου δόσιν, ὅτι ἐκ τῆς γῆς ἀνίεται κάτωθεν.* Eadem de causa Plutus componi videtur cum Cerere et Proserpina, Thesmoph. 304. cf. Aeschyl. Sept. adv. Theb. 957. et quae ap. Pausan. IX. 23. 2. exstant. Deminutivum vero *Πλούτων* a *Πλοῦτος* esse, ut quidam cum scholiis volunt, vix est credibile. — *ἡμιτύβιον, ἀντὶ τοῦ σουδάριον ῥάκος ἡμιτριβὲς λινοῦν τι, οἷον ἐκμαγεῖον.* Schol. *λινοῦν ἔνδυμα ἢ σινδόνιον δίκροσσον* Hesych. Vox haec (*ἡμιτύβιον*), cuius formam nondum certe exploratam habemus, ab Aegyptiis manasse di-

ἐξηξάτην οὖν δύο δράκοντ' ἐκ τοῦ νεω
ὑπερφυεῖς τὸ μέγεθος.

ΓΥΝΗ.

ὦ φίλοι θεοί.

ΚΑΡΙΩΝ.

τούτω δ' ὑπὸ τὴν φοινικίδ' ὑποδύνθ' ἡσυχῇ
τὰ βλέφαρα περιέλειχον, ὥς γ' ἐμοὐδόκει·

729. *ἐξηξάτην* sine iota subscr. Dorv. Monac. edd. vett. false, quia ab *ἐξαΐσσω*, non ab *ἐξήκω*. *ἐξϊξάτην* Cant. 1. — *γοῦν* Cant. 3. — *δύω* Bar. 2. 3. — 731. *ὑπὸ τῇ* Cant. 1. — *ἡσυχῆ* sine iota subscr. Monac. Ven. 1. 2. Crat. Wech. Brub. — 732. *ὥς γέ μοι δοκεῖ* Harl. Bar. 1. 2. 3. Cant. 3. 4. Mead. *ὥς γ' ἐμοὶ δοκεῖ* Monac. B. D. Arund. Dorv. Ask. *ὡς ἐμοὶ δοκεῖ* Elb. Cant. 1. 2. *ὥς γέ μοι δοκεῖν* Ald. Iunt. 2. 3. Ven. 1. 2. Wech. Can. Frischl. Brub. Port. *ὥς γ' ἐμοὶ 'δόκει* Brunck. Invern. Pors. Crasin restitui Dindorfio duce.

citur. cf. Iablonsk. in Vocc. Aegypt. T. I. opusc. p. 79 sq.

726. *τὰ βλέφαρα περιέφησεν*, *βλέφαρα αἱ πτύχες τῶν ὀφθαλμῶν, ἤγουν τὰ ὀμματόφυλλα· βλεφαρίδες δὲ αἱ τρίχες αἱ ἐμπεφυκυῖαι τοῖς βλεφάροις.* Schol. — *φοινικίδι*, *πέπλῳ κοκκίνῳ.* Sch. Non *πέπλος*, sed *πτύγμα τι velamen aliquod purpureum* videtur fuisse, quo caput Pluti cinxerunt. — *ἐπόππυσεν*, *ἐσύρισεν, ἵνα οἱ δράκοντες ἐξέλθωσι δηλονότι.* Sch. Accuratius et distinctius interpretatur Eustath. p. 565. l. 10 sq. ad Il. ε. ad v. 408. (ed. Lips. p. 41. l. 18 sq.): *ὅτι παππάζειν μὲν ἐπὶ μόνων ἀνθρώπων, ποππύζειν δὲ καὶ ἐπὶ ἀλόγων· οὐ γὰρ μόνον τροφεῖς βρέφη, ἀλλὰ καὶ ἵππους καὶ βόας οἱ τημελοῦντες ποππύζουσι. καὶ ὅτι κολακεύειν τι ἐστὶ τὸ ποππύζειν καὶ πόππυσμα κολακεία ἵππων ἀδαμάστων.* Unde apparet *ποππύζειν* esse, animal aliquod vocis quadam imitatione adlectare. — *ἐξηξάτην οὖν δύο δράκοντ'*, *κοινῶς μὲν πᾶσι τοῖς ἥρωσι δράκοντες παρετίθεντο, ἐξαιρέτως δὲ τῷ Ἀσκληπιῷ. ἀνιέρωται δὲ ὁ δράκων τῷ Ἀσκληπιῷ, ἐπειδὴ τὸ γῆρας ἀποβάλλει, καὶ ἡ ἰατρικὴ δὲ φυλάττει φύσει τὸ νέον, ἐξωθοῦσα τὰ νοσήματα.* Sch. In nummis igitur serpentes Aesculapii comites conspiciuntur. Hippocrat. Epist. X. *εἵποντο δὲ αὐτῷ (τῷ Ἀσκληπιῷ) δράκοντες, χρῆμά τι ἑρπετῶν ὑπερφυές.* Quod illarum epistolarum nostrum locum imitatus scripsit. — *ἐξηξάτην*, *κανονίζεται ἀπὸ τοῦ αἴσσω, τὸ ὁρμῶ, ὁ μέλλων ἄξω. ὁ ἀόριστος ἤϊξα καὶ κράσει ἦξα, ὁ μέσος ἠξάμην, τὸ τρίτον τῶν δυϊκῶν ἠξάτην, ὡς ἐξηξάτην.* Schol. Non tironum causa haec ex scholiasta nimis curioso adscripsi, cum et viros doctos *ἐξήκειν* adeoque *ἐξάγεσθαι* cogitare animadvertissem.

730. *ὦ φίλοι θεοί*, *θαυμαστικόν.* Schol. Dixerim *φοβητικόν*, exclamatio mulieris perterritae, cum de serpentum adventu audiret. — *φοινικίδ' ὑποδύνθ' ἡσυχῇ*, *τὸ ὑποδύεσθαι κρύψιν τινὰ δηλοῖ καὶ αἰτιατικῇ συντάσσεται, οἷον τάφον ὑπέδυ, ἢ θάμνους ὑπέδυ.* Eustath. ad Od. ζ. 127. p. 1554, 54. Est enim clam se alicubi occultare, cum genitivo vero clam alicunde provenire, *ὑπεξέρχεσθαι.* — *πρίν σε κοτύλας ἐκπιεῖν οἶνον δέκα*, *σκώπτει τὰς γυναῖ-*

καὶ πρίν σε κοτύλας ἐκπιεῖν οἴνου δέκα
ὁ Πλοῦτος ὦ δέσποιν' ἀνεστήκει βλέπων·
ἐγὼ δὲ τὼ χεῖρ' ἀνεκρότησ' ὑφ' ἡδονῆς,
τὸν δεσπότην τ' ἤγειρον. ὁ θεὸς δ' εὐθέως
ἠφάνισεν αὑτὸν οἵ τ' ὄφεις εἰς τὸν νεών.
οἱ δ' ἐγκατακείμενοι παρ' αὐτῷ πῶς δοκεῖς
τὸν Πλοῦτον ἠσπάζοντο καὶ τὴν νύχθ' ὅλην

733. ἐκποιεῖν Dorv. Bar. 2. — 734. ἑστήκει Cant. 4. δέσποινά γ' ἑστήκει A. B. C. F. γ' εἰστήκει Bar. 2. 3. ἄγ' ἑστήκει Harl. — 735. τὴν χεῖρ' Monac. — 736. δ' ἤγειρον Crat. Ven. 1. 2. Wech. Can. Brub. Raph. γ' ἤγειρον Bar. 2. 3. δεσπότἤγειρον Cant. 3. — 737. ἑαυτὸν Bar. 2. 3. — εἶτ' pro οἵ τ' Elb. — ἐς Brunck. — 738. οἱ δὲ κατακείμενοι Dind. cum solo Elb., quoad scio. Quamvis vero hoc aegrotantium sit, neque tamen librum Elb. praeter ceteros negligenter scriptum tot librorum auctoritati praeferre debebam, praesertim quum ἐγκατ. aegrotos, qui vestibus et pannis involuti cubabant, indicare videatur.

κας ὡς μεθυούσας. (non universas, sed Chremyli uxorem.) δέον γὰρ εἰπεῖν, πρὶν εἰπεῖν σε λόγον ἕνα, ἤ τι τοιοῦτον πρὸς τὴν συνήθειαν, εἶπε, πρὶν ἐκπιεῖν κοτύλας οἴνου δέκα. εἶδος δὲ μέτρου ἡ κοτύλη, ὃ καλεῖται ἡμίξεστον. e schol. Perstringit Chremyli uxoris vinositatem, cum diceret decem pocula, non unum, nec aliis de rebus celeritatis notionem repeteret, sed de more bibendi. Ceterum κοτύλη modo universe dicitur *potus* aut *poculum*, ut Hom. Od. ρ. 12. δώσει δέ οἱ ὅς κ' ἐθέλῃσι πύρνον καὶ κοτύλην. modo *pocillum*, modo *metrum*, ut supra 431., quod scholiasta et hic indicat.

735. ἐγὼ δὲ τὼ χεῖρ' ἀνεκρότησα, videtur, ut Bergl. notat, imitari Euripidis nuntium Suppl. 721., qui: ἐγὼ δ' ἀνηλάλαξα, inquit, κἀνωρχησάμην κἄκρουσα χεῖρας. — ἀνεκρότησ' ὑφ' ἡδονῆς, ἀνατείνας ἔπληξα ὑπὸ χαρᾶς. e schol. Vox de applausu sollennis. cf. supra not. ad 685. — ἠφάνισεν αὑτόν, cf. supr. 430. ἀφανῆ ἑαυτὸν ἐποίησεν. Sch. — πῶς δοκεῖς, θαυμαστικὸν ἀντὶ τοῦ λίαν. Schol. Ita Acharn. 24. ἀλλ' ἀωρίαν ἥκοντες, εἶτα δ' ὠστιοῦνται πῶς δοκεῖς ἐλθόντες ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου, ἀθρόοι καταῤῥέοντες. Ran. 54. Quare miror, quod Matthiaeus in Eurip. Iphig. Aul. 1566. κἂν τῷδε Κάλχας πῶς δοκεῖς χαίρων ἔφη, aliter expressit, cum tamen Markland. et alii iam interpretati essent πῶς δοκεῖς χαίρων *summo gaudio affectus*. coll. Hippol. 445.

739. τὸν Πλοῦτον ἠσπάζοντο, ἐφιλοφρονοῦντο. κυρίως δὲ ἀσπάζεσθαί ἐστι τὸ περιπλέκεσθαί τινα, διὰ τὸ ἄγαν σπᾶσθαι εἰς ἑαυτὸν τὸν ἕτερον, καὶ περιβάλλειν τὰς χεῖρας ἐν τῷ φιλοφρονεῖσθαι. Schol. Quibus consentit Eustath. ad Il. κ. pag. 823, 8. et alias, verbum deducens a σπᾶσθαι cum ᾱ intensivo. Hic tamen, ut infra 748., de gratulatione et adulatione adhibitum est. cf. et supra not. ad 820. — ἐγρηγόρεσαν, ἔξυπνοι ἦσαν. Schol. ut Xenoph. Cyrop. I. 6. 19. Ergo: *insomnes erant, donec diluculum templum illustraret.* — ἕως διέ-

ἐγρηγόρεσαν, ἕως διέλαμψεν ἡμέρα.
ἐγὼ δ' ἐπῄνουν τὸν θεὸν πάνυ σφόδρα,
ὅτι βλέπειν ἐποίησε τὸν Πλοῦτον ταχύ,
τὸν δὲ Νεοκλείδην μᾶλλον ἐποίησεν τυφλόν.

ΓΥΝΗ.

ὅσην ἔχεις τὴν δύναμιν ὦναξ δέσποτα.
ἀτὰρ φράσον μοι, ποῦσθ' ὁ Πλοῦτος;

ΚΑΡΙΩΝ.

ἔρχεται.

742. Pors. et Brunck. cum Bar. 2. 3., qui *τὸν Πλοῦτον ἐποίησε* legunt, versum sic constituerunt: *ὅτι βλέπειν τὸν Πλοῦτον ̓ἐποίησεν* (*ἐπόησεν* Pors.) *ταχύ*. — 743. *τόν γε* Dorv. — *Νεοκλείδη* Brunck. Inv. Bo. tacite. — *μᾶλλον* om. Elb. — *ἐποίησε* Monac. et edd. vett. exc. Cas. Frischl. — 744. *ὦ 'ναξ* aut *ὦ ̓́ναξ* accentu omisso vel servato per aphaeresin libb. mss. et edd. fere omnes. — 745. *αὐτὰρ* Bar. 2. — *ποῦ 'σθ'* vulgo. — Post *Πλοῦτος* edd. vett. exc. Frischl. punctum.

λαμψεν ἡμέρα, non simpliciter pro *ἐξέλαμψεν*, ut Pac. 304. *ἡμέρα γὰρ ἐξέλαμψεν*, sed donec primi lucis radii templum intrarent eosque monerent, *ἐς ἠέλιον ἀναδύντα*. — *ἐπῄνουν*, *Ἀττικὸν τὸ ἐπῄνουν ἐπὶ τοῦ θεοῦ· κυρίως γὰρ ἐπὶ ἀνθρώπου*. Schol. Recte quidem, sed non vidit, in eo ipso vim quandam esse comicam, quod dicit, se probasse Dei facinus. — *πάνυ σφόδρα*, ut supra 25., ubi cf. quae de hac figura, quam *ἐκ παραλλήλου* vocant, dicta sunt.

744. *ὅσην ἔχεις κ. λ. ταῦτα ἡ γυνὴ τοῦ Χρεμύλου θαυμάζουσα τὸν θεόν*. Schol. Est enim exclamatio admirantis. Quare recte addit cod. Dorv. *βαβαί*, quod extra metrum in textu esse possit. Alias quidem in metro ponitur, ut Lysistr. 1081. (Inv.) *βαβαί· νενεύρωται μὲν ἥδε ξυμφορὰ δεινῶς*. Av. 610. *βαβαί· ὡς πολλῷ κρείττους οὗτοι τοῦ Διὸς ἡμῖν βασιλεύειν*. At *ὡς* et *ὅσος* saepe per se adhibentur in admiratione, ut Eurip. Hecub. 56. *ὦ μῆτερ, ὡς πράσσεις κακῶς, ὅσονπερ εὖ ποτ'!* — *ὦναξ δέσποτα*, *ἄναξ κυρίως θεία λέξις καὶ θεῶν ὀνόμασιν ἐπιτιθέμενον*, ex Eustath. ad Il. *β*. p. 182, 2. — *δεσπότης* vero proprie *τῶν ἀργυρωνήτων ἢ δούλων λέγεταί τις, ἀλλ' οὐδαμῶς τῆς γυναικὸς καὶ παίδων* (Eustath. p. 1754, 61.), aliquando vero et is dicitur *δεσπότης*, cui dominium aliquod aut regia vis est in homines. Unde et Aeschyl. Prometh. 931. *καὶ προσδοκᾶν χρὴ δεσπόσειν Ζηνός τινα;* Quare schol. ad nostrum locum adiicit: *βασιλεῦ Ἀσκληπιέ*. Sed simplicius hic versus explicari possit ex iis, quae supra 201. leguntur: *ὅπως ἐγὼ τὴν δύναμιν ἣν ὑμεῖς φατε ἔχειν με, ταύτης δεσπότης γενήσομαι*. Hinc mera potentiae notio proficiscitur, quae sufficit. — *ὄχλος ὑπερφυὴς ὅσος*, *θαυμαστικὸν τὸ ὅσος ἀντὶ τοῦ ὑπερφυῶς μέγας*. e schol. Sic *χρήματα ἔλαβε θαυμαστὰ ὅσα* Plat. Hipp. mai. p. 282. l. 27. Heliodor. VI. 8. *θυγατέρα ταυτηνὶ τὴν ἐμὴν ἁρμόζω Ναυσίκλειαν προῖκα ἐπιδιδοὺς πλείστην ὅσην*. Pariter *ἡλίκον* et *ὡς* adhibentur Demosth. pro Phorm. p. 605. l. 34. *φίλεργον δόξαι καὶ χρηστὸν εἶναι τὸν αὐτὸν θαυμαστὸν ἡλίκον*. Idem in Phi-

ἀλλ᾽ ἦν περὶ αὐτὸν ὄχλος ὑπερφυὴς ὅσος.
οἱ γὰρ δίκαιοι πρότερον ὄντες καὶ βίον
ἔχοντες ὀλίγον αὐτὸν ἠσπάζοντό καὶ
ἐδεξιοῦνθ᾽ ἅπαντες ὑπὸ τῆς ἡδονῆς·
ὅσοι δ᾽ ἐπλούτουν οὐσίαν τ᾽ εἶχον συχνὴν
οὐκ ἐκ δικαίου τὸν βίον κεκτημένοι,
ὀφρῦς συνῆγον ἐσκυθρώπαζόν θ᾽ ἅμα.
οἱ δ᾽ ἠκολούθουν κατόπιν ἐστεφανωμένοι,
γελῶντες, εὐφημοῦντες· ἐκτυπεῖτο δὲ

747. ὄντες a man. pr. om. Rav. — 748. ὀλίγον ἔχοντες Cant. 8. Idque numerosius. — 750. ὅσοι δὲ πλοῦτον prim. man. Cant. 2.; haud male. — δ᾽ εἶχον edd. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Raph. Invern. Dind. — 751. Versum hunc om. prim. man. Rav. — 752. ξυνῆγον Bar. 3. Brunck. Invern. Dind. Pors. — 753. ἐστεφανόμενοι Crat. Ven. 1. Wech. Raph.

lipp. I, p. 17. l. 32. γέλως ἔσθ᾽ ὡς χρώμεθα τοῖς πράγμασιν.

749. ἐδεξιοῦνθ᾽ ἅπαντες, ἤγουν ταῖς δεξιαῖς ἠσπάζοντο. Ὅμηρος (Il. κ. 542.)· „δεξιῇ ἠσπάζοντο ἔπεσσί τε μειλιχίοισιν.“ Schol. Ita Eustath. ad Il. p. 129, 12. δεξιοῦσθαι τὸ φιλοφρονεῖσθαι. κεφαλῆς δὲ οὐ τῆς ὅλης ἥπτοντο, ἀλλὰ τοῦ ἀνθερεῶνος καὶ τοῦ γενείου. ibid. pag. 234, 41. ἦν γὰρ ἡ δεξίωσις αὕτη καὶ τὸ δεξιοῦσθαι, ὡς ἐν Ὀδυσσείᾳ μάλιστα φαίνεται, σημεῖον φιλίας καὶ εἰς ἓν ἀποκαταστάσεως καὶ οἷον ἑνώσεως. Hic vero non a δεξιά, sed a δέχεσθαι derivatur. De verbo ἀσπάζομαι cf. 320. — οὐσίαν συχνήν, opponitur βίος ὀλίγος v. 746. — οὐκ ἐκ δικαίου, πόνου δηλονότι, ἀλλ᾽ ἐξ ἀδικίας τὸν βίον κεκτημένοι. Schol. Nam ἐκ cum genitivo adverbialiter sumitur, de quo usu cf. Viger. pag. 597., ita ut οὐκ ἐκ δικαίου sit ἐκ τοῦ ἀδίκου sive ἀδίκως.

752. ὀφρῦς συνῆγον, τοῦτο δεῖγμα κατηφείας. ἴδιον γὰρ τῶν λυπουμένων τὸ τὰς ὀφρῦς συνάγειν. Schol. Superciliorum enim motus sunt indices animi ira vel dolore commoti. ἐξ ὀφρύων καὶ γαλήνη προσώπου ἀναφαίνεται καὶ τὸ ἀνάπαλιν. τοξοποιεῖ γοῦν τὰς ὀφρῦς καὶ δεσμεῖ καὶ συνάγει ὁ σκυθρωπάζων. λέγει δέ που καὶ Σοφοκλῆς τό, „τηροῦντα τοὺς λέγοντας καὶ συνάγοντα τὰς ὀφρῦς καὶ τὰς ἀκάνθας ἐπεγείροντα.“ αἱ γὰρ ὀφρύες τοξοποιούμεναι καὶ συναγόμεναι χειμῶνα δηλοῦσι ψυχῆς. Eustath. ad Odyss. pag. 1538, 12. Ita Nub. 581. τὰς ὀφρῦς συνήγομεν κἀποιοῦμεν δεινά. Similiter Eurip. Iphig. Aul. 651. (638. Matth.) μέθες νυν ὀφρύν, ὄμμα τ᾽ ἔκτεινον φίλον. Quibus verbis filia moestum alloquitur patrem. Pluribus de superciliorum indicibus disseruit Lamb. in Comment. ad Horat. Epist. I. 18. 94. pag. 306. — ἐσκυθρώπαζον, ita Xenoph. Memor. II. 7. 12. ἱλαραὶ δὲ ἀντὶ σκυθρωπῶν ἦσαν καὶ ἀντὶ ὑφορωμένων ἑαυτὰς ἡδέως ἀλλήλας ἑώρων. Non apte comparant Homerica illa κάκ᾽ ὄσσεσθαι et ἀχρεῖον ἰδεῖν Hom. Il. β. 269., rectius comparari potuit ὑπόδρα ἰδεῖν, quod de iis occurrit, qui torve aliquem intuentur. Eustath. ad Il. p. 68;

ἐμβὰς γερόντων εὐρύθμοις προβήμασιν.
ἀλλ' εἴ' ἀπαξάπαντες ἐξ ἑνὸς λόγου
ὀρχεῖσθε καὶ σκιρτᾶτε καὶ χορεύετε·
οὐδεὶς γὰρ ἡμῖν εἰσιοῦσιν ἀγγελεῖ
ὡς ἄλφιτ' οὐκ ἔνεστιν ἐν τῷ θυλάκῳ.

ΓΥΝΗ.

νὴ τὴν Ἑκάτην, κἄγωγ' ἀναδῆσαι βούλομαι

755. δ' ἐμβὰς Monac., qui versus temere turbans has voces in fine posuit. — εὐρίθμοις Dorv. — ἐν supra εὐρύθμοις secund. man. Cant. 2. 756. εἶ Monac. εἶα Crat. Ven. 1. 2. Wech. — ὑφ' ἑνὸς Cant. 3. Malim ἐξ ἑνὸς λόγου, ut ἐκ παρασκευῆς composito, et ἐξ ἑτοίμου promte adverbii loco adhibentur. — 758. ὑμῖν Monac. D. F. Elb. Harl. Dorv. Bar. 1. 2. Cant. 1. 2. Brunck. Inv. Dind. Bo. — εἰσιοῦσιν ἀγγελεῖ ἡμῖν Bar. 3. εἰσιοῦσιν ἡμῖν ἀγγελεῖ B. — 759. ἔστιν Harl. — 760. μὰ τὴν C. — κἀγώ γ' cod. Monac. ed. Port. κἀγώγ' cett. edd. vett. et Inv. κἀγωδ' Pors. κἄγωδ' Rav. κἀγὼ δ' Cant. 3.

80. ὅτι τὸ ὑπόδρα ἰδὼν ἀντὶ τοῦ δραστικὸν καὶ δριμύ, μάλιστα δὲ ἀντὶ τοῦ ὑποβλεπτικῶς. Ita Eurip. Med. 274. σέ, τὴν σκυθρωπὸν καὶ πόσει θυμουμένην, Μήδειαν εἶπον τῆσδε γῆς ἔξω περᾶν φυγάδα.

754. ἐκτυπεῖτο δὲ ἐμβὰς γερόντων. Ita Hom. Od. θ. 264. πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν, αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς μαρμαρυγὰς θηεῖτο ποδῶν, θαύμαζε δὲ θυμῷ. Quod verbum κτυπεῖν attinet, cf. Eurip. Med. 1180. ἅπασα δὲ στέγη πυκνοῖσιν ἐκτύπει δρομήμασιν. Eurip. Orest. 140. μὴ κτυπεῖτε, μηδ' ἔστω κτύπος. Aeschyl. Prometh. 133. κτύπου γὰρ ἀχὼ χάλυβος διῇξεν ἄντρων. Hom. Od. κ. 227. δάπεδον δ' ἅπαν ἀμφιμέμυκεν. Nec abs re, quod ibid. ρ. 261. περὶ δέ σφιας ἤλυθ' ἰωὴ φόρμιγγος γλαφυρῆς. — ἐμβάδες, cum aliorum, tum maxime senum calcei, ut Ecclesiaz. 633. (664. Inv.), si quidem verum est quod Faber de illo loco docet. Nihil tamen hic refert, quid genus calceorum illud fuerit; viriles fuisse constat ex Ecclesiaz. 47., quibus et iudices utebantur, Vesp. 1149. ἐμβάδες κατάρατοι. Quid multa! ἐμβὰς ἐκτυπεῖτο εὐρύθμοις προβήμασιν est: pedes senum saltando effecerunt strepitum. — εὐρύθμοις προβήμασιν, εὐτάκτοις προκοπαῖς. Schol.

756. ἀλλ' εἶ' ἀπαξ. κ. λ., similiter supra 255. et 288. — Verba sequentia sic distinguuntur, ut ὀρχεῖσθαι significet saltationem, quae fiat cum laetitia et sit numerosa, σκιρτᾶν saltare temere, χορεύειν chorum agere et in orbem saltare. De χορεύειν cf. Thesmoph. 963. κοῦφα ποσὶν ἄγ' εἰς κύκλον, χειρὶ σύναπτε χεῖρα, ῥυθμὸν χορείας ὕπαγε πᾶσα. cf. et infra 973. — ὡς ἄλφιτ' οὐκ ἔνεστιν ἐ. τ. θ. locutio proverbialis de iis usurpata, qui non habent, unde vivant. Nam ἄλφιτα a scholiasta per ἄρτοι, et θύλακος per ἀρτοθήκη redditur, in cavendum, ne θύλακος pro cista capias, cum fuerit portabilis, ut docent composita, quae Hesych. p. 1741. numerat; nimirum saccus scorteus. Aliud huic non dissimile proverbium profert Eustath. ad Od. κ. pag. 1646, 19.

εὐαγγέλιά σ' ἐν κριβανωτῶν ὁρμαθῷ,
τοιαῦτ' ἀπαγγείλαντα.

ΚΑΡΙΩΝ.

μή νυν μέλλ' ἔτι,
ὡς ἅνδρες ἐγγύς εἰσιν ἤδη τῶν θυρῶν.

ΓΥΝΗ.

φέρε νυν ἰοῦσ' εἴσω κομίσω καταχύσματα

761. *σ' ἐκ κριβανωτῶν* Harl. Cant. 1. Arund. Bar. 1. Borg. schol. pr. var. lect. Iunt. 1., idque Hemsterh. placuit. *σ' ἐν κριβανωτῷ ὁρμαθῷ* B. D. Ask. Cant. 3. 4. Monac. (sine iot. subscr.) *κριβανιτῶν* Canin. Frischl. Elmsl. ad Acharn. 1123. ubi tamen argumenta, e quibus haec scriptura vera sit, desiderantur. *σὲ κριβανιτῶν ὁρμαθῷ* Rav. Inv. *σ' ἐν κλιβάνῳ τῶν ὁρμαθῶν* C. — 762. *ἐπαγγείλαντα* Arund. — *μὴ νῦν* Monac. Dorv. Iunt. 1. Port. *μὴ νῦν μὴ μέλλ'* Cant. 3. — 763. Cum Pors. et Dind. rescribendum fuit *ἅνδρες*, vulgo *ἄνδρες*. — 764. *νῦν* Monac. Dorv. edd. vett. Brunck. Invern. — *τὰ καταχύσματα* Monac. Cant. 3. 4. Harl. Bar. 1. 2. 3. Ask. Suid. h. v. — *εἰσιοῦσ' εἴσω κομίσω τὰ καταχ.* Cant. 3.

ἀεί ποτ' σὺ μὲν ἀσκὸς σὺ δὲ θύλακος ἀνθρώποις ἐστί· δι' ἧς (παροιμίας) ἔοικε δηλοῦσθαι τὸ τοῦ βίου ἐπαμφοτερίζον.

760. *νὴ τὴν Ἑκάτην.* Per Hecaten iurat, cuius coena, de qua vid. not. ad 590. et 592., Chremyli uxori adhuc fuit cara. Sed alias quoque haec obtestandi formula mulieribus familiaris est, id quod scholiasta hic notare voluit dicens: *καθὰ γυνὴ τὴν Ἑκάτην ὀμνύει.* Thesmoph. 864. (Inv.) Ecclesiaz. 70. — *ἀναδῆσαι βούλομαι εὐαγγέλιά σε*, h. e. *δι' εὐαγγέλιά σε στεφανῶσαι.* Rerum laetarum nuntii aut coronati incedebant, ut Aeschyl. Agam. 504. Sophocl. Trachin. 179., aut coronas acceperunt ab iis, quibus nuntii venerant. — *ἐν κριβανωτῶν ὁρμαθῷ*, ubi praepositio *ἐν* abundat, ut alias v. c. Av. 1742. (Inv.) ibid. 906. De sensu schol. sic: *κριβανωτῶν ὁρμαθῷ ἀντὶ τοῦ, ἄρτων δέσμῃ ἐν κριβάνῳ ὠπτημένων, δέον εἰπεῖν στεφάνῳ.* cf. de h. usu praepos. *ἐν* Bernhardy wissenschaftl. Syntax p. 213. Quae corona Carioni ubivis in hac fabula edendi cupido et ligurritori certe aptissima. Similiter *ἰσχάδων ὁρμαθὸς* Lysistr. 650. (643. Inv.), *ὁρμαθὸς ἐρώτων* Anacr. XXXII. 11. *ὁρμαθοὶ τῶν ἁμαξῶν* Xenoph. Cyrop. VI. 3. 1. *ὁρμαθὸς χορευτῶν* Plat. Ion. p. 536. De forma *κρίβανος*, quae apud Aristophanem dominatur, cf. Phrynich. p. 179. (ed. Lobeck.), ubi haec: *κλίβανος οὐκ ἐρεῖς, ἀλλὰ κρίβανος διὰ τοῦ ρ̄. διὰ τὸ δοκεῖν τὴν πρώτην τῶν ἀνθρώπων τροφὴν εἶναι κριθάς.* Schol. h. l. simile quid voluit, cum diceret: *κρίβανος δὲ παρὰ τὸ κρῖ καὶ τὸ βαῦνος.* Eandem etymologiam Eustath. tuetur p. 1511, 12., alias *κριθῆς βαῦνος* substitutis p. 132, 31.

764. *φέρε νυν ἰ. εἴσω κομ. καταχύσματα κ. λ.* locutiones e moribus petitae, quibus utebantur Graeci in servis novitiis excipiendis. Schol. h. l. haec tradit: *σύγκειται δὲ τὰ καταχύσματα ἀπὸ φοινίκων, κολλύβων, τρωγαλίων,*

ὥσπερ νεωνήτοισιν ὀφθαλμοῖς ἐγώ.

ΚΑΡΙΩΝ.

ἐγὼ δ' ἀπαντῆσαί γ' ἐκείνοις βούλομαι.

ΚΟΜΜΑΤΙΟΝ ΧΟΡΟΥ.

ΠΛΟΥΤΟΣ.

καὶ προσκυνῶ γε πρῶτα μὲν τὸν Ἥλιον,

765. *ἐγὼ* om. Dorv. eaque vox sic posita nonnullos defendit, nisi de consilio et vi quadam in fine versus huius et alterius initio posita est. Facile succurrit *ἔπι* pro *ἐγώ*, si quidem lectio non integra videtur. — 766. *ὑπαντῆσαι* Monac. Cant. 4., at minus apte, qui hoc est *obviam fieri*, illud *obviam ire*. — Post versum 766. chori canticum excidisse testatur scholiasta ad v. 641. (Dind.): *ἐνταῦθα γάρ*, inquit, *χοροῦ τι μέρος ὤφειλε θεῖναι καὶ διατρῖψαι μικρόν, ἄχρις ἂν ὁ Καρίων ἐκείνοις συμμίξειεν*. Quare et in libb. plur. exstat *κομμάτιον χοροῦ* pro titulo, ut in Rav. Cant. 2. edd. Ald. Iunt. 1. 2. 3. Crat. Ven. 1. 2. Wech. Canin. Frischl. Brub. Raph. Port. Pors.

ἰσχάδων καὶ καρύων, ἅπερ ἥρπαζον οἱ σύνδουλοι. κυρίως δὲ ἐλέγοντο, ὅταν δούλους ἠγόραζον. ἔφερον γὰρ αὐτὸν ἐπὶ τὴν ἑστίαν, καὶ καθίζοντες κατὰ τῆς κεφαλῆς κατέχεον κόλλυβα, καὶ ἰσχάδας καὶ φοίνικας, καὶ τρωγάλια ἄλλα, καὶ τραγήματα. καὶ οἱ σύνδουλοι ταῦτα ἥρπαζον. ἐλέγοντο οὖν ταῦτα καταχύσματα. τοὺς οὖν ὀφθαλμοὺς τοῦ Πλούτου διὰ τὸ νεωστὶ βλέψαι ὑπὸ Χρεμύλου, ὡς ἐπὶ δούλου νεωνήτου εἰληφώς, τὰ καταχύσματα εἶπεν. Simili ritu nuptias celebrantes excipiebantur. Hera ad servum loquitur locutionibusque utitur, quae desumtae sunt ab rebus huic usitatis. Dicere vult: *age, Plutum nostrae familiae novum socium excipiamus solenniter;* hoc dicturae mentem subeunt notiones consuetudinis servos in domum recipiendi. Quare dicit: „*age, bellaria* (*καταχύσματα*) *subito afferam et oculis recens emtis* (homini cui visus restitutus est) *infundam.*“ Quae tamen cuique, cui non tritae sunt istae notiones, videbuntur frigidiora. — *νεωνήτοισιν ὀφθαλμοῖς, δέον εἰπεῖν δούλοις, ὀφθαλμοῖς εἶπεν, διὰ τὸ ἀναβλέψαι τὸν Πλοῦτον.* Schol. Est metaphora nobis certe, non Graecis dura; non minus duras locutiones cf. supra 32. 275. Sunt igitur *ὀφθαλμοὶ νεώνητοι oculi recens parti*, *ὀφθαλμοὶ νεωστὶ* (ut Eurip. Hecub. 618. *οἱ νεωστὶ δεσπόται*), quae metaphorica locutio praecedentis verbi causa fuit.

767. Prima haec Pluti oratio tragicum tenorem sapit. — *καὶ προσκυνῶ γε πρῶτα*, ut in adorationibus a primario exordiri solent, Sophocl. Oed. Tyr. 159. *πρῶτά σε κεκλόμενος θύγατερ Διὸς ἄμβροτ' Ἀθάνα κ. λ.* Nam *πρῶτα* est *ante omnia*; *προσκυνεῖν* vero, ut Eustath. ad Odyss. p. 1546, 15. docet, *τὸ φιλεῖν καὶ συμβολὴν χειλέων δηλοῖ*, adiuncta tamen notione vel procumbendo precandi vel gratias referendi. Ita in Equitt. 156. *ἔπειτα τὴν γῆν πρόσκυσον καὶ τοὺς θεούς.* ad Homeri (Od. ε. 463.) morem dictum *κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν.* Solem vero ante omnia veneratur, quia nunc multo post tempore suavem eius lucem denuo conspicere laetatur. — *Παλ-*

ἔπειτα σεμνῆς Παλλάδος κλεινὸν πέδον,
χώραν τε πᾶσαν Κέκροπος, ἥ μ' ἐδέξατο.
αἰσχύνομαι δὲ τὰς ἐμαυτοῦ ξυμφοράς,
οἵοις ἄρ' ἀνθρώποις συνὼν ἐλάνθανον·
τοὺς ἀξίους δὲ τῆς ἐμῆς ὁμιλίας
ἔφευγον, εἰδὼς οὐδέν, ὁ τλήμων ἐγώ.
ὡς οὐδ' ἐκεῖν' ἄρ', οὐδὲ ταῦτ' ὀρθῶς ἔδρων·

768. *κλεινὸν τόπον* Cant. 3. *σεμνὸν πέδον* Dorv. *κλεινὴν πόλιν* Steph. Byz. in v. *Ἀθῆναι*, quod Dukero et Bentleio iam placuit, Porson vero in textum recepit. *κλεινὸν πόλιν* Dind. error. typograph. ut videtur. *κλεινὸν πέδον* cett. libb. omn., ad quos accedit et Monac. — 770. *τὴν ξυμφορὰν* Bar. 3. *συμφορὰς* Elb. Dorv. Harl. Cant. 3. Bar. 1. 2. Invern. Dind. — 771. *ἀνθρώποισι* Monac. Elb. — *ἐλάνθανεν* Mead. — *ξυνὼν* vulgo. — 773. *ὁ τλήμων* edd. vett. et codd. plerique, in quibus Rav. Borg. Monac. Mead. Ask. In cod. Dorv. pr. man. *ὢ* mutavit in *ὁ*, in cod. E. contra altera man. *ὁ* in *ὢ*. Hemsterh. probat *ὢ*, quod Pors. et Dind. post in textum receperunt. Metro certe aptius est *ὢ*, quam Grammaticae legibus. — 774. *οὐδ' ἐκεῖν' ἄρ' οὔτε* Invern. vitiose; si partes aeque negatae paullo longius distant, fit aliquando, ut οὔτε et οὐδὲ sibi respondeant. Xenoph. Memorab. II. 6. 19. *ὡς δ' ἐκεῖν' ἄρ' οὐδὲ* Ask. *οὔτ' ἐκεῖν' ἄρ' οὔτε* coniec. Dobr. et recep. Dind.

λάδος *κλεινὸν πέδον*, urbem Athenas, alterum, quod sequitur, Atticam indicat. Eurip. Ion. 30. λαὸς *κλεινῶν Ἀθηνῶν*, de quo Minerva ipsa in ead. fabul. 1578. *οἳ σκόπελον ναίουσ' ἐμόν*. Sophocl. Aiac. 846. (Herm.) *ὦ γῆς ἱερὸν οἰκείας πέδον Σαλαμῖνος, ὦ πατρῷον ἑστίας βάθρον, κλειναί τ' Ἀθῆναι κ. λ.* Aristoph. Fragm. Agricol. 8. *ὦ πόλι φίλη Κέκροπος, αὐτοφυὲς Ἀττική, χαῖρε λιπαρὸν δάπεδον, οὖθαρ ἀγαθῆς χθονός*. Ubi *δάπεδον* idem est, atque nostro loco *πέδον*. — *χώραν τε πᾶσαν Κέκροπος*, ut Eurip. Ion. 1571. *Κεκροπία χθών*. *φυλὴ Κεκροπὶς* Av. 1415. (Inv.) *λιπαρὰν χθόνα Παλλάδος εὔανδρον γᾶν Κέκροπος πολυήρατον* Nub. 300. (Reisig.) Quamvis Kuster. ad Thesmoph. 115. Hemsterh. ad Lucian. T. I. p. 87. Valckenar. ad Phoeniss. 6. Markland. ad Suppl. 2. et alii docuerint, vocabula *χθών*, *γῆ*, imo et *νῆσος* haud raro induere *urbis* significationem, hic tamen terram urbi oppositam esse crediderim eo magis, quod Seidlerum de hac re dubium adhuc video ad Eurip. Troad. 4. — *οἵοις ἄρ' ἀνθρ.* Inest in *οἵοις* quaedam notionis attractio. Vult enim hoc: *Pudet me miseriae meae quod cum talibus* (tam turpibus) *hominibus consuetudinem habebam inscius.* Quare haud male scholiasta: *θαυμαστικὸν ἀντὶ τοῦ κακοῖς, ἀδίκοις*. Lucian. Tim. *ἄνω καὶ κάτω πλανῶμαι περινοστῶν, ἄχρις ἂν λάθω τινὶ ἐμπεσών.* Quod idem Plutus dicit. Ita *λανθάνειν* cum partic. poni solet: Xenoph. Memorab. I. 2. 34. *ὅπως μὴ δι' ἄγνοιαν λάθω τι παρανομήσας* h. e. ne in re aliqua inscius peccem. Eurip. Iphig. Aul. 363. *κᾆθ' ὑποστρέψας λέληθας.* Sed nexus totius senten-

ἀλλ᾽ αὖτὰ πάντα πάλιν ἀναστρέψας ἐγὼ
δείξω τολοιπὸν πᾶσιν ἀνθρώποις ὅτι
ἄκων ἐμαυτὸν τοῖς πονηροῖς ἐνεδίδουν.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

βάλλ᾽ ἐς κόρακας· ὡς χαλεπόν εἰσιν οἱ φίλοι
οἱ φαινόμενοι παραχρῆμ᾽ ὅταν πράττῃ τις εὖ.

775. *ἀλλ᾽ αὖ τὰ πάντα* coniec. Bentl. ediderunt Hemst. Brunck. Invern. *ἀλλὰ ταὐτὰ* Dorv. *πάντα* om. Harl. Bar. 1. 2. — *ἀνατρέψας* Elb. — 776. *τὸ λοιπὸν* Pors. Dind. *ὑφὲν* habent cett. libb., in quibus et Monac. — 777. *πονηροῖσιν ἐδίδουν* F. haud male; sic enim verbum simplex adhibetur, compositi similem usum non reperi. — 778. *βάλ᾽* Cant. 1. 2. Elb. F. — 779. *ὀσφραινόμενοι* coniec. Hemsterh. ad Lucian. Tim. p. 159. haud male nec sine quadam verisimilitudinis specie; quum Lucianus in Timone saepius respiciat ad Aristophanis Plutum, et Aristophanes hoc verbo alias pariter utatur. — *τίς* Monac. Ven. 2. *τὶς* Ald. Iunt. 1. Crat. Ven. 1. Wech. Canin. Frischl. Brub. Raph.

tiae hic: *αἰσχύνομαι τὰς ἐμαυτοῦ ξυμφοράς, ὅτι τοιούτοις ἀνθρώποις συνὼν ἐλάνθανον.* Non opus fuit, ut scholiasta ad *ἐλάνθανον* adderet *ἐμαυτόν*, quia hoc verbum, ut loca laud. docent, in hac constructione iam in se vim habet reciprocam in subiectum.

773. *ὁ τλήμων ἐγώ.* ut 1097. et Ran. 40. *ὁ παῖς.* Nominat. pro vocat. Quare vulgata *ὁ τλήμων ἐγώ* tenenda fuit. Pro more poetarum Atticorum dicendum fuisset *ὦ τλῆμον*, ut Eurip. Med. 1296. *ὦ τλῆμον, οὐκ οἶσθ᾽ οἷ κακῶν ἐλήλυθας, Ἰᾶσον.* Pariter Eurip. Hecub. 705. 758. etc. Ceterum exclamatio in fine sententiae hic non necessaria est. — *ὡς οὐδ᾽ ἐκεῖν᾽ οὐδὲ ταῦτα, οὔτε φεύγων τοὺς ἀγαθούς, οὔτε μεταδιώκων τοὺς φαύλους.* Schol. Quum enuntiationis partes negentur, non singula vocabula; non opus est coniectura, quae primo adspectu magnam veri speciem prae se fert (*οὔτε — οὔτε*). — *ἀλλ᾽ αὐτὰ πάντα*, mihi Bentleii coniectura *ἀλλ᾽ αὖ τὰ πάντα πάλιν*, quae Hemsterh. et Brunckio satisfecit, prorsus displicet, quia in adverbio *πάλιν* hic nulla vis est, ut alias ubi synonyma cumulantur, cf. not. ad 618. Vis est in *ἀναστρέψας*, quod schol. recte interpretatur per *εἰς τὸ ἐναντίον μεταβαλών*.

778. *βάλλ᾽ ἐς κόρακας*, mala imprecandi formula, de qua vid. 390. 600. *δηλοῖ δέ*, ut schol. h. l. monet, *τὸ ῥίψον ἑαυτὸν εἰς φθοράν. ὁ γὰρ Χρεμύλος ἀγανακτεῖ πολλῶν αὐτὸν ἀσπαζομένων καὶ περιεχόντων, οἵτινες πρότου οὐδὲ ἑώρων αὐτὸν πένητα ὄντα, νυνὶ πλουτήσαντα κολακεύουσιν.* Schol. — *ὡς χαλεπόν εἰσιν οἱ φίλοι.* Ita Xenoph. Anab. *τοὺς δὲ ποταμοὺς ἄπορον νομίζετε εἶναι.* idem Memorab. II. 3. 1. *οἱ χρησιμώτερον νομίζουσι χρήματα ἢ ἀδελφούς.* Eurip. Phoeniss. 355. *δεινὸν γυναιξὶν αἱ δι᾽ ὠδίνων γοναί.* De re cf. Lucian. Timon. c. fin. — *νύττουσι γὰρ κ. φλ. τἄντ.*, si verba propriis suis significationibus sumis, nulla difficultas est. Adulatorum tanta multitudo Chremylum subito ditatum cingebat, ut

νύττουσι γὰρ καὶ φλῶσι τἀντικνήμια,
ἐνδεικνύμενος ἕκαστος εὔνοιάν τινα.
ἐμὲ γάρ τίς οὐ προσεῖπε; ποῖος οὐκ ὄχλος
περιεστεφάνωσεν ἐν ἀγορᾷ πρεσβυτικός;

ΓΥΝΗ.

ὦ φίλτατ' ἀνδρῶν, καὶ σὺ καὶ σὺ χαίρετον.

780. *φλῶσιν* Iunt. 2. 3. — *τ' ἀντικνήμια* Frischl. — 781. *ἐνδεικνύμενοι* Monac. Cant. 4. Mead. Ask. edd. vett. Brunck. Inv. *ἐνδεικνύμενοί γ'* coniec. Bentl., quae tamen coniectura Bentleio vix digna videtur. — 783. Edd. vett. except. Canin. et Frischl. in fine punctum. — 784. *χαίρετε* Rav. Borg. Cant. 1. 2. 3. 4. Monac. Arund. Ask. Dorv. edd. vett. Invern. — Post *ἀνδρῶν* Chremyli personam ponit Cant. 4.

salutandi et gratulandi cupidi se ipsos et una novum Croesum tundendo laederent et tibias quidem, quippe quae laesae maxime doleant, pedibus imprudentes et inviti ferirent. Ridiculum fere videtur, quod nonnulli cum Casaubono ad Theophr. Charact. p. 316. de fricandi quodam more cogitabant, qui ab hoc loco longe alienus est. Nos fortasse diceremus: „*Die Hühneraugen treten sie im Drang' dir ab; Da jeder seiner Freundschaft Zeichen geben will.*"

782. *ἐμὲ γάρ τίς οὐ προσεῖπε;* est interrogatio exclamationi affinis, qua alacriter per *τίς οὐ* exprimitur *πάντες*, ut per *ποῖος οὐκ ὄχλος* fere *συχνὸς ὄχλος* sive *ὄχλος ὑπερφυὴς ὅσος*, ut supra 746. Aliter se habet simplex et vera interrogatio *τί οὔ;* quae aviditatem sciendi exprimit et pro imperativo vividiore interdum capi potest. De qua cf. Heind. ad Plat. Charmid. §. 5. Gorg. §. 126. §. 139. — *ὄχλος πρεσβυτικός*, similiter supra 270. *πρεσβυτικὰ κακά.* Sic Homer. *γυναικείας διὰ βουλάς.* Hom. Od. α. 5. *νόστιμον ἦμαρ.* Eurip. Med. 1299. *παῖδες τεθνᾶσι χειρὶ μητρῴᾳ.* Eur. Hec. 123. *Ἀχίλλειος τύμβος.* — *περιεστεφάνωσεν*, *ἐτίμησεν* schol. Memorabile est, et Euripid. scholiastam ad Hecub. 123. *στεφανοῦν* explicare *τιμᾶν*, *ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν νικώντων καὶ ἐστεφανωμένων.* Legitur enim in Hecub. 123. *τὸν Ἀχίλλειον τύμβον στεφανοῦν αἵματι χλωρῷ.* Metaphora quidem certa est, sed indicat honoris causa aliquem cingere, non simpliciter cingere, s. *κύκλῳ καὶ περὶ αὐτὸ εἶναι*, ut Eustath. ad Il. λ. pag. 828, 49. dicit, ut Hom. Od. κ. 195. *εἶδον νῆσον, τὴν πέρι πόντος ἀπείριτος ἐστεφάνωται.* Qualis quodammodo Protagoras conspicitur ap. Plat. Protag. p. 314. e. *ἐπειδὴ δὲ εἰσήλθομεν, κατελάβομεν Πρωταγόραν ἐν τῷ προστόῳ περιπατοῦντα, ἑξῆς δ' αὐτῷ συμπεριεπάτουν κ. λ.* et paullo post: *τοῦτον τὸν χορὸν μάλιστα ἔγωγε ἰδὼν ἥσθην ὡς καλῶς εὐλαβοῦντο μηδέποτε ἐμποδὼν ἐν τῷ ἔμπροσθεν εἶναι Πρωταγόρου, ἀλλ' ἐπειδὴ αὐτὸς ἀναστρέφοι — ἐν κύκλῳ περιϊόντες ἀεὶ εἰς τὸ ὄπισθεν καθίσταντο κάλλιστα.*

784. *ὦ φίλτατ' ἀνδρῶν, καὶ σὺ καὶ σύ*, Plutum primum salutat, ad quem et priora *καὶ σὺ* spectant, posteriora *καὶ σὺ* ad Chre-

φέρε νυν, νόμος γάρ ἐστι, τὰ καταχύσματα
ταυτὶ καταχέω σου λαβοῦσα.

ΠΛΟΥΤΟΣ.

μηδαμῶς.
ἐμοῦ γὰρ εἰσιόντος εἰς τὴν οἰκίαν·
πρώτιστα καὶ βλέψαντος οὐδὲν ἐκφέρειν
πρεπῶδές ἐστιν, ἀλλὰ μᾶλλον εἰσφέρειν.

785. φέρε νῦν Iunt. 2. 3. Ven. 1. 2. Raph. Port. Frischl. Brunck. Invern. et cod. Monac. — 786. Post λαβοῦσα interrogant Ald. Ven. 1. 2. Wech. Frischl. Brub. Raph. — 787. ἐς Brunck. — 789. ἐστιν om. Cant. 4.

mylum, ita ut laetitiae plena uxor ab uno ad alterum se convertat salutatum. Sic scholiasta, Suidas et interpretum recentiorum prudentiores hunc versum intelligunt. Alterum καὶ abesse potuit, si tranquilliore animo ficta esset mulier; nam copula iterata hic affectum indicat. Oratio sedatior usurpasset σύ, καὶ σύ, ut Eurip. Med. 1129. ἦν πολὺς λόγος σὲ καὶ πόσιν σὸν νεῖκος ἐσπεῖσθαι τὸ πρίν. — νόμος γάρ ἐστι, non indicat, *ut moris est*, sed *ut par est* s. *ut decet*. Nusquam enim comperi Graecos amicis, qui domum primum intrabant, bellaria sparsisse; sparserunt vero, ut supra dixi 764., sponso et sponsae domum intrantibus. De quo cf. Harpocrat. sub voce καταχύσματα. Vult igitur Chremyli uxor, ut Plutus inusitata et solenni ratione excipiatur, ut fieri deceat, quia Deus domum locupletaturus veniat. Quare νόμος ἐστὶ pro θέμις ἐστὶ capi potest. Id quoque manifestum fit Pluti responso, quo opponit οὐ πρεπῶδές ἐστιν. Nam bellaria intus ad focum spargebantur, ut diserte addit ἔνδον παρὰ τὴν ἑστίαν, ὥσπερ νόμος. Sed hoc quoque vulgarem illum morem innuit, non amicorum consuetudinem.

787. In verbis εἰσιόντος et βλέψαντος nullum est ὕστερον πρότερον sive πρωθύστερον, ut gl. Dorv. vult. Nam καὶ non est mera copula sed gradationem exhibet, καὶ βλέψαντος *et quidem quum oculorum aciem recepissem*. Quam vim particula καὶ et in illis formulis habere videtur, in quibus abundare putatur, ut: πολλοὶ κἀγαθοὶ Pac. 966. πολλοὶ καὶ δυνατοί, πολλοὶ καὶ σεμνοί, quae valent non *multi potentes*, sed multi (et quidem) iique potentes. Adeo in trita illa formula καλοὶ κἀγαθοὶ copula maiorem vim habere videtur, ac vulgo tribuitur. Nam καλὸς ad corporis ἀγαθὸς ad animi praestantiam pertinet. Xenoph. Memor. II. 6. 30. Pariter se habet hic usus apud Romanos, ut Horat. Sat. II. 3. 9. *voltus multa et praeclara minantis*. — ἀλλὰ μᾶλλον εἰσφέρειν, ἤγουν ἀλλὰ μᾶλλον πρεπῶδές ἐστιν εἰσφέρειν τι. — παρὰ τὴν ἑστίαν, cf. supra 764. πρὸς τὸ ἔθος, ὅτι παρὰ τὴν ἑστίαν ἐποίουν τὰ καταχύσματα. Schol.

ΓΥΝΗ.

εἶτ' οὐχὶ δέξει δῆτα τὰ καταχύσματα;

ΠΛΟΥΤΟΣ.

ἔνδον γε παρὰ τὴν ἑστίαν, ὥσπερ νόμος·
ἔπειτα καὶ τὸν φόρτον ἐκφύγοιμεν ἄν.
οὐ γὰρ πρεπῶδές ἐστι τῷ διδασκάλῳ
ἰσχάδια καὶ τρωγάλια τοῖς θεωμένοις

790. δέξῃ Monac. et edd. vett. — ταῦτα pro δῆτα Monac. Arund. Ask. Dorv. Cant. 1. 3. 4. pr. man. Cant. 2. Thom. Mag. et edd. vett. except. Iunt. 1., quae ταυτὶ habet.

792. ἔπ. καὶ τὸν φόρτον ἐκφύγ. ἄν. Ad hunc locum pertinere videtur, quod Eustath. ad Hom. Od. γ. 309. pag. 1469, 47. (ed. Lips. p. 129, 25 sq.) profert: ἰστέον δὲ ὅτι τε τὸ τῆς νηὸς ἄχθος φόρτος ἐλέχθη τοῖς ὕστερον, καὶ ὅτι ὁ αὐτὸς φόρτος καὶ γόμος λέγεται. καὶ ὅτι φόρτος μεταφορικῶς καὶ ἡ ἐπὶ πράγματί τινι φορτικότης λέγεται. χρῆσις δὲ αὐτοῦ παρὰ τῷ κωμικῷ. Scholiasta per μέμψιν et κατηγορίαν explicat. Significat enim φόρτος res molestas, quae spectantibus nauseam efficiunt, et ineptas. Ita Pac. 749. τοιαῦτ' ἀφελὼν κακὰ καὶ φόρτον, καὶ βωμολοχεύματ' ἀγεννῆ. Quibus verbis Cratini et Eupolidis fabulas perstringit ineptas; nam et ipsa fabula molesta et inepta dicitur φορτικὴ Vesp. 66. ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν λογίδιον γνώμην ἔχον, κωμῳδίας φορτικῆς σοφώτερον. et qui tales fabulas male iudicabant ἄνδρες φορτικοὶ Nub. 523. (Reisig.) — οὐ γὰρ πρεπ. ἐστι τῷ διδασκάλῳ, de se ipso haec dici facit poeta, id quod et alias amat, ut ceteros comicos eorumque mores irrideat. διδάσκαλοι enim, ut satis notum est, dicebantur ipsi poetae, qui fabulas edendas in scena curabant (ἐδίδασκον). Scholiasta Paris. et Cantab. 3. de hoc loco iisdem fere verbis sic: ἔμφασις τοῦ Ἀριστοφάνους προσώπου· ὁ δὲ λόγος πρὸς τοὺς ἀντιτέχνους (aemulos) πρὸς διασυρμόν, οἱ διὰ τὸν αὐτῶν ὀβολὸν ἐπειρῶντο τὸν δῆμον πρὸς ἑαυτοὺς ἐπάγειν (ὑπάγειν Cant. 3.). καὶ ἐν τοῖς Σφηξὶ (Vesp. 58.) δὲ ἐσεμνύνετο, ὅτι οὐκ εἰσὶ παρ' αὐτῷ κάρυα ἐκ φορμίδος. φαίνεται μέντοι τὸ τοιοῦτον οὐ διὰ τῶν χορηγῶν γίνεσθαι, ἀλλὰ δι' αὐτῶν τῶν διδασκάλων, ὡς καὶ Ἐρατοσθένης ἐπισημαίνεται. Celeberrimus locus, ubi poeta suam personam solenniter agit, exstat in Nubb. 518 sq., ubi molesta aliorum artificia spectatorum animos captandi a se deprecatur. In Vespis (960) quidem, quod hic inhonestum appellat, committere videtur; sed est ille locus lepide et apte compositus, in quo per homonymiam vocis κριθὴ ludit. — ἰσχάδια καὶ τρωγάλια, ut in Carionis votis erant τραγήματα καὶ ἰσχάδες supra 191. quem loc. cf. Sed Eustath. ad Od. p. 1401, 49. dicit, τρωγάλια a quibusdam non pro τραγήματα, sed pro εἶδός τι τραγημάτων accipi. — θεώμενοι et θεαταὶ poetae in usu sunt. cf. Nubb. 518. 520. 535. 576. ubi promiscue adhibentur.

προβαλόντ', ἐπὶ τούτοις εἶτ' ἀναγκάζειν γελᾶν.

ΓΥΝΗ.

εὖ πάνυ λέγεις· ὡς Δεξίνικος οὑτοσὶ
ἀνίσταθ' ὡς ἁρπασόμενος τὰς ἰσχάδας.

ΧΟΡΟΥ.

795. προβάλλοντ' F. Dorv. Cant. 2. et 1. (sed haec ordine verborum perturbato.) — τούτοις ἐπαναγκάζειν Monac. Mead. τούτοισιν ἐπαναγκάζειν codd. plurim. et edd. vett. τούτοις Bar. 3. Arund. Dorv. Ask. Cant. 1. 2. 3. 4. τούτοις εἶτ' ἀναγκάζειν ex cod. Rav. Invern. Pors. Dind. — 796. ὁ pro ὡς Bar. 3. 1. (?) Cant. 4. — δὲ ξενικὸς Ald. Iunt. 1. 2. 3. δὲ ξένικος cett. edd. vett. δὲ ξεινικὸς Harl. Bar. 1. 2. δὲ ξύνοικος Ask. Cant. 1. 2. 3. 4. δεξύνοικος D. δεξήνικος B. δεξήνοικος Monac. Δεξίνικος Rav. Borg. A. C. E. Arund. ὁ δὲ ξένοικος coniec. Bentl. vel ὄχλος δὲ ξενικός. Extremum hoc bene indicaret, peregrinorum turbam, quae spectatoribus interfuit, surrexisse eoque risum ceteris movisse. ἄλλως δεξίνικος coni. Hemsterh., ut ἄλλως pro μάτην positum sit. — 797. τῶν ἰσχάδων Suid. h. v. — Post versum 797 χοροῦ additur in edd. vett. Brunck. Pors. cod. Cant. 2. et schol. ad 771. (Dind.), quod haec monet: κἀνταῦθα γὰρ χορὸν ὤφειλε θεῖναι, καὶ διατρῖψαι μικρόν, ἄχρις ἂν ἐξέλθοι τις ἀπαγγέλλων, ὅπως εἰσιόντος τοῦ Πλούτου πάντα τὰ τούτων πρὸς τὸ βέλτιον μεταβέβληται.

986. *οὐχ ἕνεκεν μισητίας*. Grammatici veteres concorditer asseverant, hac voce *insatiabilem libidinem* in rebus amatoriis indicari. cf. Pollux VI. 189. Eustath. ad Od. p. 1650, 62. Suid. h. v. Schol. h. l. et ad Av. 1627. ubi haec: *μισητίαν δὲ οἱ μὲν περὶ Ἀριστοφάνη (τὸν γραμματικὸν) τὴν εἰς τὰ ἀφροδίσια ἀκρασίαν.* addit vero schol. *μήποτε μέντοι γενικώτερόν ἐστιν ἀπληστία, ὃ καὶ νῦν ἐμφαίνεται.* Grammaticorum et interpretum explicationes perlustranti mihi nusquam innotuit indicium vel argumentum, quo ista notio evincatur. Videtur nihil aliud huic voci subesse, quam nimia habendi cupiditas, quae tamen ambigue dicta et nimiam libidinem, quam grammatici cogitant, indicare poterit. Vetula

ΓΡΑΥΣ.

ἀλλ' οὐχὶ νῦν ὁ βδελυρὸς ἔτι τὸν νοῦν ἔχει
τὸν αὐτόν, ἀλλὰ πολὺ μεθέστηκεν πάνυ.
ἐμοῦ γὰρ αὐτῷ τὸν πλακοῦντα τουτονὶ
καὶ τἄλλα τἀπὶ τοῦ πίνακος τραγήματα
ἐπόντα πεμψάσης ὑπειπούσης θ' ὅτι
εἰς ἑσπέραν ἥξοιμι, —

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

τί σ' ἔδρασ'; εἰπέ μοι.

ΓΡΑΥΣ.

ἄμητα προσαπέπεμψεν ἡμῖν τουτονί,

990. *νῦν γ' ὁ βδελ.* Monac. B. D. Ask. Bar. 3. *νῦν ὁ βδελυρὸς ἔτι* Pors. cum Harl. Bar. 1. 2. Borg. Dorv. A. C. Cant. 4. idque videbatur mihi praestantius ceteris. *νυνὶ γ' ὁ βδελυρὸς τὸν* Cant. 1. 2. et edd. vett *νῦν γε* Cant. 3. *ἀλλ' οὐχὶ τοίνυν ὁ βδελ.* Rav. Inv. *ἀλλ' οὐχὶ νῦν ἔθ' ὁ βδελ. τὸν νοῦν ἔχει* Elmsl. ad Acharn. 1213. et Dind. — 991. In verbo *μεθέστηκεν* iam Canin. et Frischl. *ν̄* paragogicum addiderunt ante Portum, cett. edd. vett. omittunt, ut Monac. Errat igitur Hemst., ut alii alias, qui hoc *ν̄* a Kustero adiectum esse opinantur. — 993. *τοὺς πίνακας* ex Rav. Invern. — 994. *ἐν ὄντα* Dorv. — *ὑπειπούσῃ* Elb. — 995. *εἰς ἑσπέραν* Bar. 3. — *τί δ'* Harl. Bar. 1. 2. — *σ'* om. Cant. 3. 4. — *εἶπ' ἐμοὶ* e more suo Brunck. Inv. — 996. *ἄμητα προσέπεμψεν* Monac. A. B. C. D. Cant. 3. 4. Elb. Borg. Mead. Harl. Bar. 1. 2. 3. Ask. *ἀμητά τε προσέπεμψεν* Cant. 1. 2. Arund. et edd. vett. *ἀμητά γε προσέπεμψεν* Dorv. *ἄμητα προσαπέπεμψεν* Etymol. (in v. *ἄμης*) et Rav., unde merito receptum est ab Inv. Pors. Dind. Bo.

enim quum sentiret Chremylum ex iis, quae adolescens petiit, eius avaritiam, qua vetulam emungere studuit, concludere et in hanc partem iocari, interposuit: *at haec non nimis habendi cupidus petiit, sed* etc. Ubi non negaverim, poetam consulto hoc vocabulum mulierculae tribuisse, quod Chremylus et spectatores aliter capere possent. Hanc significationem universam in Av. 1627. habes, *μισητίαν ἀναπράξομεν καὶ ταῦτα* h. e. *εἰς ἀπληστίαν ad abundantiam tractabimus et haec.* comparari potest similis Romanorum metaphora *ad nauseam.* — *ἵνα τοὐμὸν ἱμάτιον,* quasi cum Homero dicere voluerit *πολέος δέ οἱ ἄξιον ἦεν.* At *τὸ ἐμόν*, ut nos, pro *τοῖς ἐμοῖς ἐωνημένον.* — *μεμνῇτό μου,* recordationis gratia. Ita Homer. Od. Θ. 430. *καί οἱ ἐγὼ τόδ' ἄλεισον ἐμὸν περικαλλὲς ὀπάσσω χρύσεον, ὄφρ' ἐμέθεν μεμνημένος ἤματα πάντα σπένδῃ* κ. λ.

989. *ἐκνομ.* cf. 978. — *ἀλλ' οὐχὶ νῦν* κ. λ. quasi *at quantum mutatus ab illo.* — *βδελυρός*, *μισητός, κακός, ἐξουδενημένος, μίσους ἄξιος.* Hesych. p. 711. qui pariter *βδελυκτὸς* interpretatur, et *βδελύκτροπος* Aeschyl. Eumen. 52. de Eumenidibus. Scholiasta hoc loco expl. p. *μυσαρός, αἰσχρός.* infra ad 1066. (1070.) rectius *μισητός, ἀναίσχυντος.* et ad Nub. 445.

ἐφῴτ' ἐκεῖσε μηδέποτέ μ' ἐλθεῖν ἔτι,
καὶ πρὸς ἐπὶ τούτοις εἶπεν ἀποπέμπων ὅτι
πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.

997. ἐφῶτ' Iunt. 1. 2. 3. Ven. 1. 2. Frischl. Raph. Port. et man. prim. Cant. 2. ἐφῶ τ' Ald. Crat. Wech. Brub. ἐφῷ τ' Canin. ἐφ' ᾧ τ' Inv. Pors. ἐφ' ᾧ τ' Cant. 4. ἐφ' ᾧτ' Dind. Bo. ἔφη τ' F. Cant. 3. Usus adverbialis flagitavit hyphen, ut 1138. — 998. καὶ πρὸς ἐπὶ τούτοις sic libri omnes, cuius locutionis exemplar alterum vix reperies. Quare conieci καὶ πρὸς ἔτι τούτοις. Pariter Xenoph. Memorab. II. 4. 4. ἔτι δὲ πρὸς τούτοις ὁρᾶν ἔφη. Nam literae π̄ et τ̄ omnium fere saepissime commutantur. At pro fide religiosa, qua tueor codicum auctoritatem, textum non mutavi, primus potius locutionem hanc insuetam suffulcire conabar in animadvers. ad h. l. — 999. πάλαι πότ' Crat. Ven. 2. Wech. Can. Frischl. Brub. Raph. et cod. Monac. πάλαι τ' ἦσαν Iunt. 1.

ubi καὶ τὸν πόρνον, inquit, οὕτως ἐκάλουν. ὡς ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου Αἰσχίνης· καὶ τὸν μίσους ἄξιον. Ergo *foedus* et *detestandus*. — πολὺ μεθέστ. πάνυ, intransitive, ut alias, *multo aliter animatus est*. Ita supra 361. ὡς πολὺ μεθέστηκεν. — τὸν πλακοῦντα τουτονί, εἰκότως εἶπε τουτονί. ἔφερε γὰρ ἐν ταῖς χερσὶν διὰ τὸ πέμψαι μὲν αὐτὴν ἐκείνῳ, μὴ δέξασθαι δὲ αὐτὸν ἀλλ' ἀποπέμψαι πάλιν αὐτῇ. Schol. De placenta cf. n. ad 191. et de vario genere placentarum Athen. XIV. 12 sq. Adde doctrinae plenam disputationem Lobeckii *de Graecorum placentis sacris*, quam continet progr. 1828. Regiom. De voc. τραγήματα cf. n. ad 190. — τἀπὶ τοῦ πίνακος, *canistrum* idque planum, non profundum, orbi et operculo similius, quam catino, quae ap. Athen. l. l. πλεκτὰ ἐλεφάντινα dicuntur, in quibus bellaria posita porrigebantur. Quae Eustath. p. 1402, 12. σκεύη ξύλινα ταῖς τραπέζαις ἐπιτιθέμενα dicit, ea post artificiosius facta et ebore variegata sunt.

994. ἐπόντα, alteri lectioni, quam Dorv. habet, praeferendum esse, ex nota praecedeute patebit. — ὑπεικούσης, recte schol. κρυφίως μηνυσάσης, *subministrare, clam significare* cf. 698. Pariter hoc verbum ad Sophocl. Aiac. 213. ab Hermanno per *dicendo suggerere* explicatur. Non absimile ὑποτίθημι et ὑποθημοσύνη. — ἄμητα προσαπέπεμψεν, εἶδος πλακοῦντος γαλακτώδους, τὴν λεγομένην ἰδιωτικῶς φλεψίαν. τὰ κοινῶς ταρχανά. Schol. Nobilius ergo genus placentae, quo ostenderet iuvenis, sibi in posterum non opus esse donis vetulae. προσαπέπεμψεν, οὐ μόνον ὅτι οὐκ ἐδέξατο τὰ δῶρά μου, ἀλλὰ καὶ οἴκοθεν ἔπεμψέ μοι ἄλλο πλακούντιον, ὡς ἂν λέγων, μηκέτι ἐκεῖσε κατῆσαι. Schol. Nam in verbo προσαποπέμπω latet *insuper remisit*, ut in προστίθημι *superaddere* Eurip. Hec. 360. προσθεὶς ἀνάγκην σιτοποιὸν ἐν δόμοις. — ἐφῴτε, ut 1138. quia quasi adverbii loco ponitur et plures notiones coniunctim exprimit, hyphen restitui. De construct. cf. Viger. p. 618. Ita Acharn. 722. ἀγοράζειν ἔξεστιν ἐφῴτε πωλεῖν h. e. ea conditione, ut vendas. Thesmoph. 1193. ἐφῴτ' ἀκοῦσαι, ut audiatis.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

δῆλον ὅτι τοὺς τρόπους τις οὐ μοχθηρὸς ἦν.
ἔπειτα πλουτῶν οὐκέθ' ἥδεται φακῇ·

1000. τὶς cum accentu edd. vett. — τις omis. Cant 4. Harl. Bar. 1. 2. 1001. ἐπεί γε pro ἔπειτα maluit Kust. — οὐκ ἔσθ' Ven. Wech. οὐκ ἔθ' cett. edd. vett.

998. καὶ πρὸς ἐπὶ τούτοις, nisi praefers, quod in not. crit. dedi, πρὸς ἔτι τούτοις. Sed vulgata quoque defendi potest. Nam praepositionum quarumdam usus adverbialis ab Homero proseminatus apud Atticos quoque obtinuit. Ita Xenoph. Mem. I. 2. 25. καὶ πολὺν χρόνον ἄπο Σωκράτους γεγονότε. Hom. Od. ε. 255. πρὸς δ' ἄρα πηδάλιον ποιήσατο, ὄφρ' ἰθύνοι. et Aristoph. Ran. 19. νὴ τὸν Δί' ἐς κόρακας, καὶ σαυτόν γε πρός. Neque est, quod offendaris duabus praepositionibus, quarum utraque per se hac significatione usurpatur; nam persimile est illud ὅσον ἀπὸ βοῆς ἕνεκα, ubi ἀπὸ βοῆς et βοῆς ἕνεκα, utrumque per se usitatum, coniunctim nuncupatur, ut Thucyd. VIII. 92. καὶ ὁ μὲν Θηραμένης ἐλθὼν ἐς τὸν Πειραιᾶ, ὅσον ἀπὸ βοῆς ἕνεκα ὠργίζετο τοῖς ὁπλίταις. Xenoph. Hellen. II. 4. § 26. ἐπεὶ δὲ οὐκ ἐπείθοντο προσέβαλεν ὅσον ἀπὸ βοῆς ἕνεκεν. Ceterum non diffiteor Aristophanem in his verbis vetulae, quippe pessime deceptae μακρολογίαν quandam parasse, quae animo vehementer exulcerato propria esse solet. „*Et insuper adhuc mihi dici iussit.*“ — πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκ. Μιλήσ. proverbialis locutio, qua temporum et rerum conversiones significantur. Originem proverbii exponit schol. Πολυκράτης ὁ Σάμιος συγκροτῶν πρός τινα πόλεμον ἠθέλησε λαβεῖν τοὺς Μιλησίους, πρότερον ἰσχυροτάτους ὄντας, εἰς συμμαχίαν, καὶ εἰς τὸ μαντεῖον ἀπῆλθεν ἐρωτήσων περὶ τούτου· ὁ δὲ θεὸς ἔχρησεν· πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι. Ex alio schelio Cares a Dario pressi, quum Milesios auxilio sibi esse vellent, idem oraculum acceperunt. Occurrit quoque ap. Synes. Ep. 80. et Philostr. de Soph. p. 527. Obscure significatur ap. nostrum in Vesp. 1096. (Inv.) οἳ πάλαι ποτ' ὄντες ἡμεῖς ἄλκιμοι κ. λ. cf. d. hoc prov. Athen. XII. 5. Hic vero adolescentulus dicere vult: *fuisti formosa s. mihi non amplius places.*

1000. τοὺς τρόπους οὐ μοχθηρός, ἤγουν οὐ κακότροπος schol. *haud ineptus* s. ἀμφιδέξιος vel οὐ σκαιὸς ἦν ἄνθρωπος, ut infra 1020. h. e. *qui tempori servit.* — ἔπειτα πλουτῶν, est dissoluta oratio, qua saepe utuntur personae Aristophanis raptim aut aliquo magnificentiae tenore loquentes: „*Wahrhaftig ja der Junge war ein feiner Bursch'; sofort nicht mundet mehr dem Reichen das Linsenmus.*“ Similis parataxis 802. Ceterum ἔπειτα cum participio quoque necti possit, ut statum maiore cum vi exprimat, ut 317. μασώμενος τὸ λοιπὸν οὕτω τῷ κόπρῳ ξυνεῖναι. q. l. cf. — οὐκέθ' ἥδεται φακῇ, proprie lenticula cocta pauperum et servorum cibus erat, non acceptus locupletioribus. Hic vero est metaphorice dicta, ut scholiasta notat: εἰκότως παρεικάζει φακῇ τὴν γραῦν, διά τε τὸ τοῦ ὀσπρίου χαῦνον. τοιαῦται γὰρ καὶ αἱ γρᾶες· καὶ διὰ τὸ ἐσθίειν φακῆν τὰς γραῦς οὐκ ἐχούσας ὀδόντας. Quod Herodian. p. 455. ap. Lobeck. docet φακὴ καὶ φακός ἐπὶ τοῦ ὠμοῦ, φακῆ δὲ φακῆς ἐπὶ τοῦ ἑφθοῦ. idem affirmat schol. ad 192. ex Theocrito citans τὸν φακὸν ἑψεῖν.

προτοῦ δ' ὑπὸ τῆς πενίας ἅπαντα κατήσθιεν.

ΓΡΑΥΣ.

καὶ μὴν προτοῦ γ' ὁσημέραι νὴ τὼ θεὼ
ἐπὶ τὴν θύραν ἐβάδιζεν αἰεὶ τὴν ἐμήν.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἐπ' ἐκφοράν.

ΓΡΑΥΣ.

μὰ Δί' ἀλλὰ τῆς φωνῆς μόνον

1002. *ἅπαντα κατήσθιεν* codd. plurimi, in quibus Monac. Borg. Arund. Cant. 1. 2. 3. 4. Mead. Ask. et edd. vett. *ἅπαντ'* (sic) *ὑπήσθιε*. Rav., citante Invern. *ἅπαντ' ἐπήσθιεν* Toupius emendavit ad Suid. III. p. 328. idque recepit Brunck. Inv. Pors. Dind. Bo. idemque citat Athen. IV. 21. p. 170. vocans *ἐπήσθιον* (sic). — 1004. *ἀεὶ* Harl. Bar. 1. 2. Cant. 3. 4. Invern. Pors. Dind. contra metrum, nam altera verbi *ἐβάδιζεν* syllaba ubique corripitur. cf. v. 90. 97. 227. 410. 491. 949. — 1005. *ἐκφορᾷ* F. Dorv. *ἐκφορᾶ* Cant. 3. *ἐκφορᾶν* Arund. — Post *ἐκφοράν.* male interrogant Brunck. Invern. Bo.

1002. *ἅπαντα κατήσθιεν.* Haec omnium fere codicum lectio ab editoribus recent. temere posthabita est alteri, quam Athenaeus protulit solus, cf. not. crit. Nam adolescentulus, quum egenus et famelicus adhuc esset, fame pressus non solum omnia, quae proponebantur, edere solebat, sed etiam avide edere et quasi devorare non mansa; *ἅπαντα ἔτρωγεν*, ut schol. Dorv. bene notat. Multo melius *κατεσθίειν* indicat iuvenis subito ditati insolentiam, quam *ἐπεσθίειν*, eoque est usitatius. cf. 1021. 1125. 1127. 1140. — *ὁσημέραι*, ὅσαι ἡμέραι s. *καθ' ἡμέραν quotidie* s. proprie *quotquot dies*, quod Horat. Carm. II. 14. imitatur: „*Non si trecenis, quotquot eunt dies, amice places illacrimabilem Plutona tauris.*“ Sic Themist. orat. 6. p. 119. *προὔφαίνων ὁσημέραι καὶ ὅσαι ὧραι.* cf. Thucyd. VIII. p. 282. Hyphen restituendum esse, facile, ut opinor, patet. Orta autem est haec locutio e formula Homerica: Od. ξ. 93. *ὅσσαι γὰρ νύκτες τε καὶ ἡμέραι ἐκ Διός εἰσιν, οὔποθ' ἓν ἱερεύουσ' ἱερήϊον οὐδὲ δύ' οἴω.* — *νὴ τὼ θεώ*, false notat schol. Dorv. *τὸν Ἔρωτα καὶ τὴν Ἀφροδίτην*, quum ex usu satis trito scire potuisset, mulieres Atticas per Cererem et Proserpinam iurare. Imprimis huc pertinet Ecclesiaz. 158. (Inv.), ubi Praxagora aliam mulierem, quum personam viri ageret et incaute *μὰ τὼ θεὼ* negasset, vituperat: *μὰ Δί', ἀλλ' ἀνὴρ ὢν τὼ θεὼ κατώμοσας.* Ibi simili errore deceptus Faber vertit per *Castorem* et *Pollucem*, quod iusiurandum viris Spartanis convenit, non Atticis feminis, quibus *τὼ θεὼ* sunt Ceres et Proserpina. Quare recte Phrynich. p. 193. *νὴ τὼ θεώ: ὅρκος γυναικός, οὐ μὴν ἀνὴρ τοῦτ' ὀμεῖται, εἰ μὴ γυναικίζοιτο.* Cui concinunt Phot. Pollux X. 97. et schol. ad Aristoph. Ecclesiaz. 155.

1005. *ἐπ' ἐκφοράν.* ambigue loquitur, ut risum moveat, vetula aperte non laesa. Duplicem enim admittit locutio haec significationem, utramque a scholiastis iam

ἐρῶν ἀκοῦσαι.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

τοῦ λαβεῖν μὲν οὖν χάριν.

ΓΡΑΥΣ.

καὶ νὴ Δί' εἰ λυπουμένην γ' αἴσθοιτό με,
νηττάριον ἂν καὶ φάττιον ὑπεκορίζετο.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἔπειτ' ἴσως ᾔτησ' ἂν εἰς ὑποδήματα.

1006. *ἐρῶν τ'* Harl. — *μὲν δὲ οὖν* Cant. 3. — 1007. *εἴ γε λυπουμένην* Monac. Cant. 4. — *αἰσθάνοιτο* Suid. *αἴσθητο* Dorv. — 1008. *νιτάριον* Dorv. Arund. Mead. Cant. 1. 2. et edd. vett. *νιττάριον* schol. Suid. D. F. Monac. Ask. Bar. 2. Cant. 3. 4. Harl. *ἠτάριον* C. — *βάτιον* F. Monac. Dorv. Arund. Cant. 1. 4. edd. vett. *βάττιον* cett. codd. schol. et Suid. Quod textus repraesentat utrumque scriptum est ex coniect. Bentleii, quam edd. recentiores receperunt nuper a scholio cod. Rav. firmatam, si modo Invernizio fides habenda est; nisi quod Pors. verba sic transponit: *νηττάριον ὑπεκορίζετ' ἂν καὶ φάττιον*, metri caussa, quia ex ipsius regula post dactylum et tribrachyn anapaestus poni nequeat, cui assentiuntur Gaisf. Elmsl. et Dawes. — 1009. *ᾔτησεν ἄν σ'* Monac. Arund. edd. vett. *ᾔτησεν εἰς* Bar. 2. A. *ᾔτησ' ἂν εἰς* Cant. 2. 3. Rav. Borg. F. Dorv. B. C. Harl. Mead. Bar. 1. 3., quod post Hemsterh. receptum est. *ᾔτησεν ἂν εἰς* D. Ask. — In fine versus interrogant Inv. Bo.

notatam: *ἤγουν ἐπ' ἐξαγωγῇ τινος πράγματος ἢ ἐπὶ τῷ ἐξαγαγεῖν σε ὡς νεκρόν*, quippe *rerum e domo exportationem* et *elationem funebrem*. Hanc habes ap. nostrum in Ecclesiaz. 961. (Inv.) *ΝΕΑΝΙΣ. οὐδεὶς γὰρ ὡς σὲ πρότερον εἴσεισ' ἀντ' ἐμοῦ. ΓΡΑΥΣ. οὔκουν ἐπ' ἐκφοράν γε;* Eurip. Alcest. 422. *ἀλλ' ἐκφορὰν γὰρ τοῦδε θήσομαι νεκροῦ.* — *ἐρῶν ἀκοῦσαι*, *ἐπιθυμῶν* schol. recte, nisi quod eo fortius est. Altius tamen ne quid quaere. Sic Sophocl. Antig. 220. *οὐκ ἔστιν οὕτως μωρός, ὃς θανεῖν ἐρᾷ.* Philoct. 651. *τί γὰρ ἔτ' ἄλλο ἐρᾷς λαβεῖν.* — *τοῦ λαβεῖν μὲν οὖν χάριν.* Haec et sequentia, quae Chremyli sunt, ab hoc ad spectatores dicta esse, non ad anum cum Eckard. false indicat Bo., V. D., quia anus nihil ad ea responderet. Causa respondendi et rixandi certe fuit; at non rixandi causa, sed ut expectoraret, quae ad rem pertinerent, introducta est. Scenae similes ignotae esse non possunt Plautinarum fabularum editori.

1008. *νηττάριον.* In voce *νιτάριον*, quae olim hic legebatur, explicanda postquam interpretes veteres et recentiores frustra sudarunt, ut solet fieri in vocabulis corruptis, indiciis quibusdam melioris lectionis iam a Tan. Fabro ad Lucret. 497. et Berglero subministratis, ut quidam opinantur, Bentleius tandem *νηττάριον* restituit coniectura, quam postea edd. omn. receperunt. Quamvis ubique lectiones librorum coniecturis praeferendas esse arbitrer et explicandas potius, quam explodendas, hic tamen non

ΓΡΑΥΣ.

μυστηρίοις δὲ τοῖς μεγάλοις ὀχουμένην
ἐπὶ τῆς ἁμάξης ὅτι προσέβλεψέν μέ τις,
ἐτυπτόμην διὰ τοῦθ' ὅλην τὴν ἡμέραν.
οὕτω σφόδρα ζηλότυπος ὁ νεανίσκος ἦν.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

μόνος γὰρ ἤδεθ', ὡς ἔοικεν, ἐσθίων.

1011. *προσέβλεψε* sine *ν* Monac. Dorv. Arund. Mead. Ask. Cant.. 1. 3. 4. et edd. vett. exc. Canin. Port. et Frischl. — *ὅτε* pro *ὅτι* maluit Hemsterh. idemque exhibet gl. Cant. 4.

dubitavi virum divinum sequi, quum mihi persuasum sit *νιτταρίον* per iotacismum e *νηττάριον* ortum esse. Adduxit similes locutiones blandientium Bentl. ex Plaut. Asinar. III. 3. (103.) „*Dic igitur me anaticulam, columbulam, catellum, hirundinem, monedulam, putillum, passerillum.*" Ita et inter *ὑποκορίσματα* citatur e Menandro a schol. Dionys. Thrac. ap. Bekker. p. 857. — *φάττιον*, pro quo olim legebatur *βάτιον*, quod editores non minus cruciavit, quam *νιτάριον*. Ex antiquioribus optime rem egisse videntur, qui *βάτιον* (deminutivum a *βάτος βατίς* deductum) interpretabantur *pisciculum* et blandiendi vocabulum esse acceperunt, idemque nuper non novis argumentis defendere conatus est Bo., V. D., quamvis Bentl. iam lepide ablegasset huius vocis defensores, qui satius fuerit, inquit, pisce mutiores esse, quam tam lepidum *ὑποκόρισμα* nobis obtrudere. Et verum hoc. Nam quod addit Bo., nostrates in eundem modum dicere „*mein Fischchen,*" id esset *ἰχθυΐδιον*, non *βάτιον* „*mein Rochchen,*" neque ostendere poterit, Graecos eodem sensu ad talem locutionem ductos esse, atque nos. Etenim si haec vox in blandiendi formulis amatorum fuit, haud scio an Theocrit. XI. 20. eam tribuerit Cyclopi, qui Galateam nympham celebrat in mare prospiciens: *λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα δ' ἀρνός, μόσχω γαυροτέρα* κ. λ. — *ὑπεκορίζετο*, *ὑποκοριστικῶς ἐλάλει*. Schol. ad morem nutricum cum infantibus balbutientium confabulari et blandiri. *Ἔστι δὲ ὁ ὑποκορισμὸς ὃς ἔλαττον ποιεῖ καὶ τὸ κακὸν καὶ τὸ ἀγαθόν.* Aristot. Rhet. III. 2. p. 569. *κορίζεσθαι καὶ ὑποκορίζεσθαι ἄμφω· σημαίνει δὲ τὸ πρὸς τὰ κομιδῇ παιδία νήπια ψελλιζόμενον τῇ φωνῇ παίζειν· κόρος γὰρ ὁ παῖς καὶ τοὔνομα διττῶς κόρισμα καὶ ὑποκόρισμα.* Phrynich. in Anecdot. Gr. Bekkeri Vol. I. p. 47. Similiter Timaeus in Lex. Plat. sub h. v. *ὑποκορίζεσθαι· πρὸς κόρην ἢ κόρον λέγειν ἀποσμικροῦντα.* Haud dissimile igitur nostrum „*kindern.*"

1009. *ἤτησ' ἄν*, lepida verborum imitatio, quibus anus usa est 980. Idcirco iudicium de lectionis varietate non difficile. — *μυστηρίοις δὲ τοῖς μεγάλοις.* cf. de mysteriis veterum et imprimis de Eleusiniis Meursium de Eleus. c. 9 sq.; Meinersium in script. philosoph. T. III p. 164 sq. *de Sainte-Croix Versuch über die alten Mysterien, übers. und mit Anm. von C. G. Lenz.* Gothae 1790. p. 174.; Wegscheider in Comment. de Graecorum mysteriis religioni non obtrudendis. Gotting. 1805. Parte II. et cl. Lobeckium. Tunc temporis mos adhuc fuit mulieribus curru ad mysteria vehi, iisque co-

ΓΡΑΥΣ.

καὶ τάς γε χεῖρας παγκάλους ἔχειν μ' ἔφη.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ὁπότε προτείνειάν γε δραχμὰς εἴκοσιν.

ΓΡΑΥΣ.

ὄζειν τε τῆς χρόας ἔφασκεν ἡδύ μου,

1015. *παγκάλας* Harl. Bar. 1. 2. Borg. A. Cant. 3. prim. man. Rav. et edd. Brunck, Pors. Bo. (de hac forma fluctuant libb. Xenoph. Hellen. II. 10.) — *μ' ἔχειν ἔφη.* Monac. Cant. 1. 3. 4. Harl. Bar. 1. 2. — 1016. *προτείνοιέν γε* Monac. Dorv. Arund. Ask. Cant. 2. 3. edd. vett. Pors. *προτείνειάν γε* A. Cant. 1. Harl. Bar. 1. 2. et edd. Brunck. Inv. Dind. Bo. *ὁπότε προτείνειέν γε δραχμαῖσιν εἴκοσιν* Reisig. Coniect. p. 112. metri causa, quia prima syllaba vocis *δραχμὰς* brevis sit. — 1017. *ἡδύ με* ex solo Rav. Invern., quem nemo imitatus est, quamvis idem iam suasisset Hemsterh. et edidisset Brunck. — *μοι* pro *μου* Cant. 4.

mites esse amatores, qui, nisi sumtus in hanc rem suppeditabant, ut hic adolescentulus honoris causa currum ornarent. Adolescentem una cum vetula in curru vectum esse, vel ex hoc loco manifestum est. — *ὀχουμένην ἐπὶ τῆς ἁμάξης,* iam *ὀχεῖσθαι* per se est *curru* vel *equo vehi*, ut asino Ran. 25.; hinc ὄχος currus, ut Eurip. Med. 1123. ὄχος *πεδοστιβής*, *currus quo quis vehitur in terra*, oppositus *navi*, quam Eurip. ibidem *ναΐαν ἀπήνην* dicit, alias *νάϊον ὄχημα*, sic et ὄχος *πωλικὸς* Eur. Iphig. Aul. 614. Quum tamen universe quamvis vecturam indicet, addi potuit sine pleonasmo *ἐφ' ἁμάξης*. Postea Lycurgus orator lege lata vetuit, ne mulieres bigis veherentur ad mysteria.

1012. *ἐτυπτόμην*, quod per *ἐδερόμην* explicando auget adhuc schol. Dorv., alii cum Kust. interpretando de *linguae verberibus* minuunt. Cum Hemsterh. rectius veras plagas cogitaveris, quas anus non moleste tulit ab amatore perpessa, quum essent indicia zelotypiae, quam utpote veri amoris signum veram esse opinabatur, quamvis esset simulata. — *ὅλην τὴν ἡμέραν*, *πανημέριος* Hom. Accusativus in hac significatione temporis solemnis a Spanhem. frustra per praeposit. omiss. explicatur. Sic sexcenties occurrit, ut Aeschyl. Prom. 751. *κρεῖσσον γὰρ εἰσάπαξ θανεῖν, ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς.*

1014. *μόνος γάρ*, sic saepe *γὰρ* ponitur, quod Fischerum minutiarum plurimarum auctorem offendit. Intellige ante haec: *οἴομαι αὐτὸν μάλα ζηλότυπον εἶναι, μόνος γὰρ κ. λ.* Pariter saepe persona loquens in dialogo ab altera interpellatur. cf. Xenoph. Memor. II. 6. §. 15. 7. §. 14. Est igitur nimirum, videlicet — *ἥδετ' ἐσθίων*, ut *χαίρω* cum participio supr. 247. Sic Av. 326. *καὶ δεδρακώς γ' ἥδομαι.* Sophocl. Philoct. 882. *ἀλλ' ἥδομαι μέν σ' εἰσιδὼν παρ' ἐλπίδα.* id. Aiac. 1085. *καὶ μὴ δοκῶμεν, δρῶντες ἃν ἡδώμεθα.* — *ὡς ἔοικεν*, ut supra 76. 823. — *ὁπότε προτ. γ.*

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

εἰ Θάσιον ἐνέχεις, εἰκότως γε νὴ Δία.

ΓΡΑΥΣ.

τὸ βλέμμα θ' ὡς ἔχοιμι μαλακὸν καὶ καλόν.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

οὐ σκαιὸς ἦν ἄνθρωπος, ἀλλ' ἠπίστατο

1019. θ' A. B. D. Monac. Cant. 4. Brunck. Bo. — ἔχοι μοι Ven. 1. 2. Crat. et cod. Cant. 2.

δραχμ. εἴκοσιν. Ludit verbis ipsius vetulae. Cum penultima vocis *δραχμὴ* alias constanter corripiatur a Comico, Brunck. metri causa *τάχα δραχμὰς* coniecit. Non opus esse coniectura, vid. 773. 338. 166. 1075.

1017. *ὄζειν τε τῆς χρόας.* *ὀσμὴν ἡδεῖαν ἔλεγεν εἶναι ἀπὸ τοῦ σώματός μου.* Suid. *ἐκ τῆς χρόας ὀσμὴν ἡδεῖαν ἀποπέμπεσθαι, ἤτοι ἡδυτάτην εἶναι τὴν ἀπὸ τοῦ σώματός μου ὀσμὴν φερομένην.* Schol. Haec de sensu, qui satis est perspicuus; de constructione inter interpretes magna dissensio. Dobraeus existimat, *μου* pendere ab *ὄζειν*, ut *χρόας* sit genitivus partis. Nam post *ὄζω* vel *ὄζει μου* poni genitivum odoris, accusativum adiectivi, et genitivum partis olentis. Sic Thom. Mag. *μύρου ὄζει Ἀττικοί, οὐ μύρον.* Hinc pro varietate, qua hoc verbum construi potest, duplex genitivus offendere nos non debet. E pluribus exemplis, quae Dobr. collegit, haec sufficiant ex Aristoph. Nub. 50. *ἐγὼ ὄζων τρυγός, τρασιᾶς, ἐρίων περιουσίας, ἡ δ' αὖ μύρου, κρόκου* κ. λ. Ecclesiaz. 520. *τῆς κεφαλῆς ὄζω μύρου.* Acharn. 858. *ὄζων κακὸν τῶν μασχαλῶν πατρὸς Τραγασαίου.* Herod. III. 113. *ἀπόζει δὲ τῆς χώρης θεσπέσιον ὡς ἡδύ.* In omnibus ab eo et aliis allatis exemplis prorsus simile non reperio huic nostro, quamvis singula doceant, quomodo locus sit expediendus.

1018. *εἰ Θάσιον ἐνέχεις.* *διαφέρει γὰρ ὁ Θάσιος οἶνος* *ἐνέχεις* (*ἐνέχεες*) *δὲ ἀντὶ τοῦ ἐκίρνας.* Schol. recte. Nam *ἐγχεῖν* de vino miscendo dici solitum. Sic Hom. Od. IX. 209. *ἓν δέπας ἐμπλήσας, ὕδατος ἀνὰ εἴκοσι μέτρα χεῦε.* Et, quod ibi additur, ad hunc locum quadrat: *ὀδμὴ δ' ἡδεῖα ἀπὸ κρητῆρος ὀδώδει θεσπεσίη.* Thasium vinum aeque nobile fuit atque Lesbium et Chium, nec his minus dulce fragrabat; at merum vinum veteres non bibebant. *Οἶνος* per ellipsin omittitur, cf. Lamb Bos., quam et Romani usurpant, cf. Sanct. Minerv. c. IV. v. *vinum.* De Thasio vino vid. Plin. H. N. XIV. 7. Athen. I. p. 29. et 132. Colum. III, 2, 23. Virg. Georg. II, 91. — *τὸ βλέμμα μαλακὸν καὶ καλόν.* *ἤπιον καὶ χαρίεν.* Schol. Dorv. *ἥμερον καὶ ὡραῖον.* Schol. Par. Similit. Philetaer. ap. Athen. XIII. *ὡς τακερὸν καὶ μαλακὸν τὸ βλέμμα ἔχει.* Aeschyl. Agam. 735. *μαλθακὸν ὀμμάτων βέλος, δηξίθυμον ἔρωτος ἄνθος.* — *οὐ σκαιός,* cf. supr. 46. 60. — *γραὸς καπρώσης, καπρᾶν τὸ ἀσελγαίνειν παρὰ τὸν κάπρον λέγεται, καταχρηστικῶς δὲ καπρᾶν λέγεται καὶ τὸ ἁπλῶς μίξεως ὀρέγεσθαι, ὅθεν καπρῶσα γυνὴ ἡ μίξεως ὀρεγομένη.* ex Eustath. p. 853, 31. et p. 1183, 20. cui assent. Hesych. T. I. p. 650. (Alb.) Photius Lex. v. *καπρῶντας.* Simili modo Romani *subare* adhibent ad nimiam hominis libidinem translatum. — *τἀφόδια*, quae ab Homero dicuntur *ἤϊα*, simili utrumque origine, hoc ab *ἰέναι*, illud ab *ὁδός*, Eustath.

γραὸς καπρώσης τἀφόδια κατεσθίειν.

ΓΡΑΥΣ.

ταῦτ' οὖν ὁ θεὸς ὦ φίλ' ἄνερ οὐκ ὀρθῶς ποιεῖ,
φάσκων βοηθεῖν τοῖς ἀδικουμένοις ἀεί.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

τί γὰρ ποιήσει, φράζε, καὶ πεπράξεται.

1021. καπράσης Cant. 3. — 1024. πεπράξαται vitiose Iunt. 3. Post πεπράξεται Valcken. interrogat.

p. 1445, 37. et schol. nostro interpretantibus ἐφόδια κυρίως λέγονται ἃ ἔχει τις εἰς δαπάνην ἐν τῇ ὁδῷ. ἐνταῦθα δὲ ἁπλῶς λέγει τὰ ἀναλώματα. Occurrit quoque de quovis nutrimento, ut ap. Plutarch. vit. Alex. M. c. VIII. τὴν Ἰλιάδα τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς ἐφόδιον καὶ νομίζων καὶ ὀνομάζων.

1022. ταῦτ' οὖν ὁ θεὸς οὐκ ὀρθῶς ποιεῖ, quae Plutus iniuste fecerit, sequentia proferunt. Iuvenis nimirum ab anicula beneficiis cumulatus nunc quasi per Plutum perfidus evasit. Quare φάσκων βοηθεῖν recte explicatur a schol. καίπερ ὁμολογῶν βοηθεῖν τοῖς ἀδικουμένοις, τοὐναντίον ποιεῖ, ἐκείνου τοῦ ἀδικοῦντός με προϊστάμενος· ἐπειδὴ τοῖς δικαίοις, ὡς ἀδικουμένοις, προσεκλίθη. — τοῖς ἀδικουμένοις ἀεί, h. e. succurrere *iniuste tractatis, quoties reperiuntur.* Suspicatur Dobraeus, poetam his verbis solemnem adulationis cantilenam ridere, quam populus Atheniensis in orationibus libenter audiisset. Isocrat. Paneg. p. 51. H. Stephan. ap. Musgr. ad Eurip. Suppl. 323. Sic Eurip. Suppl. 889. (378. Matth.) σύ τοι σέβεις δίκαν, τὸ δ' ἧσσον ἀδικίᾳ νεμεῖς αἰεὶ τὸν δυστυχῆ πάντα ῥύῃ. ubi enim cum Hermanno praefert: νέμεις, τόν τ' ἀεὶ δυστυχῆ πάντα ῥύει. et l. l. διετέλεσαν (οἱ πρόγονοι ἡμῶν κοινὴν τὴν πόλιν παρέχοντες, καὶ τοῖς ἀδικουμένοις ἀεὶ τῶν Ἑλλήνων ἐπαμύνουσαν). Demosth. pr. Rhod. p. 115. n. 33. (196.) οὐ γὰρ ἂν ὑμᾶς βουλοίμην, δόξαν ἔχοντας τοῦ σώζειν τοὺς ἀτυχοῦντας ἀεί, χείρους Ἀργείων ἐν ταύτῃ τῇ πράξει φανῆναι. pr. Megalop. p. 121. n. 21. (205.) Λακεδαιμονίους ἔσωσεν ἡ πόλις ἕν τι καὶ τὸ αὐτὸ βουλομένη πράττειν. ἔστι δὲ τοῦτο τί; τοὺς ἀδικουμένους σώζειν.

1024. τί γὰρ ποιήσει κ. λ. h. e. *dic igitur quid Pluto faciendum sit, et factum fuerit.* Haud male schol. πεπράξεται interpretatur μετ' ὀλίγον πραχθήσεται. cf. Matth. Gr. gr. §. 498. Frischl. vertit minus accurate: „*Quid igitur faciat, dic: et iam statim hoc erit.*" — τὸν εὐπαθόντα κ. λ. Plat. Gorg. p. 520. E. δῆλον γάρ, ὅτι τοῦτο αἴτιόν ἐστιν, ὅτι μόνη αὕτη τῶν εὐεργεσιῶν τὸν εὐπαθόντα ἐπιθυμεῖν ποιεῖ ἀντευποιεῖν· ὥστε καλὸν δοκεῖ τὸ σημεῖον εἶναι, εἰ ὁ εὖ ποιήσας ταύτην τὴν εὐεργεσίαν ἀντευπείσεται· εἰ δὲ μή, οὔ. In verbis πάλιν μ' ἀντευποιεῖν certe inesse videtur vetulae desiderium amoris adolescentuli. Cur in egestate iam nunc iaceat, ut Bo. cum Fischero vult, non video. — δίκαιον ἀγαθόν ἐστ', hyperbaton paullo durius, quod traiectiones verborum (cf. not. crit.) creavit. Iam scholiasta recte interpretatus est: ἦ δίκαιόν ἐστι μηδ' ὁτιοῦν ἀγαθὸν ἔχειν τὸν νεανίσκον. Brunckii coniectura δίκαιός ἐστι pro δίκαιόν ἐστι digna certe esset, quae reciperetur, nisi coniectura esset; quae,

ΓΡΑΥΣ.

ἀναγκάσαι δίκαιόν ἐστι νὴ Δία
τὸν εὐπαθόνθ' ὑπ' ἐμοῦ πάλιν μ' ἀντευποιεῖν·
ἢ μηδοτιοῦν δίκαιον ἀγαθόν ἐστ' ἔχειν.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

οὔκουν καθ' ἑκάστην ἀπεδίδου τὴν νύκτα σοι;

ΓΡΑΥΣ.

ἀλλ' οὐδέποτέ με ζῶσαν ἀπολείψειν ἔφη.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ὀρθῶς γε· νῦν δέ γ' οὐκέτι ζῆν σ' οἴεται.

ΓΡΑΥΣ.

ὑπὸ τοῦ γὰρ ἄλγους κατατέτηκ' ὦ φίλτατε.

1025. εὖ παθόνθ' vulgo post Kust. — μ' omis. Cant. 1. 3. 4. Harl. Bar. 2. — γ' ἀντ' εὖ ποιεῖν Dorv. — 1027. μηδοτιοῦν cum Monac. recepi. Vulgo disiungitur. — δίκαιον ἀγαθόν ἐστ' enclisi vel neglecta vel servata A. B. D. Monac. Arund. Ask. Cant. 1. 2. 3. 4. edd. vett. ἀγαθὸν δίκαιος edd. Brunck. Pors. Dind. δίκαιον ἔστ' ἀγαθὸν coniec. Hemst. ἀγαθὸν δίκαιον C. Rav. Bar. 3. Inv. Bo. — 1028. οὐκοῦν — σοι Pors. cum Ald. Iunt. 1. 2. 3., idemque Monac. οὐκοῦν — σοι; Crat. Wech. Frischl. οὔκουν — σοι; Brunck. Inv. Dind. Bo. — 1029. ἔτι pro ἔφη Rav. γ' ἔφη Ask. — 1030. νῦν δ' οὐκέτι ζῆν σ' οἴεται Monac. οὐκέτι σε ζῆν οἴεται Rav. δ' οὐκέτι Cant. 4. Bar. 3. Ask. οὐκ ἔτι edd. vett. — 1031. τοῦ omis. Dorv.

quamvis usu poetarum dramaticorum suffulciatur, cf. Nub. 1283. Eurip. Suppl. 188. Heracl. 143., vulgatae tamen non antecellit. Vertendum: *nullo modo par est, eum aliquo bono gaudere.*

1027. οὔκουν ἀπεδίδου; τὸ γὰρ ἀποδιδόναι δηλοῖ τὸ χρεωστικῶς δοῦναι. Eustath. p. 64, 4. et 591, 35. Minus apte schol. Dorv. supplet τοὺς μισθούς. χάριν potius, ut apud nostrum in pari re, de gratiis acceperim, quas vir mulieri refert nocturno tempore. Sic adolescentulus ad anum in Ecclesiaz. 1092. ἀντὶ τούτων τῶν ἀγαθῶν εἰς ἑσπέραν μεγάλην ἀποδώσω καὶ παχεῖάν σοι χάριν. — οὐδέπ. μ. ἀπολείψ. ἔφη, καὶ ὕστερον ἀεὶ τῆς νυκτὸς χάριν μοι ἀποδώσειν. False dicit Thom. M. p. 97. verbum ἀπολείπειν sic de viris, qui uxores relinquant, non usurpari. Simplex verbum eodem sensu adhibetur, Eccles. 945. αἶ αἶ, τί ποτε πείσομαι; οὐχ ἥκει μοὐταῖρος· μόνη δ' αὐτοῦ λείπομαι. Sed compositum maiorem vim habet: *ita relinquere aliquem, ut ad eum nunquam redeamus.* cf. 829. et indic. v. h. — νῦν δέ γ' οὐκέτι ζῆν σ' οἴεται, non quia egena sit, ut opinantur vulgo, sed quia γραῦς iam per se est τῷ θανάτῳ μέλημα (Eccles. 938.), quam iuvenis nunc bene nummatus viventem adhuc putat esse mortuam.

1031. ὑπὸ τοῦ γὰρ ἄλγους κατατέτηκα. Verbum hoc proprie indicat liquefacere et diffundere de nive et cera, Eustath. 1608, 49 Schol. ad Eurip. Hecub. 434., inde

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

οὐχ, ἀλλὰ κατασέσηπας, ὥς γέ μοι δοκεῖς.

ΓΡΑΥΣ.

διὰ δακτυλίου μὲν οὖν ἔμεγ' ἂν διελκύσαις.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

εἰ τυγχάνοι γ' ὁ δακτύλιος ὢν τηλία.

ΓΡΑΥΣ.

καὶ μὴν τὸ μειράκιον τοδὶ προσέρχεται,
οὗπερ πάλαι κατηγοροῦσα τυγχάνω·
ἔοικε δ' ἐπὶ κῶμον βαδίζειν.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

φαίνεται.

1032. ὥς γ' ἐμοὶ Dorv. Bar. 3. edd. vett. Brunck. Inv. Dind. Bo. ὥς γε μοι Pors. — 1033. ἐμέ γ' Monac. (?) — ἑλκύσαις Cant. 1. — 1034. τυγχάνει Monac. τυγχάνει γ' Cant. 1. 2. Rav. Borg. Arund. Ask. edd. Inv. et vett. except. Can. (in qua τυγχάνοι γ'.) τυγχάνει δ' Cant. 3. 4. Dorv. τυγχάνοι δ' A. C. τυγχάνοι γ' B., ut ante Kust. iam emendaverat Canin., ita et edd. Brunck. Pors. Dind. Bo. Per se et ferri possit indicativus. cf. Herm. ad Viger. p. 791. — γ' ὢν Monac. ὢν omis. A. C. — τηλίας Rav. — 1037. ἔοικεν Elb.

lacrymis quasi resolvi et liquescere, ut in illo polyptoto Hom. Od. τ. 204. τῆς δ' ἄρ' ἀκουούσης ῥέε δάκρυα, τήκετο δὲ χρώς. ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν, ἥν τ' Εὖρος κατέτηξεν, ἐπὴν Ζέφυρος καταχεύῃ· τηκομένης δ' ἄρα τῆς ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες· ὣς τῆς τήκετο καλὰ παρήϊα δακρυχεούσης. Pariter Sophocl. Electr. 283. ἐγὼ δὲ κλαίω, τέτηκα. De nive Sophocl. Antig. 828.; de adipe ibid. 1008. μυδῶσα κηκὶς μηρίων ἐτήκετο. de mortuis et semivivis, qui dolore contabescunt Sophocl. Antig. 906. Electr. 187. 835. ἅτις ἄνευ τοκέων κατατάκομαι. Eurip. Electr. 238. οὐκοῦν ὁρᾷς μου πρῶτον ὡς ξηρὸν δέμας. ΟΡ. λύπαις γε συντέτηκας. — κατασέσηπας, non putrescere, ut vulgo volunt, sed, ut versus antecedens et sequens docent, exsiccari; nam maciem aniculae tangit Chremylus, quippe cum minime liquefacta sit, sed macilenta et arida, ut per annulum trahi posset. Similiter schol. κατασέσηπας ὑπὸ τοῦ γήρως καὶ τοῦ χρόνου· γελοίου δὲ χάριν οὐ κατατέτηκας εἶπεν, ἀλλὰ κατασέσηπας. In quibus verbis lusum literarum notare videtur. — διὰ δακτυλίου, proverbialis locutio, quae et nostratibus usitata est de iis, qui nimis macilenti et graciles sunt. Dicit igitur: ita sum gracilis, ut per annulum trahi possim. cf. Erasm. Adag. Zenob. c. III. n. 18. Diogenian. 4. 30. Kirchmann. de Annulis c. 24.

1034 εἰ τυγχάνοι γ' ὤν, inepte opinatur Münter. ὢν abundare. cf. Phrynich. ed. Lobeck. p. 277. et nos supra ad 3. et 35. Phrynichus parum ab interpretibus intellectus rectissime praecipit: δεῖ τῷ ῥήματι τὸ ὢν προστιθέναι, φι-

στεφάνους γέ τοι καὶ δᾷδ' ἔχων πορεύεται.

ΝΕΑΝΙΑΣ.

ἀσπάζομαι.

ΓΡΑΥΣ.

τί φησιν;

ΝΕΑΝΙΑΣ.

ἀρχαία φίλη,

1038. *στέφανον* libb. plurim. *στεφάνους* Rav. Inv. Dind. recte, ut infra 1086., ubi omnes libb. pluralem habent. — *γ' ἔτι* Monac. *δέ τοι* Cant. 4. *τοι* sine *γε* et *δὲ* Cant. 3. — Versui huic haud male nomen vetulae praefigitur in Cant. 4. — 1039. *σέ φησιν* Rav. Inv. minus apte. — *ἀσπάζομαί σε* Cant. 4. — *Νέος* pro *Νεανίας* per totam scenam habent libb. nonnulli, in quibus Monac. Cant. 1. 2. 3. 4.

λος μοι τυγχάνεις ὤν, ἐχθρός μοι τυγχάνεις ὤν. οὕτω γὰρ οἱ ἀρχαῖοι ἐχρήσαντο. Ubi *τυγχάνειν* occurrit sine *ὤν*, ibi prorsus aliam orationis formam esse, interpretes ignorarunt. Nam *τυγχάνει καλή* Plat. Hipp. p. 300. *δυνατὸν* Plat. Alcib. I. c. 21. cf. ibid. c. 13. Ubi vero dativus personae aut praedicatum accedit, participium verbi *εἶναι* nunquam abest. — *τηλία, κοσκίνου κύκλος, ἢ σανὶς πλατεῖα, ἐφ' ἧς ἄλφιτα ποιοῦσιν.* Schol. *ἡ τηλία καὶ σηλία, ὡς ἐν τοῖς τοῦ Κωμικοῦ δηλοῦται, καλουμένη παρὰ τὸ σήθειν.* Eustath. p. 1397, 50. In scholiis enim Aristophanis legitur adhuc: *τηλία δὲ ἡ σηλία, ὥσπερ τὸ σήμερον τήμερον.* Altius descendit Eustath. p. 1792, 4. *ἐκ τοῦ σέω, οὗ παράγωγα τὸ σείω καὶ τὸ σαίνω, προῆλθε καὶ τὸ σήθω, ἀφ' οὗ καὶ σητάνειρος, ἄρτος, καὶ τηλία, ἧς χρῆσις καὶ παρὰ τῷ κωμικῷ.* His assent. Etym. M. p. 756. Photius p. 430. Zonar. T. II. p. 1727. Ceterum ex hac iocandi ratione false vulgo iudicatur, anum fuisse crassam et pinguem; quasi ita gracilis aliquis sit, ut per annulum trahi possit. Nihilominus iam scholiasta idem auguratus est: *τοῦτο δὲ λέγει ὡς παχείας αὐτῆς οὔσης, καὶ μὴ δυναμένης διὰ δακτυλίου ἑλκυσθῆναι, ἀλλὰ διὰ τηλίας.*

1035. *καὶ μὴν τὸ μειράκιον, πρόεισιν ὁ παῖς στεφάνους κομίζων τῷ Πλούτῳ διὰ τὸ πεπλουτηκέναι.* Schol. — *οὗπερ πάλαι, πρὸ ὀλίγου.* Schol. s. *ἄρτι* ut Budaeus H. Stephano adversante (Thesaur. Gr. L. T. III. p. 22. h.) voluit, quamvis commode vulgari significatione capi possit. „Iam diu nunc eum incusavit." — *ἐπὶ κῶμον, ἐπὶ μέθην* scholiastae miro consensu, quamvis, ut Hemsterh. iam docuit, nihil amplius haec vox indicet, quem *comissationem* s. *compotationem*, quae in multam noctem producebatur coniuncta cum vagatione nocturna. Sic ad convivium iturus chorus Ecclesiaz. 1194. *ἐγὼ δὲ πρὸς τὸ δεῖπνον ἤδη 'πείξομαι, ἔχω δέ τοι καὶ δᾷδα ταυτηνὶ καλῶς.* Quod convivium certe iocis impudicis, cantilenis obscenis et saltationibus inhonestis celebrari solitum fuit, unde coronati et ebrii et faces tenentes redibant. Quam tamen et Eustath. p. 1843, 48. scholiastis assentiatur, cum his effectum pro causa sumsisse videtur. cf. de more veterum comissandi C. G. Schwarzii lib. de Comissationibus. Altorf. 1744. Lamb. Bos. Exercit. phil. ad Rom. 13, 13. Sic

πολιὰ γεγένησαι ταχύ γε νὴ τὸν οὐρανόν.

ΓΡΑΥΣ.

τάλαιν' ἐγὼ τῆς ὕβρεος ἧς ὑβρίζομαι.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἔοικε διὰ πολλοῦ χρόνου σ' ἑορακέναι.

ΓΡΑΥΣ.

ποίου χρόνου, ταλάνταθ'; ὃς παρ' ἐμοὶ χθὲς ἦν.

1041. Post ἐγὼ interpungunt edd. vett. — ὕβρεως Monac. Cant. 2. (?) 3. 4. Harl. Bar. 1. 2. 3. Dorv. et codd. Brunckii, ut videtur. ὕβριος Cant. 1. — 1042. ἑωρακέναι Monac. Dorv. edd. vett. ὡρακέναι Brunck. Inv. Bo. — 1043. πόσου pro ποίου coniec. Duker., quod Fischer. frustra defendit. — οὗ pro ὃς Cant. 1. — Post ταλάνταθ' recte interrogat Frischl., qui, nisi error typograph. est, scribit ὅσπερ pro ὃς παρ', nam vertit: „qui modo apud me heri fuit.“ Hunc secutus sum, quia, si in fine versus cum ceteris interrogationem volueris, dicendum fuit ἦς sive ἦσθα, non ἦν.

ap. Athenaeum VI. p. 243. *ἐπὶ κῶμον, εἰ δοκεῖ, ἴωμεν, ὥσπερ ἔχομεν. οὐκοῦν καὶ δᾷδα καὶ στεφάνους λαβόντες.* cf. ibid. VII. p. 281. — *πορεύεται*, *βαδίζει.* Schol. recte; nam ponitur de *incessu* quoque. Sic Aeschyl. Prometh. 570. *ὁ δὲ πορεύεται δόλιον ὄμμ' ἔχων.* Sophocl. Aiac. 1253. *μέγας δὲ πλευρὰ βοῦς ὑπὸ σμικρᾶς ὅμως μάστιγος ὀρθὸς εἰς ὁδὸν πορεύεται.* — *ἀσπάζομαι*, *ὡς διὰ χρόνου αὐτὴν ἀσπαζόμενός φησι. μεθύων δὲ οὐ λέγει, χαῖρε. ἢ δὲ διὰ τὸ ἄτοπον δοκοῦν τῆς προσρήσεως ὡς ἐν ἔρωτι, τί φησιν.* Schol. Quum *ἀσπάζομαι*, ut supra 320. vidimus, salutatio sit officiosior et acceptior, quam *χαῖρε*, puto iuvenem solum Chremylum salutare. Quum igitur anus sentiret se esse neglectam, ad Chremylum se convertit interrogans *τί φησιν;* Nunc tandem iuvenis superbiens simulat, se agnoscere amicam iam diu cognitam, eamque acerbe cavillando excipit. Qui nexus si minus placet, *ἀσπάζομαι* ironice dictum esse potest, quod vetula indignata stomachatur. Hinc etiam *ἀρχαία φίλη* ironice dictum esse debet, quia alias nobili sensu aliquis vocatur *ἀρχαῖος ἑταῖρος* Xenoph. Memor. II. 8. 1. — *ἀρχαία φίλη*, cf. n. ad 319. utrumque enim indicari videtur et *annosum* et *stupidum*. Illud si praefers, sequentia continent epexegesin.

1040. *πολιὰ γεγένησαι*, quod antea dissimulator celavit nunc dives factus inhumane eloqui non dedignatur. *πολιός ἐστιν ἀνὴρ ὁ τὴν πολιὰν ἔχων, ἤτοι ὁ γηραιός.* Schol. Imprimis huc referam, quae Eustath. p. 727, 25. nomina aetatum enumerans profert: *εἶτα ἀνὴρ νέος· εἶτα ἀνὴρ μέσος· εἶτα προβεβηκώς, ὑποπόλιος* (apud quem prima canities conspicitur), *ὁ καὶ ὠμογέρων· εἶτα γέρων ὁ καὶ πρεσβύτης· εἶτα ὁ ἐσχατόγηρως. Πολιοκρόταφοι δὲ οἱ ἐκεῖθεν ὡς τὰ πολλὰ πολιοῦσθαι ἀρχόμενοι, ὡς παρασημειοῦται καὶ Θεόκριτος εἰπών, „ἀπὸ κροτάφων πελόμεσθα πάντες γηραλέοι.“* Sic *πολιοὶ κρόταφοι* Anacr. 56. Eurip. Hecub. 644. *πολιόν τ' ἐπὶ κρᾶτα μάτηρ τέκνων θανόντων τίθεται χέρα.* ut Hom. Od. ω. 316. de Laerte

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

τοὐναντίον πέπονθε τοῖς πολλοῖς ἄρα.
μεθύων γάρ, ὡς ἔοικεν, ὀξύτερον βλέπει.

ΓΡΑΥΣ.

οὔκ, ἀλλ' ἀκόλαστός ἐστιν αἰεὶ τοὺς τρόπους.

ΝΕΑΝΙΑΣ.

ὦ Ποντοπόσειδον καὶ θεοὶ πρεσβυτικοί,

1045. *βλέπειν* Dorv. Cant. 4. — 1046. *ἀεὶ* contra metr. Cant. 1. 3. pr. m. 2. Suid. Pors. — *τοῖς τρόποις* Rav. Inv. minus Graece.

sene: *ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν χεύατο κὰκ κεφαλῆς πολιῆς.* — *τάλαιν' ἐγὼ τῆς ὕβρεος*, de genit. in exclamat. cf. not. ad 385. Ionicam hanc genit. formam, quam iam edd. vett. repraesentant, tuitus est et alias Bentl. metri causa, ut Vesp. 1273. ubi cum Suida restituit *φύσεος*. cf. et Nub. 1071.

1042. *διὰ πολλοῦ χρόνου.* cf. n. ad 98. Sic Vesp. 1251. 1474. Eurip. Electr. 504. Aeschyl. Pers. 743. *διὰ μακροῦ χρόνου.* Etiam sine adiectivo Xenoph. Memor. IV. 4. 5. II. 8. 1. *Ἄλλον δέ ποτε ἀρχαῖον ἑταῖρον διὰ χρόνου ἰδών.* idem Cyrop. I. 4. 28. Plutarch. vit. Cic. p. 880. — *ποίου χρόνου* h. e. *quam breve tempus*, quasi *δι' ἀκαροῦς χρόνου.* cf. et F. A. Wolf ad Cic. orat. p. Marc. praef. p. XXVII. — *παρ' ἐμοί*, cf. n. ad 389. — *τοὐναντίον τοῖς πολλοῖς* h. e. *ἢ οἱ πολλοί*, ut post *ἄλλος* et similia vocabula, quibus comparativi notio inest. cf. Heind. ad Plat. Phaed. §. 105. At *αὐτός*, *ἴσος* et contrarium ab his *ἐναντίον* dativum obiecti comparati aut oppositi amant. Quare nostrum locum sic accipe: *οὐ τὸ αὐτὸ τοῖς πολλοῖς πέπονθε.* — *οἱ πολλοί*, *vulgus* vel *plerique*, cf. Viger. p. 138. et 728. — *μεθύων γὰρ ὀξύτερον βλέπει*, lepide significat, quanta in vino sit veritas. Oculi quidem vinolentorum obscurantur, at sensu decori represso liberius eloqui solent vino gravati, quae ante celaverant. Scholiasta perplexe disserit: *οἱ γὰρ μεθύοντες οὐχ ὁρῶσι. παίζει οὖν, ὅτι ὀξέως ἐθεάσατο τὰς πολιὰς αὐτῆς ὁ νέος, ἀμαυροῦσθαι ὀφείλων τὴν ὄψιν ἐκ τῆς μέθης. μεθύων δέ φησι, ἐπειδὴ ἐπὶ κῶμον ἀπῄει, ὥς φησι. τοὐναντίον δέ, εἶπε, τοῖς ἄλλοις πέπονθεν, ἐπειδὴ νήφων οὐκ ἔγνω, ἀλλὰ μεθύων, γραῦν οὖσαν.*

1046. *ἀκόλαστος*, disciplina severa non eruditus, cui opponitur *πεπαιδευμένος*. Quare recte schol. interpr. p. *ἀπαίδευτος*. Hinc universim *rusticus* et *decori immemor*, *ἄγροικος*, *αἰσχρός*, *ἀναίσχυντος*. Schol. Sic Eurip. Hecub. 603. *ἔν τοι μυρίῳ στρατεύματι ἀκόλαστος ὄχλος, ναυτική τ' ἀναρχία κρείσσων πυρός.* — *ὦ Ποντοπόσειδον*, de cognominibus Neptuni cf. n. ad 392. Hic a mari significatur, quia inter deos senectutis refertur, quum *ἵππιος* iuventutis deus esset. *ὦ ἄναξ τῆς θαλάσσης, ἢ ὦ θαλάσσιε Πόσειδον.* Schol. Similiter *Ποντόμεδον δέσποτα* Pind. Olymp. VI. 176. Eurip. Hipp. 744. coll. Aeschyl. Sept. adv. Theb. 132. *θαλάσσιος* supra 392. — *θεοὶ πρεσβυτικοί*, Spanhem. duce vulgo accipiuntur quasi *πρεσβύτεροι*, qui *τοῖς νέοις* opponuntur, ut ap. Aeschyl. Prometh. 149. Eumen. 16. 724. Secus est. Nam *πρεσβυτικός* multum differt ab *πρεσβυτε*-

ἐν τῷ προσώπῳ τῶν ῥυτίδων ὅσας ἔχει.

ΓΡΑΥΣ.

ἅ, ἅ.

τὴν δᾷδα μή μοι πρόσφερ'.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

εὖ μέντοι λέγει.

ἐὰν γὰρ αὐτὴν εἷς μόνος σπινθὴρ λάβῃ,

1049. ἆ ἆ Suid. cui fidem habui. cf. animadv. infra. ἀᾶ Bo. Exclamationem hanc versui adiiciunt libb. nonnulli, alii extra versum habent. Extra versum pronuntiandam esse, apparet. — δᾶδα Monac. — πρόσφερε plene Monac. — 1050. μόνον Rav. Leid. — λάβοι Cant. 4. Harl. Bar. 2. — Wakefield. Silv. Crit. III. p. 74., quem καύσεται significatione activa offendit, hunc versum et sequentem sic fingit: σπινθὴρ βάλῃ ὥσπερ παλαιά γ' εἰρεσιώνη καύσεται. Ignoravit scilicet vir illustris, Atticos futura med. quorumdam verborum activis praeferre, cf. Moer. p. 38., et in nonnullis duplex futurum deprehendi, cf. Heind. ad Plat. Phaed. p. 98. a. = §. 106. p. 181., sicut eadem pro natura sua saepe etiam ponuntur passive. cf. Markl. ad Eurip. Suppl. 521. (531.) Buttm. ad Dem. Mid. §. 10. n. 4.

ρος, illud enim indicat quod senectuti convenit ac proprium est, ut πρεσβυτικὰ κακὰ 270. etc., hoc vero quod senescit ipsum. Rectius igitur, id quod iam scholiasta vidit, cogitantur dii senectutis, ut contra Apollo et Bacchus iuventutis praesides habebantur. Idcirco recte schol.: θεοὶ δὲ πρεσβυτικοί, οἱ τοῖς πρεσβύταις ἐφιστάμενοι θεοί· ἐπειδὴ καὶ ὁ Ποσειδῶν τῶν πρεσβυτέρων (τινῶν?) θεῶν καὶ οὐχ ὅμοιός ἐστι Διονύσῳ ἢ Ἀπόλλωνι. Aliud ἐπεὶ γραῦς ἐστιν, ὡς τοῦ ὅρκου τούτου πρεσβυτῶν ὄντος. ἔστι δὲ ὁ Ποσειδῶν τῶν γερόντων, καὶ οὐ τῶν νέων. θεοὶ γεροντικοί. — τῶν ῥυτίδων ὅσας ἔχει. ῥυτίδες, ὡς οἱ κοινοὶ λέγουσιν ἐπὶ τοῦ προσώπου ζωρώματα. Schol. Accuratior Eustath. p. 768, 4. ῥυτίδες δὲ αἱ ἐπὶ τοῦ προσώπου συστροφαὶ τοῦ δέρματος. et ibid. l. 37. παρὰ τὸ ῥύεσθαι, ὅ ἐστι παρειλκύσθαι. De genit. ap. ὅσος et simil. vocab. cf. supra ad 690.

1049. ἅ, ἅ. Suida duce reposui, qui ceteris grammaticis longe distinctius praecipit: Ἆ, ἆ παρ' Ἀριστοφάνει ἐπίῤῥημα μετ' ἐκπλήξεως καὶ παρακελεύσεως. τὸ ἅ, ἅ κατὰ διαίρεσιν ἀναγνωστέον, οὐ καθ' ἕνωσιν· ἀλλὰ καὶ ψιλωτέον ἀμφότερα. τὸ δὲ ἄ ἄ θαυμαστικὸν δασύνεται. Pariter ἅ scribitur in schol. Harl. ad Od. ξ. 361. Utramque vim huius interiectionis agnoscens Eustathius p. 855, 16. p. 1763, 54. accentum ubique circumflexum tenet, nullam saltem diversitatem accentus commemorat. In Hesychii initio interpretes multa conturbant. Ceteris missis hoc tantum moneo, ad ἆ ἆ ex Eustath. p. 855, 19. aliquid lucis manare. cf. et Apollon. Soph. init. Quare puto ubique videndum esse, utrum sit interiectio mere admirantis, an terrore subito commoti, ut hoc loco, ubi commodius et affectui animi aptius acuitur. Teneatur igitur ἄ ἄ Eurip. Hecub. 1045. ἄ ἄ, σίγα, σίγα. Aeschyl. Prometh. 114. ἂ ἄ, τίς ἀχώ, τίς ὀδμὰ προσέπτα μ' ἀφεγγής.

ὥσπερ παλαιὰν εἰρεσιώνην καύσεται.

ΝΕΑΝΙΑΣ.

βούλει διὰ χρόνου πρός μὲ παῖσαι;

ΓΡΑΥΣ.

ποῖ, τάλαν;

ΝΕΑΝΙΑΣ.

αὐτοῦ, λαβοῦσα κάρυα.

ΓΡΑΥΣ.

παιδιὰν τίνα;

1052. *παῖξαι* Leid. Dorv. et pr. var. lect. F. Est enim forma Dorica. cf. Lobeck. ad Phryn. p. 240. — *πρός με* vulgo. — Post *παῖσαι* punctum Ald. Iunt. 1. 2. 3. Raph. Port., comma Porson. — Post *τάλαν* punctum Ald. Iunt. 1. 2. 3.

Recte vero, siquidem metrum stare debuit, in Sophocl. Philoct. 1300. ἅ, ἅ iamdudum restituendum esse alii viderunt: *ἅ, ἅ, μηδαμῶς, μὴ πρὸς θεῶν μεθῇς βέλος.* Ibi enim pariter atque hoc nostro loco est *ἐπίῤῥημα μετ' ἐκπλήξεως.* — *μή μοι πρόσφερε, μηδαμῶς πλησίον ἐμοῦ φέρε.* Schol. Timet enim anicula, ne sibi comae unctae videlicet face nimis admota comburantur. Adolescentulus autem facem admoverat, ut canities cerneretur. Iuvenes enim noctu vagantes amicas visum exire solebant cum facibus. Eccles. 1013. *τοῦ δαὶ δεόμενος δᾷδ' ἔχων ἐλήλυθας;*

1051. *ὥσπερ παλαιὰν εἰρεσιώνην*, de qua copiose Eustath. p. 1283, 6 sq. e quo excerpta haec scholiis sequentibus adiicio: *θαλλὸς ἐλαίας ἐρίῳ ἐστεμμένος προσκρεμαμένους ἔχων διαφόρους ἐκ γῆς καρπούς, ὃν ἔφερε παῖς τις καὶ ἐτίθη πρὸ τῶν θυρῶν Ἀπόλλωνος ἱεροῦ ἐν τοῖς Πυανεψίοις. ἱστοροῦσι δέ, ὅτι Θησεὺς κατῆρξε τοῦ ἔθους.* Scholia imprimis urgent, hoc fieri solitum esse, ut famem arcerent: *λιμοῦ γὰρ ἐνσκήψαντος, ἀνεῖλεν ὁ θεὸς τὰς εἰρεσιώνας πρὸ τῶν θυρῶν κρεμάσαι. εἰρεσιώνη δὲ θαλλὸς ἐλαίας, ἢ δάφνης, ἐξ ἐρίων καὶ θαλλοῦ συμπεπλεγμένος, ἔχων ἄρτον ἐξηρτημένον καὶ κοτύλην καὶ σῦκα καὶ πάντα τὰ ἀγαθά. εἰώθει δὲ παῖς ἀμφιθαλὴς ἀμφ' αὐτῇ ταῦτα λέγειν· „εἰρεσιώνη σῦκα φέρει. καὶ πίονας ἄρτους, καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ὑποψήσασθαι, καὶ κύλικ' εὔζωρον, ὡς ἂν μεθύουσα καθεύδῃς.“ ἵστασαν δὲ αὐτὸν (τὸν κλάδον) πρὸ τῶν θυρῶν κατὰ τὸ παλαιὸν χρηστήριον.* His plura non suppeditant Hesych. p. 1113. eiusque interpr., H. Steph. Thes. T. V. 820. Meurs. Strab. I. p. 16. Plut. Thes. p. 10. Meurs. Graecia feriata p. 242. Fortasse et iste mos in Apollinis sacris, quem Procl. in Chrestom. ap. Phot. commemorat, huc spectat: *ξύλον ἐλαίας καταστέφουσι δάφναις, ποικίλοις ἄνθεσι καὶ ἐπ' ἄκρου μὲν χαλκῆ ἐφαρμόζεται σφαῖρα. ἐκ δὲ ταύτης μικροτέρας ἐξαρτῶσιν κ. λ.* — *παλαιάν*, *κατάξηρον* schol. Aridus videlicet ramus isque lana involutus facile incendi potuit.

1052. *πρός μὲ παῖσαι;* ambigua locutio, quae duplicem saltem significationem admittit: *ludere* et *consuetudinem cum aliqua habere*, quam vetula avide intelligens in risum trahitur. Utrumque enim antea aniculae et adolescentulo in more fuit. — *ποῖ, τάλαν;*

ΝΕΑΝΙΑΣ.

πόσους ἔχεις ὀδόντας;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

ἀλλὰ γνώσομαι

κἄγωγ'· ἔχει γὰρ τρεῖς ἴσως ἢ τέτταρας.

ΝΕΑΝΙΑΣ.

ἀπότισον· ἕνα γὰρ γόμφιον μόνον φορεῖ.

ΓΡΑΥΣ.

ταλάντατ' ἀνδρῶν, οὐχ ὑγιαίνειν μοι δοκεῖς,

1055. κἀγὼ Monac. Cant. 3. Bar. 2. κἀγὼ γὰρ ἴσως ἔχει τρεῖς vitiose Monac. κἄγωγέ τοι γὰρ ἔχει τρεῖς Ask. Sic saepius peccant librarii, si subiectum mutatur. — τέσσαρας Bar. 2. — 1056. μόνον γόμφιον Cant. 4. Ask. Monac. — φέρει Cant. 3.

usum vocis ποῖ in *statu* diligenter exposuit Lobeck. ad Phrynich. p. 43., quippe secundum quem ποῖ solum de *motu* dicendum esset. In plurimis locis si loquentium cogitationes recte tenemus, veterum regula stare posse videtur. Quid enim impedit, quominus accipias, vetulam dicturam fuisse: ποῖ ἀπιόντες, τάλαν. Idque, ni fallor, scholiasta hoc loco voluit, quum interpretaretur: τὸ ποῖ σκωπτικόν· δηλοῖ γὰρ ἀκολασίας τόπον ζητούσης. Quasi anus vellet: *modo ne in hominum horum conspectu.* Lysistr. 908. ὦ καταγέλαστ' ἐναντίον τοῦ παιδίου. Cum Phrynicho l. l. conspirat praeter Thomam et Eustath. p. 1664, 9. τὸ ποῦ δηλοῖ τὸ ἐν τόπῳ· τὸ δὲ πῇ καὶ ποῖ τὸ εἰς τόπον. — τάλαν, e more amice iocantis explicandum est, utpote qui verbis malae notae amicos familiariter notat amantes. Pariter Calypso Ulyssem alloquitur amica Hom. Odyss. ε. 182. ἦ δὴ ἀλιτρός γ' ἐσσὶ καὶ οὐκ ἀποφώλια εἰδώς!

1053. λαβοῦσα κάρυα, quasi vellet ἀρτιάζειν *ludere par impar*, de quo cf. 813. Id quidem ex sequentibus manifestum est. — πόσους ἔχεις ὀδόντας; ἀντὶ τοῦ, πόσα ἔχεις κάρυα. τοῦτο παρ' ὑπόνοιαν εἶπε κωμῳδῶν ὡς πάνυ γραῖαν. ἔδει γὰρ εἰπεῖν, πόσα ἐν χερσὶν ἔχω, ὥσπερ εἰώθασι λέγειν οἱ τὰ ἄρτια περισσὰ παίζοντες. παιδιὰ γάρ ἐστι τοιαύτη· δραξάμενός τις καρύων καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα ἐρωτᾷ, πόσα; καὶ ἐὰν ἐπιτύχῃ, λαμβάνει ὅσα ἔχει ἐν τῇ χειρί· ἐὰν δὲ ἁμάρτῃ κατὰ τὴν ἀπόκρισιν, ἀποτίνει ὅσα ἂν ὁ ἐρωτήσας εὑρεθείη ἔχων. Schol. Nihil hic de mixta oratione recta et indirecta, quam Bo. voluit, sed, ut cum scholiasta ceteri iam viderunt, lepida perversio ludi omnibus noti. Aniculae certe fuit interrogare, quod numquam profecto interrogasset; quare poeta facit adolescentulum antevertere, idque ludendi causa; quo tota confabulatio nititur.

1055. γνώσομαι, γνωρίσω. Sch. Est enim huic verbo nativa vis, *aliquid, quod adhuc ignoratur, experiendi*, unde proficiscitur notio et *cognoscendi* et *divinandi*, quae extrema hic valet. — ἀπότισον, quasi τῇ ἰδίᾳ κεφαλῇ (Hom. Il. δ. 161. Eustath. p. 458, 41.), quia, qui divinando numerum false significavit, de suis solvere debebat. Et quum de pari-

